CHARTAE THEOLOGICAE.

CHARTAE THEOLOGICAE.

CHARTAE THEOLOGICAE,

LIBRORUM CENSURAS ET DOCTRINAE SACRAE MISCELLA CONTINENTES.

AUDITORUM IMPRIMIS, QUI SIBI FUERUNT VEL SUNT,

IN USUS EDIDIT

HERMANNUS BOUMAN,

THEOLOGIAE DOCTOR

ET IN ACADEMIÂ RHENO-TRAJECTINÂ PROFESSOR.

LIBER PRIMUS.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JR.

1853.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GIEBEN & DUMONT.

EPISTOLA AD AUDITORES.

AUDITORIBUS,

QUI VEL OLIM SIBI FUERUNT, VEL NUNC SUNT,
SALUTEM ET OFFICIA

HERMANNUS BOUMAN!

Vobis potissimum quod qualescunque has inscribendas putavi *Chartas theologicas;* caussae et ex meo erga vos animo sponte exsistunt, et cum praesenti hoc scribendi consilio ac ratione arcte conjunctae sunt. Ac Vos quidem quo animo complectar et quâ amoris sinceritate, ambitiosius declarare nihil attinet. Neque enim vestro in numero pauci sunt, quibus, vel a primis illis, vel a recentioribus his gesti muneris academici temporibus, probatis uti mihi contigerit Amicis. Quos ubi vel orationum sacrarum eloquentiâ ac gravitate, vel pastoralium consiliorum atque admonitionum sapientiâ, vel scriptorum doctrinâ atque ubertate, pro virili parte laboranti succurrere video Christi Societati, eamque veluti *aedificare;* nolite quaerere qui me qualisque perfundat ac permulceat laetitiae sensus suavissimus. Quid quod me ipso major esse mihi videor, tales Vos nostros olim *Commilitones* fuisse cogitans ac recordatus. Hocce enim *Commilitonum* seu *Sodalium* mihi certe suavissimo nomine Amicos Vos amicus equidem

compellare solebam; quo tempore, in *domestico* illo *auditorio*, quo, per sena haec lustra continentia, disquisitionum theologicarum officinâ ac theatro usus sum atque adhuc utor, quo tempore, inquam, ibi mecum omnium gravissimae disciplinae operam dare consueveratis. Nec raro tum fieri memini, si quando, animi corporisve aegritudine depressus, haud sine trepidatione in cathedram adscenderam, ut colloquendo Vobiscum ac disquirendo paullatim reficerer ac recrearer, dolorumque sensu vel suffocato vel certe paullisper obruto, laetiore quam, quo veneram, animo ex cathedrâ vestroque ex consessu in privatum me reciperem museum. Cum praesertim familiares illae, quas Vobiscum habueram, collocutiones, atque acuta, quae subinde interroganti mihi dederatis, *responsa* ad pleniorem rerum locorumque intelligentiam ipsi mihi profuisse perciperem, atque adeo docendo me didicisse. Quo vestro studio ac solertiâ non tantummodo *Oratorem* me Vos *excitâstis Auditores;* verum etiam, quod privatim saepe Vobis dixi, jam publice, neque id oratorie sed candide, profiteor, ad Scholas habendas ac difficiliores excutiendas et solvendas quaestiones utiles gratosque Vos mihi socios praebuistis atque *adjutores.*

Nec vero Vestrum singulorum nomina mihi repraesentare possum, quod saepe ac lubenter facio, quin hujus recordationis suavitatem temperet quodammodo ac conturbet eorum memoria *Commilitonum*, quos mihi quidem diu superstites fore speraveram, sed quorum praematurus, ut nobis videbatur, abitus et Vobis mihique luctuosus accidit et ipsi adeo Christianorum Societati. Quorum quam magnus, eheu! numerus est! Qui fuit in eorum haud paucis vel corporis vigor roburque virile, vel animi ingeniique praestantia! Quae lectissimarum quarumque dotum varietas! Quibus quidem mature concessam a Deo O. M. terrestrium pensorum labo-

rumque requietem gratulemur oportet; sed quibus iisdem breviorem obtigisse hujusce vitae usuram, et nostri caussâ dolemus, et vero Ecclesiae, cui longe diutius eorum profuturam esse operam, nimis vanâ nobis spe blandiente, augurati eramus. Ἀλλὰ τά μεν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Defunctorum non obliti Sodalium eorumque imitati virtutes, Dei reconditis in judiciis atque imperscrutabili, quae mortalium sortes moderatur, sapientiâ modeste pieque acquiescamus.

Pristinorum autem Auditorum si gratam mihi esse atque acceptam affirmo recordationem; nemo Vestrum in eam id interpretabitur sententiam, ac si eorum me poeniteat, qui cum maxime studiorum vel comite vel duce me utuntur, Commilitonum. Quod absit profecto! Tam felicibus enim Collegis meis, Viris gravissimis, mihique esse contingit, ut si quotannis, absolutis Academiae studiis, auditoriis nostris alii valedicunt, alii identidem eorum locos occupent ac subsellia, nec Theologiae amore illis inferiores nec progressuum felicitate. Quam ipsam laudem in plerosque convenire, qui hocce, quo scribimus, tempore nostris habitant in auditoriis (neque enim *habitant* pauci) morosus sim nisi, grato in Deum animo, propenso in Sodales sensu, profitear atque asseverem. Vos igitur, Commilitones! cum cives, tum exteros, sive ante hos plures pauciores ve annos, et mei et vero Collegarum meorum, me longe praestantiorum, auditores fuistis, sive adhuc estis; Vos, inquam, eâ complector amicitiâ, quae Vestrum cujusquam nomen, dum vivam, meâ ex memoriâ plane oblitterari non facile permissura esse videatur.

Quae cum ita sint, Vestrum certe nemo mirabitur, confido, hujusce erga Vos sensûs, antequam ex hac vitâ migro, publicum aliquod vel testimonium edere vel monumen-

1*

tum ponere vehementius me cupiisse. Quodsi forsitan igitur, mea post fata, harum paginam aliquam *Chartarum* relegatis, hominem minus doctum, quam in Vos propensum, ut olim facere consueverat, sic adhuc Vobiscum gravissimis de rebus familiariter colloquentem animis informetis ac repraesentetis amanter rogo atque obsecro. Sed sive qualescunque hae paginae brevi omnium in oblivionem incidant, seu vestro imprimis erga Praeceptores studio paullo longior iis vita obtingat; has certe in bonam partem accipietis preces meas ardentissimas. Faxit luminum Pater ut omnes Vos me, vitae penso pie perfunctum, divinitus destinatâ horâ ex hoc stadio discedentem videatis, nec mihi, tot jam nunc orbato Discipulis dilectissimis, Vestrum quemquam, Sodales amicissimi! hinc ante me avocatum, lugendi tristis imponatur necessitas!

Sed alia eaque, si quid video, gravissima caussa Vobis potissimum has inscribendi *Chartas* ex earum argumento mihi nascitur ac consilio. Quod cujusmodi sit, cum universe libri titulus profitetur, tum paullo explicatius hoc loco et Vobis declarandum videtur et caeteris lectoribus. Hisce igitur colligendis atque edendis scidulis opportunum propriumque mihi locum parare atque aperire volui, ubi de nonnullis saltem libere disputare possem quaestionibus, criticis maxime, exegeticis, apologeticis (vulgaribus enim uti liceat nominibus), quae hoc potissimum, quo vivimus, tempore Theologorum animos advertunt, ac justo majoris disjungunt discordiae acerbitate. Quod ubi Deo confisus ago, absit profecto ne *Seculo* mancipem me vendam ac pedissequum! *Seculum* dico, varium illud et inconstans, quod *modo* vehementius reflat, atque in inepta antiquitatis placita cultores rejicit ac repellit; *modo*, contrariâ nec vero saniore studiorum impulsione, immoderato praecipitatur cursu, atque in impia commento-

rum monstra proripit sectatores ac propellit. Nec enim unquam *Temporis*, quem nonnulli dicunt, *Genius* ita me vel retrahet, spero, ut quaecunque Patribus placuerunt, ea intempestivâ tuear sedulitate, vel contra protrudet, ut omnia aut pleraque, quae a novitate, eadem a veritate commendationem habere juvenili opiner ac contendam levitate. Utinam potius vel haec scribenti mihi, vel in cathedrâ docenti, vel in templis verba facienti *purgatam personet aurem* divina illa, a *Jesaïa* Vate chartae consignata vox et adhortatio, quae nulli magis, quam nostrae scripta videtur aetati, nullis certè utilior est Theologis, quam nostris aequalibus! *Sic enim,* inquit, *me Jehova, quasi manu prehensum, allocutus docuit, non esse hujus populi viâ gradiendum, ita monens: »Ne* conjura»tionem *dicite quidquid populus iste* conjurationem *dicit. Neve »ejus metu metuite aut pavete. Sed* Jehovam *agminum du»cem sancte colite. Is metus vester, Is pavor esto* (1)." — Ita demum operam me non plane lusisse nec frustra laborâsse mihi videbor, si sanctissimi hujus praecepti ubique memorem me fuisse eique obsequi conatum esse, hasce, quamvis tenues, scidulas testes habere mihi contigerit. Ita demum

(1) *Jes.* VIII. 11—13. Quo loco voc. קֶשֶׁר *conjurationem* significare Castellioni, cujus interpretationem in plerisque reposui, assentiunt Umbreitius, Knobelius, Hitzigius aliique. Quamquam quo potissimum respiciatur non ita certum est. Nos quidem *nostros* in usus praeclarum hoc dictum ita possumus accommodare, ut de *conjuratione* aut *proditione* capiamus, quae vel doctrinae, ab *Ecclesiâ* constitutae, sanitati perniciem intentet, vel justae sentiendi *libertati*.

Verum facere non possum quin, sententiarum propter similitudinem, memorabile in paucis hîc adscribam *Ciceronis* dictum, *Tusc. Quaestt.* II. 26. Ubi: *»Te autem*, inquit, *si in oculis sis multitudinis, tamen »ejus judicio stare nolim, nec, quod illa putet, idem putare pulcher»rimum. Tuo tibi judicio est utendum. Tibi si recta probanti place»bis, tum non modo tete viceris, — sed omnes et omnia.*" Quo loco si forte Stoicorum arrogantiam redolere videri possunt postrema; at sapientissimam admonitionem caetera continent.

felicem me reputabo, si nunc etiam *δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνοντα, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ ζητοῦντα*, adeoque Christi Domini exemplum modeste et e longinquo sequentem, lectoribus, sed Deo imprimis, cordum scrutatori, me probavero.

Huic vero sapientiae pietatisque officio religiose satisfacere, vide quam difficile atque arduum Theologo reddat ipsum hoc, quod quam *biforme* sit modo ante jam diximus, *Seculum*. Quo uno non multum abest quin duo diversa Secula, secum invicem concertantia, contineri videantur. Nunc enim sicuti se res habent, plerique Theologi, ii certe, qui prae caeteris, varii generis de doctrinâ sacrâ scriptis editis, Theologos sese ferunt; hi igitur, quamvis studiis inter se diversi, si maxime generali notâ eos discernere placet, in duo adversa, ubi militentur, veluti castra secesserunt (1). *Alii* a doctrinae ecclesiasticae studio ac patrocinio laudari volunt, *alii* a liberalitate ac sentiendi libertate. *Illis* antiqua splendent, *his* recentia arrident. Quamquam neutri satis sibi constare videntur. Quos enim priores dixi, *Ecclesiae* quidem *Formularum* strenuos se patronos demonstrant ac propugnatores, sed ab earum mente quam longe subinde recedant, nolite quaerere. Quod ejusmodi sane est, ut vehementer dubitem, si forte in vitam revocati essent Guido de Bres et Zacharias Ursinus, num censoriam illorum notam effugere possent ipsi hi Viri immortales. Nec vero ea tantum bona eorum

(1) Ad hunc etiam locum applicanda sunt, quae nuper verissime dixit Ullmannus, Vir clarissimus (*theol. Stud. u. Krit.* 1852. 3. 570): »*Wir müssen uns bewuszt bleiben, dasz solche Gebiete, obwohl sie im* »*Groszem sehr bestimmt gesondert werden können, doch nicht überall* »*durch ganz scharfe Grenzlinien getrennt sind, sondern in verschiede-* »*nen Abstufungen sich berühren und in einander übergehen.*"

multi contemnunt, quae, benignissime providente Deo, disciplinae sacrae nostra haec attulit aetas; sed, quod magis mireris, eximia etiam illa, quae *Libris* nostris *Symbolicis* consignata exstant, cautae sapientiae ac liberalitatis indicia non raro temere negligunt et spernunt. Quibus a libris, ubicunque placet, recedere si facile *sibi* concedunt atque *Amicis*, cave putes *aliis* idem eos permittere ac licitum declarare. Neque enim, Poëtae dicti memores, quam hic *petunt veniam*, eandem *dandam esse vicissim* existimant. Atque haec imprimis est in dissentientes quosvis iniquitas atque acerbitas, quam eorum potissimum animos infecisse doleam lugeamque, quorum religionis amorem, quorum in Deum Christumque pietatem, quorum ardentissimos de sanctissimâ caussâ bene merendi conatus, in exemplum omnium imitatione dignissimum liberalioribus, qui se dicunt, Theologis proponere soleo et commendare. Ad quem vero *ζῆλον Θεοῦ* utinam, animos illuminante Dei Spiritu, illa aliquando accedat *ἐπίγνωσις* ac sapientia, quâ caute pieque caveant, ne in Paulli Apostoli reprehensionem incurrant! Qui: *Σὺ δὲ τί κρίνεις*, inquit, *τὸν ἀδελφόν σου; ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου; Πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ* (1).

Verum quo studio hi, de quibus diximus, Theologi vetera laudant captantque et persequuntur, eodem amore in recentia ac recentissima quaeque alios multos ferri videmus atque involare. *Illis* si quae Patribus placuerunt in deliciis sunt, *his* ita haec ipsa, quamvis praestantia, squalent sordentque, quasi nullâ amplius commemoratione, nedum ap-

(1) *Rom.* XIV. 10.

probatione digna habenda sint. Universe in eos Homeri hic versus convenit:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Quem quidem versum non de *Musicâ* tantum, sed de aliis item litterarum studiis ac de ipsâ adeo Philosophiâ valere, gravis nobis auctor est Wyttenbachius (1). Nec sane novissimarum quarumque et maxime inauditarum opinionum effusâ admiratione vel a Musicis vel a Philosophis sese vinci patiuntur multi, qui nunc *aërios audent tentare volatus,* Theologi. Verum, ut recentia illa, quibus nostra etiam studia locupletavit aut certe locupletâsse sibi videtur haec aetas, decreta fere infinitam habent varietatem; ita pro ingeniorum diversitate ex immensâ illâ novarum opinionum copiâ ac veluti messe alii alias laudant, appetunt, degustandas commendant dapes epulasque.

Sed ne simus iniqui, committendum nobis non est ut moderatiores novorum amatores cum iis temere committamus, quibus insatiabilis quaedam inesse videtur cuncta labefactandi ac convellendi sitis et cupiditas. Qui quidem, quâ caninâ veluti rabie *Cynici* antiqui politiores quosvis vitae communis mores atque instituta petebant, eâdem S. C. librorum antiquitatem ac sanctitatem invadunt, ac certissimas quasque sacrae disciplinae doctrinas maligno dente carpunt atque arrodunt. De quibus vero non est quod plura dicam. Uti enim prudentiora sunt ac religionis amantiora plerorumque civium nostrorum studia; sic paucos admodum *Nederlandia* tulit Novatores, qui Strauszii, Hennellii, *Tubingensium,* Brunonis Baueri, Ludovici Feuerbachii aliorumque

(1) V. Homeri *Odyss.* A. 351, collato Wyttenbachio, *in epist. ad* Heusdium, *Opuscc.* II. 35.

temeritati palam atque aperte applauderent. Quae dictu incredibile est, aliis in populis quam multos admiratores invenerit ac patronos.

Horum quidem audaciam nobiscum aversati alii iique multo meliores, nec suis defraudandi laudibus, Theologi ipsam Euangelii arcem sese defendere velle profitentur, nec raro generose demonstrant. Verum utinam hic aequiores ac minus aversos antiquiorum judices agant placitorum, prudentiores minusque propensos recentiorum! Veluti eorum non pauci ita demum praeclaros Codicis sacri sese putant interpretes, si loci cujuspiam explicationem commendare possint, quae ab illâ, quam contumeliose vocant, *traditione exegeticâ* quam longissime recedat vel certe recedere videatur. Ita maxime *Criticos* se ferunt Scaligeris ac Casaubonis aequiparandos, si hunc illumve certe vel Veteris vel Novi Testamenti librum aut locum majorem aut carmen, speciosis nonnullis contextis argutiis, plaudentibus amicis, ad longe recentius, quam cui tribui consueverat, seculum retrahere contigerit. Nec desunt profecto, qui *Euangelii* quidem strenuos se jactent eosdemque liberales vindices ac defensores, sed ab iis illud temere disjungant ac dissolvant, in quibus Deo volente unice fundatum erat, Veteris Foederis institutis doctrinisque. Quid, quod Christi institutionem ex suae Philosophiae decretis interpretari malunt, quam ex eorum auctoritate Virorum, quibus ipse adeo Christus: *Vos qui audierit*, dixerat, *me audiet ille.* Unde fit ut, in aëre veluti volitantem, hanc Euangelii umbram vel magis magisque attenuandi vel plane difflandi adeo lectoribus, pro cujusque sensu ac lubitu, copia detur atque opportunitas paretur. Atque id certe ex hâc vel Euangelii interpretandi vel potius de Euangelio philosophandi ratione nobis reformidandum erit, ne *Crucis* illa doctrina consolatoria, in quâ magnâ concordiâ institutionis suae meditullium, Domino praeeunte,

reposuerant Apostoli, plane labefactetur atque enervetur. Hujusmodi enim inconsideratos disciplinae sacrae Novatores, si minus apud nos sunt, quod speramus, apud exteros certe multos esse novimus.

Sed id nobis monendum restat, non magis sibi constare novorum hos amatores, quam veterum illos, de quibus antea diximus, patronos. In iis enim, quarum *novitatem* jactant, multorum Sacri Codicis locorum interpretationibus, quotaquaeque est, aliquâ quidem lucens probabilitate, quam non, quâpiam certe ex parte, postliminii jure superiores sibi vindicare possint aetates (1)? — De *Criticâ* suâ, quam *altiorem* ipsi vocant, *destructricem* ego dixerim, ubi exsultant et gloriantur, quidni tam aequi sunt ac liberales, ut Harduino certe Jesuitae statuam honorifice ponendam curent, qui ad longe recentius etiam tempus, quam divina Novi Testamenti scripta *Tubingani*, pulcherrima quaeque antiquitatis Graecae ac Romanae monumenta retrahere ac deprimere studuit? — *Procrustis* veluti lecto praestantissimas quasque Christi doctrinas torquere ac mutilare, pulcrum multis videtur et gloriosum aequalibus. Neque ego sane quominus genio indulgeant impedire possum: Ὁ μέν τοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν· Verumtamen hoc non iniquâ ab iis requirere videmur vindicatione, ut quaesitae hâcce viâ gloriae; si quidem *gloria* interpretanda est, longe maximam partem cum antiquioribus

(1) Multa hic nova videntur ac pro novis venditantur, quae non sunt. Nec raro enim fit ut priorum interpretationes fastidiose improbent ac repudient hodierni Commentarii, veriorem se daturos professi, mox vero, varias per ambages, in eandem, quo illi, viam pervenisse deprehendantur, aut certe verbis magis, quam re diversam peperisse interpretationem. Subinde etiam reprobatae antiquiorum explicationi nudam substituunt *versionem*, quae auctoris dictum non liberaliter enarrat, sed singulas ejus litteras, valuti torcular uvas, premit ac contorquet. Sic scilicet sibi aliisque magni videntur Apollines!

communicent, qui dici consueverant, *Haereticis*. Quorum quam multae disputationes exstant, quae non minore certe acumine ac solertiâ Euangelii divinitatem ad hominum ingenium sensumque refingere studeant (1)!

Sed *Mediâ* quâdam acie, et ab horum et ab illorum castris aequali fere spatio disjunctâ, moderati non pauci se continent ac consistunt nostrae disciplinae cultores, pacifici illi, prudentes, sibi non nimis placentes. Quales apud nos plures ac frequentiores inveniri, quam alibi terrarum, existimo. *Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν* (2). Ecce *Paulli* praeceptum, quod nemini magis, quam *Theologo,* quam sibi, scriptum esse sciunt ac profitentur. Cui Apostoli voci sapientissimae obtemperare conati, multis de rebus *ἐπέχειν* malunt, quam, Apollinis veluti de tripode, confidenter pronuntiare. Nullae enim quaestiones cum difficiliores sint, nec magis arduum

---

(1) Unam alteramque hoc deinceps loco comparationem adscripseram typisque edendam jam paraveram, quae cum *Palaeologorum*, tum *Neologorum* contraria studia luculentius pingerent et ante lectorum veluti oculos informarent. Verum, post haec jam scripta, ea nobis tempora inciderunt, quae et his et illis et nobis omnibus servile Hierarchiae jugum imponere minitentur. Nunc igitur ea, quae, quamvis vera, nonnullis acriora videri possent, delere malui, quam, horum illorumve cum offensione, retinere. Quocirca huic Epistolae parti hanc potius, quae meae quidem sententiae summam continet, clausulam impono. In *illis* sanae doctrinae euangelicae, in *his* libertatis Christianae tuendae studium laudo. Sed utrisque, quod mihimet ipse, apprecor, ut, mentes illustrante Dei Spiritu, sic orthodoxiae libertatisque amorem conjungere discant ac copulare, ut, animorum concordiâ firmiores, iis resistere possimus, qui purae Christi doctrinae hominum commenta substituunt et *traditiones*, atque ex *Christi libertis mortalium servos* nos reddere conantur omnes!

(2) *Rom.* XII: 3.

habeant judicium, quam quae res attingunt *divinas*; earum imprimis explicationem *Jacobi* prudentiam magistram requirere sibi persuadent. Qui: ἔστω πᾶς ἄνθρωπος, inquit, ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, βραδὺς εἰς ὀργήν (1). Atque ita Christi Legatorum in Scholis edocti, a Scaligero profecto non dissentiunt, *nescire velle* monenti, *quae Magister optimus docere non vult, erudita est inscitia.* Non magis vetera prae novis, quam nova prae veteribus admirati atque appetentes, nec *querulos acti temporis laudatores* sese praebent, nec cupidos hujusce diei decretorum aucupes. *Philosophiam*, cujus luce nullam disciplinae suae partem carere posse vident, assiduam studiorum comitem assumunt; nec ullius tamen, cujus nunc forte nomen omnium in ore habitet, Philosophi opinatam sapientiam Theologiae dominam, Dogmatum disceptatricem, interpretationis Sacrarum Litterarum magistram, Historiae Ecclesiasticae judicem agnoscunt ac venerantur. Quam doctrinam Christianorum Societas, cui sponte suâ nomen dederunt, *fidei Formulis* consignandam curavit ac profitendam, eam summatim sibi sequendam ducunt ac liberaliter tuendam. Nec tamen, a *Symbolorum* ratione dicendi et interpretandi et argumentandi, sicubi opus est, recedere nefas ducunt aut piaculum. Neque enim ullâ certiore ratione *Protestantismi* puritatem inquinari noverunt honoremque infringi, quam si, Divinis humana aequiparans, quae unius *Christi* Domini est, auctoritatem cum mortalium, quamvis sanctorum ac sapientium, scriptis decretisque communicaveris.

Sic igitur illos sentire novimus Theologos, qui, in acerrimo sententiarum divortio, *neutrarum* partium esse malunt, quam vel in his vel in illis stipendia facere castris adversis.

---

(1) *Jac.* I: 19.

Verum, quod de turbatâ Romanorum Republicâ monentem audivimus *Sallustium*, id ipsum ad nostram hanc applicari potest caussam. In tanto enim animorum fervore atque acerbitate, plerisque *moderata consilia non placent*. Qui igitur, pacis amantes, medium quemdam utramque inter aciem sibi locum, ubi consistant, quaerunt atque obtinent, mirum est quam acutis non raro telis eodem utrimque tempore petantur. Quam vehementer enim *dextro* a latere *ἑτεροδοξίας* notâ inuruntur, aut certe turpiter desertae religionis caussae accusantur; tam ignominiose *sinistra* a cornu *lucifugi* vocitantur et *tenebriones*, qui ad late splendentem *Seculi* lucem caligent nec eam *obscurare* vereantur. Ac frequenter fit, quod vix credibile videatur, ut cum *dextri*, tum *sinistri* aegrius atque impatientius *mediorum* illorum moderationem ferant ac studia pacifica, quam adversariorum apertam vim et impetus. Certe, illorum pariter atque horum judicio, meticulosi sunt et timidi et pusillanimes, *in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant* (1). Quasi vero minor virtutis animique constantia in eo requiratur, qui, sibi sufficiens atque uni probari cupiens Christo Domino, Mundi, variis distracti studiis, laudes generose contemnit, quam in eo, qui, vel his vel illis serviliter addictus, adversariorum contumelias amicorum plausibus consolari studet ac compensare!

Quidquid sit, mediam hanc ac modestam, quam quodammodo delineavi, viam rationemque, Sacrarum Litterarum in studia incumbenti mihi semper sequendam putavi; in eâque eo cautius nunc ac constantius me continere debeo, quo gravius cum maxime nobis objicitur periculum, ne, si hinc recesserimus, vel in superstitionis Scyllam imprudentes incidamus vel in licentiae Charybdin. Quamquam quae bona ac pulcra haec, quam commendavi, via habet studio-

(1) Verba *Ciceronis de Off.* L. II. Cap. IX.

rumque conformatio me potius studiose secutum esse, quam feliciter assecutum, lubens fateor.

Quod paullo copiosius haec exposui, Commilitones dilectissimi iidemque jam, longe majore ex parte, muneris sacri Socii gravissimi! feci quo luculentius de caussis constaret, quibus impulsus vestris imprimis nominibus meas has chartas inscripserim. Quae enim tempora vivimus, multi et aliarum et nostrarum Litterarum cultores, caeteris sepositis, sola fere ea sibi legenda putant, quae suis partibus studiose patrocinari, adversarias vehementius insectari viderint aut suspicentur. Nonne igitur mihi timendum est ne libellos illi fastidiant nec inspiciant, qui, placide ac sedate scripti, pacem alere malunt, quam bella excitare, nec Seculi, vel dextrorsum vel sinistrorsum ruentis, sensui studiisque vocem callide attemperare didicerunt? Verum quid alii, quorum in manus hae scidulae inciderint, facturi sint, certo dicere nequeo: neminem enim nos quidem contemnimus nec excludimus lectorem. Sed Vos certe hominem, quem de cathedrâ dicentem saepe assiduitate vestrâ atque attentione sustinuistis, jam ad Vos prae caeteris, nullo muneris officio cogente, scribentem non despicietis nec audire noletis. Vos, si quae datur opportunitas, sic ad amicorum lectionem qualescunque has commendabitis paginas, ut auctorem habere affirmetis veri studiosissimum, nec quidquam facile, nisi quod meditationis diuturnitate sibi satis probatum crediderit, aliorum judiciis excutiendum tradentem. Ac spero fore ut nonnulla certe recte atque utiliter a me disputata reperiatis. Quae vero, ab hâc tantum voce, tenui illâ atque infirmâ, commendata, nimis facile ab aliter sentientium clamoribus obruerentur; a Vobis vero disertius explicata pleniusque defensa, bono quidem cum Deo, non plane irrita cadent nec infructuosa peribunt.

Non ita sane haec a me dicta existimabitis, quasi quae mihi se probârunt de rebus divinis placita, ea Vobis veluti in clientelam commendare ac sequenda praecipere velim. A cujusmodi arrogantiâ atque illiberalitate quantopere abhorream equidem, Vos certe scitis omnes. Nec ego nescio, neque aegre fero, Vestrum nonnullis longe diversam explicandi sacram doctrinam ac Seculi vitiis occurrendi viam praeplacere ac rationem. Quid igitur? Quae hîc dicta displicebunt, aut quae minus commode exposita censebitis, vel taciti improbabitis, caligantibus ingenii nostri senilis oculis ignoscentes, vel ita forsitan refutabitis (quidni enim faciatis?) ut, quod non raro antea, nunc denuo a meis, qui olim fuerunt, Discipulis meliora me didicisse mihi fatendum sit.

Nec vero *Latine* haec me scribere Vestrum quisquam mirabitur. Quid enim? In aliorum, vernaculos hujusmodi libellos edentium, messem importune falcem immittere nolo. Illi lectorum frequentiâ florebunt ac multitudine; ac me, probabilia docentes, discipulum habebunt ac laudatorem. Ego in paucioribus, sed priscae doctrinae amantibus, sed Vestrum non absimilibus lectoribus libenter acquiescam. Verum, quod caussam continet, si alium, quam quo domestico in auditorio constanter utebar ac vos utentes audiebam, sermonem nunc ad scribendum de rebus theologicis adhiberem, ad alios potius quosvis, quam ad Vos orationem convertere et Vobis et mihi viderer. Et vero, quo tempore in ipsâ Francogalliâ liberaliores quique et doctiores Episcopi Litterarum humaniorum, *Latinarum* maxime, studium ab injusto Lucifugorum contemtu atque odio vindicare conantur, laudabilia haec ac pulcra eorum exempla pro virili parte imitari Protestantium Theologis Nederlandicis non indecorum fore existimo (1).

---

(1) Multi fuerunt qui has Francogallorum de Scriptorum Classicorum

Chartarum de argumento si forte paullo plura, quam ineunte jam hâc epistolâ dixi, requiritis; varium erit, ac per diversa doctrinae sacrae capita libere vagabitur; ita tamen ut quae ad Sacri Codicis vel intelligentiam facilitandam vel honorem tuendum pertineant, ea prae caeteris mihi persequenda ducam. Nisi consilio excidam, singulorum *Librorum*, qui seorsim edentur, prior quaeque pars de scriptis nonnullis, recentiore tempore, apud exteros maxime, vulgatis modesta continebit judicia. Quod ejusmodi erit, ut modo *censuras* prodam paullo copiosiores, modo *relationes* breviores ac brevissimas. Ubi id potius agam ut Seculi vitia, exemplorum face adhibitâ, veluti digito demonstrem atque aequalibus cavenda ostendam, quam ut singulorum auctorum, qui ex hujus temporis contagione labis quid hauserint, errores severius reprehendam. Ad laudandâ

---

usu lites ac concertationes, suo quisque modo, vel exponerent vel judicarent. Me quidem, proximo hoc tempore, memorabiles binae disputationes valde adverterunt, repositae in Ephemer.: *Le Lien*, 1852, N°. 14 et N°. 16, quarum altera habet auctorem rev. Athan. Coquerel Filium, altera rev. Anton. Bourel. — Nec vero negligenda quae, in Ephem.: *L'Espérance*, 1852, N°. 16—18, dixit cl. Pédézert, quorum summam reposuit gravissimisque suis auxit monitis doct. C. H. v. H [erwerden] C. H. f., in Ephem.: *Waarh. in Liefde*, 1853. I. p. 125—141. — In impugnando Scriptorum Classicorum usu prae caeteris de palmâ secum invicem decertare videntur Lud. Veuillot, Diarii: *L'Univers*, nimis notus, eheu! Moderator, et Abbas J. Gaume, cujus fertur libellus: *Le Ver rongeur des Sociétés modernes, ou le Paganisme dans l'éducation*; Brux. 1851. Quem igitur *vermem* Graeciae Latiique Scriptoribus, in cultioris educationis subsidium adhibitis, contineri contendit. Quem libellum, de quo dubites utrum turpis potius dicendus sit, an ridiculus, severe pro merito castigavit Hengstenbergii Ephem.: *Evang. K. Z.*, 1852, N°. 88—91. — Quidquid sit, ab hâc certe virtute laudandi sunt eminent. Dupanloup, Episcopus Aurelianensis, aliique Praesules Francogallici, qui tenebrarum satellitibus istis strenue obviam iverunt.

enim bona procliviorem me lectores invenient, quam ad mala, quae quidem non nimis maligne rei sacrae arcem petant, acriter castiganda. — *Censuras*, vel longiores illas vel breviores, *Disputationes* excipient, quibus divini Codicis aut universe doctrinae theologicae locum quempiam illustrandi consilium propositum erit. — Quas tandem *Disputationes Monita* et *Quaestiones* sequentur. *Modo* enim cogitata quaedam, nostro huic tempori non plane inutilia visa, constrictâ admonitionis brevitate conclusa, adumbrabo potius, quam explicabo. *Modo* hanc illamve quaestionem, cum maxime Theologorum animos advertentem, aut eorum certe attentione dignam, sic attingam, ut non tam quid sentiam ipse exponam, quam potius quid sentiant lectores humaniter exquiram. Quo facto si eorum nonnullos certe ad accuratiorem rei, de quâ quaeritur, disquisitionem impulero, bene mecum actum reputabo.

Pluresne, an paucos hujusmodi Chartarum Libros edere cogitem ut jam nunc profitear, nemo a me requirat rogo. Etenim res integra *Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται.* Hâc aetate uso, hâc valetudine depresso, hâc obruto interpellationum mole et multitudine nihil mihi confidenter recipere licet. Faciam quae potero, id est quae facere me Dei O. M. benignitas permittet et patientia. In cujus unius auxilio fiduciâ repositâ, hoc quicquid est pensi *παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι* suscepi. Cui ipsi, si non plane frustra me laborâsse nec operam perdidisse intellexero, quales agam quantasque gratias!

Quod reliquum est, Commilitones, qui desideratissimi mihi fuistis aut estis Auditores! vivetis, diu vivetis, si quid mea vota valent, felices, mei, sive in hocce adhuc stadio Vobiscum commorantis, seu a Deo jam hinc evocati, non plane immemores. Ita vero vivatis, precor, ac valeatis, ut graviter aegrotanti Christi Ecclesiae vestra proficiat vita ac va-

letudo, Vobisque adeo *Θεοῦ καὶ Χριστȣ̃ συνεργοῖς* esse contingat omnibus!

Dabam in Academiâ Rheno-Trajectinâ, pridie Calend August. a. MDCCCLII; retractabam, ineunte m. Aprili a. MDCCCLIII (1).

---

(1) Spe diutius *Chartarum* hanc editionem differre me valetudo coëgit negotiorumque diversitas ac multitudo.

LIBRORUM CENSURAE.

Die Bücher der Könige. Erklärt von Otto Thenius, *Doct. der Theol. u. Phil.* etc.; *Leipz.* 1849. Pp. 471 et 45.

Hiob. Erklärt von Ludwig Hirzel, *der Theol. Doct.*, etc. *Zweite Aufl. durchgesehen von* D[r]. Justus Olshausen; *Leipz.* 1852. Pp. 265.
(Uterque liber alterum titulum habet: *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Alten Test. Neunte u. Zweite Lieferung*).

Regum Libri, interpretante Ottone Thenio.
Jobi Liber, interpretante Ludovico Hirzelio; *retractante* Justo Olshausenio.

Quod *Societates* ineundi studium ac communi et consociatâ plurium operâ graviores quasque res agendi desiderium aequalium nostrorum vitam regere coeperat civilem ac domesticam; idem ad Litterarum nostrarum cultores manavit ac propagatum est. Quod cum alia multa demonstrant exempla, tum hoc, de cujus duabus Partibus referre nobis animus est, *exegeticum in Vetus Testamentum Enchiridion.* Cujus operis edendi consilium utrum a Bibliopolâ profectum sit, interpretum hanc varietatem atque annotandi brevitatem cupidos allecturam esse lectores sperante, an potius a Viris doctis, pleniori aut expeditiori Sacrarum Litterarum intelligentiae, collatis hisce symbolis, prospicere volentibus, nec scio nec quaerere attinet. Universe autem, ab initio quidem, minus fervida legentium studia hoc excitâsse videtur *Veteris Test.* interpretandi *Enchiridion*, quam vel De-Wettii vel Meyeri opera, quae, haud dissimili enarrationis brevitate,

in Novi Test. tabulis illustrandis versantur. Cujus utriusque libri plures deinceps Partes, brevi temporis spatio, iterum ac ter, immo quater aliquando, prelo subjiciendi necessitas exstitit. Cujusmodi honos Hitzigii XII *Prophetarum Minorum* explicationi, hujusce operis primordia continenti atque a. 1838 emissae, nuperrime demum, quatuordecim interjectis annis, obtigit (1). Idem autem Hitzigius, a. 1841, *Jeremiam*, a sese illustratum adjecit; a. 1847, cum *Salomonis Ecclesiasten*, tum *Ezechiëlis Vaticinia.* Nec alii defuerunt Philologi ac Theologi, qui, quo citius tela pertexeretur inchoata, sui quisque ingenii fructus conferrent. Anno enim 1839 Ludovicus Hirzel Collegae in Turicensium Academiâ exemplum ita secutus est, ut illum in *Jobeïdem* vulgaret commentarium, cujus, ex alterâ eâque nuperrimâ editione, titulum supra adscripsi. Quos Helvetiorum Professores eâdem in palaestrâ *Giessensium* Professor excepit Aug. Knobel, cujus studio illustratum, a. 1843, accepimus *Jesaïam.* Postmodum *Judicum* ac *Ruthae* libri, a. 1845, *Proverbia Salomonis* (2), a. 1847, interpretem invenerunt Ernestum Bertheau, Professorem Goettingensem. Nec asymbolus abire voluit Otto Thenius, sacrorum Antistes Dresdensis idemque Saxoniae Regi consistorialibus a consiliis. Qui, uno atque altero edito optimae frugis opusculo, quo strenue *Euangeliorum* tuebatur fidem historicam, de meliore notâ suum nobis nomen commendaverat ac facultatem. Hic igitur Vir doctissimus, et, a. 1842 *Samuelis* libros, et septennio postea utrumque, qui a *Regibus* vocatur, librum interpretatus, *Enchiridii* auctoribus sese aggregavit. De *priore* quidem illo opere honorifice plerique judicârunt librorum in Germaniâ Censores. *Posterius* vero hoc,

(1) F. Hitzig, *die* 12 *kl. Profeten. Zweite Ausg.* (*Erste Lief. des kurzgef. exeg. Handb.*); Leipz. 1852.

(2) Una cum Hitzigianâ, quam memoravimus, *Ecclesiastis* interpretatione edita.

Postea accessit: A. Knobel, die *Genesis erklärt* (11[te] *Lief. des kurzgef. exeg. Handb.*) Lips. 1852.

de quo uno nunc agimus, acriorem nuper invenit atque iniquiorem, si quid video, judicem Ewaldium (1). Quippe quem leviores, si qui sunt, Thenii errores, quasi capitalia sint peccata, in triumphum ducentem videamus. Quod in singulis fere ejus dictis apparet reprehendendi studium. Immo justam etiam argumenti, quod tractandum erat, cognitionem et judicii integritatem et, ne quid criminum desit, ipsum adeo veri amorem ab auctore abjudicat. In quo si pauca laudat, ne ipsae quidem hae laudes a vituperatione longe absunt. Quae talis tantaque acerbitas vel ex severo exstitisse videtur ac moroso Ewaldii ingenio, vel ex Thenii, non raro ab illo dissentire ausi, sive imprudentiâ seu candore. Verum teneatis, quaeso, Lectores! quam luculenter hîc denuo verissimum confirmatum videamus *Ovidii* dictum:

Pro captu lectoris habent sua fata libelli.

Quem enim Thenii commentarium vix ullâ laude dignum reputârat Ewaldius, eundem nullis non laudibus ornandum et cumulandum et in coelum ferendum esse statuit Rüetschius (2); a quo vero lectam esse censuram *Ewaldianam* non comperimus. Quicquid sit, hoc demum edito libro, insignia Litteras exegeticas incrementa cepisse affirmat; de quo eo se citius referre, quo maturius multa illa Thenii inventa, quorum pars in admirationem adeo rapiat lectorem, ab omnibus cognoscantur, probentur, in commune studiorum nostrorum bonum convertantur. Ejusdem Thenii ad indaganda ac sananda textûs Masorethici menda quantum acumen esset, *Samuelis* librorum jam docuisse interpretationem; sed nunc ita semet eum superâsse, ut cautius etiam, quam antea, et circumspectius et omnino melius rem criticam ageret. Porro, eundem si audias Rüetschium, uni-

(1) Vid. Ewaldii opus: *Jahrbücher der Bibl. Wissenschaft*, 2 *Jahrb.* 1849 (Goett. 1850), p. 53—59.

(2) Vid. R. Rüetschi, sacrorum in regionis Bernensis pago Antistes; in Ullm. et Umbr. *Stud. u. Kritiken*, 1852, I. p. 181—199.

versas quidem *Grammatici* partes recte, quamvis breviter, tuitus est auctor; sed ad quaestiones imprimis illustrandas *historicas*, *archaeologicas*, *geographicas* permulta nova eademque vera et optimae frugis attulit. Verum longum est nec attinet effusas, quibus Interpretem effert Censor, laudes, paucis temperatas illas objectionibus, hoc loco reponere.

In tanto autem hoc judicum eodem de libro dissensu, nostram forsitan modestam epicrisin ne nunc quidem intempestivam habebis nec plane superfluam; cum praesertim non magis Ewaldii nos *ira* moveat, quam Rüetschii *studium*. Universe igitur sic statuo. Multa vere, acute, utiliter dixit Interpres, in quibus non plane desunt, quae novitatis aliquâ luce splendeant. Sed nollem idem historiae sacrae fidem ac veracitatem, quam plerumque strenue tuetur, subinde temere in dubium vocâsset. Nollem de *Regum* libris iterum iterumque refectis ac retractatis ea dixisset, quae majorem ab ingenio commendationem habent, quam a probabilitate. Nollem *Alexandrinorum* Versioni id auctoritatis tribuisset, ac si *Masoretharum* nulla fides esset, nulla in textu constituendo Hebraico cura ac diligentia. Verum haec aliaque, quae nobis quidem non probantur, *Seculi* potius contagioni, non raro optimos etiam inficienti scriptores, tribuenda putamus, quam Interpretis litteratissimi atque universe bene his de studiis meriti vel inscitiae vel negligentiae vel culpae. Sed de singulis, quae maxime in censum veniunt, singulatim.

Librum aperit *Introitus*, brevibus multa complexus ille; unde, quando ne praecipua quidem possumus, pauca certe, age, excerpamus. Thenium igitur si audis, *Regum* hisce libris opus continetur, suis conclusum partibus, nec cum *Samuelis* libris ullam habens conjunctionem. Hanc quidem illius sententiam, de quâ neutram in partem judico, acrius, quam res requirebat, reprehendit Ewaldius. Sed porro Thenium audiamus, ita fere sacris his de monumentis statuentem. Non ab uno aliquo, inquit, hi libri profecti sunt auctore, sed potius variis ex fontibus hausti ac compilati. Operis partes, pro fontium diversitate, aliae plane *historicae* sunt, aliae ex *traditione* derivatae,

sive *mythicae* (1). Nec ejusdem tamen omnes generis nec ejusdem pretii posteriores hae partes habendae sunt. *Alias* enim ex aliorum scriptorum, quorum copiam habebat, annotatis duxit *Refector* (2); *alias* fando propagatas invenit reposuitque; *alias* scripto cuidam, quod *Prophetarum Speculum* dici potest, accepta retulit. *Aliarum* tandem ex posteriore genere partium auctor ipse est *Refector* ille. Sic enim *eum* vocat Criticus, qui, posteaquam in rebus gestis, quas hi, sicuti nunc sunt, libri tradunt, narrandis, mutandis, amplificandis, pro suo quisque ingenio ac consilio, multi versati erant, libros illos, undique collatâ materiâ, in eam, quam habent, formam redigendos curavit.

Atque ita horum librorum et partibus et fontibus descriptis, quae singulis fides tribuenda sit ac veracitas idem exponit Criticus. Ubi tamen sibi non optime constare videtur; certe non satis diserte ac perspicue sententiam exponere (3). *Alia* enim sic ex archetypis ducta esse monumentis existimat, ut summâ fide digna sint. Ab his vero *alia* disjungit ac genere differre statuit, quae, ex *traditione* hausta, proprie atque accurate si dixeris, non sint *historica*. At horum ipsorum *partem* ex *annotatis*, quae priores exaraverant ignoti scriptores, compositam esse putat, *partem* ex illo singulatim, quem *Prophetarum Speculum* vocat, libro. Ubi non video equidem, quomodo quae *scripto consignatis* ex fontibus, qualibuscunque demum illis, hausta sint, *traditioni* deberi dicantur. Verum, quod gravius est, haec ipsa aut eorum longe pleraque *historica* esse vel certe historico niti fundamento, postmodum affirmat. Quae quomodo sibi invicem consentiant alii viderint. Ubi legere inceperis, est

---

(1) Ipse quidem quae ex *traditione* fluxerint a *mythicis* distinguere videtur. Verum distinctionis nec rationem satis intelligo nec fundamentum.

(2) Sic, ni fallor, satis accurate vertere licebit vocem Germanicam, quam hanc ad caussam adhibuit auctor, *Verarbeiter*.

(3) Fortasse nebulas hîc lectori *numeri* offundunt *arithmetici*, qui disputationis partibus distinguendis inservire debent, sed non satis distincte positi sunt.

quasi *Criticae destruenti*, veluti *Molocho* alicui, hodie vel maxime perdendis Sacris Litteris inhianti, insignem hujus historiae partem devorandam concedere velit. Sed mox pedem referens ac dona revindicans, ita disputationem concludit, ut non admodum multa, longe pauciora certe, quam exspectaveras, isti vel *Criticae* vel *Molocho* devoranda relinquantur. Tantum apud *pectus, generoso incoctum honesto*, quod Thenio, si cui alii, tribuendum est, veri sensus valet ac Litterarum Sacrarum veneratio!

Tum de confectorum vel potius refectorum ac concinnatorum horum librorum tempore et loco et auctore disputantem eum audimus. Quae illius disquisitiones quam demonstrant ingenii alacritatem atque eximiam tenuia historiae fila conjungendi solertiam, iniquus sane sit qui non laudet ac praedicet. Verum ne hîc quidem ea desunt, quae vel per se non valde probabilia sint, vel aliis cum auctoris' dictis non optime concinant. Veluti exsilii tempore a regni Judaici cive, Prophetarum discipulo, extra patriam, fortasse in Babyloniâ degenti, *Regum libros*, quales nunc quidem eos habemus, ordinatos ac compositos esse opinatur. Esto sane. *Exsilii* enim tempestatem illam, quam saeva fuit miserae Judaeorum Reipublicae deletrix, tam foecundam fuisse ac fertilem pulcherrimis quibusque eorum libris efferendis matrem, facile sibi persuaderi patiuntur plerique, quibus utimur, aequales. Verum hanc componendi legem secutum nobis informat Prophetarum illum atque Exsilii alumnum, ut plerasque historiae partes, quales relatas eas invenerat, tales plane reponeret, ac ne ea quidem mutanda aut tollenda curaret, quae ad tempus, quo narrationes illae exstiterant, accommodata essent, atque id ipsum tempus, quamvis diu jam *praeteritum*, tanquam *praesens* lectori pingerent. Quam inconsideratum atque inertem eum fuisse sive Auctorem seu Refectorem, cui judicii certe sanitatem ac prudentiam haud pauci vindicant horum librorum loci partesque, non facile crediderim. Sed, si tam inficetus atque ineptus nobis informandus est Refector, quo jure male consutos ac connexos hos ejus pannos suis partibus apte conclusum opus, totum

aliquod suis descriptum limitibus, continere supra dicere potuit Thenius (1)? — *Jeremiae* eum facit imitatorem (2). Cui vero imitationi quem demum locum servilis ista relinquebat, quam ei objicit Criticus, alienarum narrationum compilatio?

De *consilio*, quo hi scripti sint *Regum* libri, porro disputat auctor. Quocum operae pretium est De-Wettium comparare. Hic quidem universo operi consilium tribuit *propheticum* ac *didacticum*. Id igitur spectavit Historicus (nam haec dicti sententia erit) ut *Prophetarum* confirmaret civibusque sancte colendam commendaret auctoritatem. Quod vero si sibi voluit, quid tandem caussae est, cur de *Salomonis* rebus, ut hoc utar, tam copiose referret ac solidas adeo reponeret illius *preces inaugurales*? Quid alia multa prodidit, cum *Vatum* juribus atque auctoritate nihil quicquam conjunctionis habentia? — De-Wettio autem non plane assentiens Thenius *propheticum* hoc consilium uni alicui singulatim tribuit, unde *nonnulla* hausta sint, librorum fonti, *Speculo Prophetarum*. — Mihi quidem, si quod sentio profiteri licet, nullâ facile in re minus prudenter recentissima versari videtur Critica, quam in singulorum Scriptorum Sacrorum *proposito* definiendo, ac *quo* maxime *tendant* (ut vulgo ajunt) conjectando et declarando. Ubi duplicem deprehendere mihi videor errorem, alterum in temere sumto *consilio*, alterum in iis,

---

(1) In *Regum* etiam libros convenit, quod in Thenii de *Samuelis* libris disquisitione reprehendit Weltius, eâ, quam mox accuratius laudabimus, censurâ: »*Non satis accurate*," inquit, »*eum, qui fragmenta tantummodo colligat* »*compiletque*, *ab eo distinxit*, *qui veri nominis Historicus dicendus sit. Modo* huic, *modo* illi *scriptorem assimilavit*."

(2) Ab ipso *Jeremiâ*, viginti forsitan post Hierosolymae excidium annis, conscriptos esse *Regum* libros, suspicabatur Hävernick, in libro: *Handb. der hist. crit. Einleitung in das A. T. Tom.* II. *P.* 1. *Erlangae*, 1839. — Ab eodem *Jeremiâ* et *Samuelis* et *Regum* libros conscriptos esse, qui ab initio unum continuerint opus, postea male divulsum, existimat Car. Henr. Graf, *Theol. Lic.*, *diss. crit. de librorum Samuelis et Regg. compositione, scriptoribus, impr. de rerum a Samuele gestarum auctoritate; Argent.* 1842. 4. De quâ Reussii censura consulatur mox laudanda.

quae agnito huicce consilio *consequentia* esse contendunt. Quod exemplo juvat illustrare, ex re praesenti repetito. In criticis atque exegeticis, quae *Regum* libris adhibenda sint, subsidiis summo jure libros auctor recenset *Chronicorum*, seu *Paralipomenorum*. De quorum usu non pauca vera dicit, quae lectori consulenda commendamus. Verum *illorum* longe majorem esse existimat, quam *horum* fidem historicam. *Chronicus* enim, ait, etsi plerumque quae vera haberet ipse narrâsse videatur, nec omnia promiscue falsa tradidisse, tamen manifesta haec prodit scribendi *consilia:* sacerdotalem tuendi auctoritatem, obedientiam legis severitati praestandam commendandi, tandem cultûs divini, a Moïse ordinati, Institutorum sanctitatem vindicandi. Quo Chronici perspecto ingenio scribendique ratione, nostro judice Critico, vehementer tibi dubitandum erit, multane, quae narrat, ea potissimum, quae id, quod diximus, parere potuit studium, *historicam* habeant, an ab historiâ abhorrentem indolem ac characterem. — Verum enimvero quae *Chronico* Thenius vindicat scribendi consilia, ea, universe si rem spectas, *hujus* non magis, quam caeterorum fuerunt Veteris Testamenti Historicorum. Veluti, eodem nostro monente Critico, qui *Regum* utrumque librum redegit, id sibi voluit ac scribendo spectavit, ut *in foedere, quod cum Deo pepigerat Moïses, constanter se continerent solumque adeo colerent Jehovam* Israëlitae. Quod ab iis, quae *Chronico* obversata esse putat, scribendi propositis verbis potius, quam re differre, quis non videt? — Plane nos assentientes habet Thenius, ubi *non sine consilio* scripsisse Viros sanctos affirmat, nec *nudas* contexuisse, id est, quae ad solam civium delectationem componerentur, rerum gestarum narrationes. Cum enim nullam, nisi ex sincero Jehovae cultu manantem, populo sperandam esse salutem sibi persuasum haberent, ad hanc ipsam sectandam pietatem, haud sine Dei numine, majorum fatis memoriae proditis aequales quisque suos impellere conati sunt. Verum gravissimum hoc consilium non ita profecto assequi voluerunt, immo, quod potius dicendum erat, huic non ita deesse sibi licitum putârunt, ut pro veris falsa narrarent, aut pro certae fidei eventis lepidas

lectoribus inculcarent fabellas. Quod in plerisque adeo rebus, publice gestis illis atque annalium fide et populi memoriâ consignatis, ne facere quidem impune potuerunt. Atque eâ profecto veneratione *Jehovam* prosequebantur Viri pii ac boni, a quo neminem, nisi *vera corde loquentem*, in clientelam admitti novissent (1), ut, si qui alii, ipsi certe *mala facere* noluisse censendi sint, *ut bona inde exsisterent.* Quae cum ita sint, nulla fallacior fingi potest quam haec, quae multis mire placet aequalibus, argumentatio ac *consequentia*: »Hoc illudve consilium, cum Jehovae colendi officio ac cum legislationis Moseae ejusque Ministrorum honore conjunctum persecuti esse videntur Historici sacri. *Ergo* iis certe historiae locis, quibus haec eos spectâsse suspicari licet, veraces habendi non sunt nec fide digni." Quae tamen non adversus Thenium disputo, historiae sacrae fidem longe saepius tuentem, quam in dubium vocantem, sed adversus eos potius, quorum callidae voces nollem sollerti illius ingenio nebulas subinde offudissent. — Dictis hoc unum addendum videtur. Quod *Chronico* crimen objecerat Criticus, sic quodammodo id sibi mitigandum putat, ut multis eum locis bonâ fide egisse dicat, quando, ipsius jam aetate, in pluribus historiae capitibus ferri quaedam inceperat *traditio* (2); quae igitur imprudentis illius pepererit scriptoris errores. Verum haec, si quid video, laus est, quam nullus non deprecetur candidioris indolis Historicus. *Multis* enim *locis* si bonâ fide egit; aliis non item eum fecisse sequitur. Incertam si non raro secutus est traditionem, temere atque inconsiderate scripserit necesse est, et boni Historici muneri atque officio turpiter defuerit. Sed haec nunc quidem de horum Codicis Sacri librorum fide ac veracitate dicta sufficiant.

In Critices atque Exegetices subsidiis recensendis, quae libro-

(1) *Psalm.* XV: 2.

(2) Pag. XII. *Eine an einzelne Worte geschichtlicher Texte sich anlehnende Auslegungstradition.*

rum, a *Regibus* dictorum, interpreti varios praestent usus, dimidiata fere *Introitûs* Theniani pars versatur. Unde pauca jam, quae *Chronica* spectabant, excerpsimus. Longe plurima vero, loco exclusi, taciti praetermittimus; universe multa hîc ingeniose, copiose, docte disputata reperiri monentes. Verum nulla me magis advertit hujus disputationis pars, quam quae de *Versione* agit *Alexandrinâ*. Ubi vide, quam mirae sint et quam inexspectatae opinionum, quae variis placeant temporibus, conversiones. Huic enim, quod diximus, subsidio summam, in *Novi Testamenti* interpretatione, auctoritatem Schola vindicabat *Ernestina*. Quam vero ejus auctoritatem ita jam antiquatam esse novimus, ut plerique, qui hîc recte sapere censentur, ad illius acriter reprehendendum *abusum* longe procliviores sint, quam ad *usum* commendandum ac definiendum. Amissum vero hunc in *Novi Foederis Hermeneuticâ* honoris locum abunde compensat supremum fere, quod sibi in Veteris Testamenti *Criticâ* concessum videt, jus et suffragium. Textum enim *Hebraicum*, quem, *Masorethaurum* curâ constitutum, *vulgatum* dicimus, tot ac tam gravibus mendis vitiisque inquinatum esse plerique statuunt, qui nunc feruntur, interpretes, ut ne Ludovicus quidem Cappellus ejusque sectatores, qui Seculo XVII eximie *Critici* audiebant, acerbius de hujus textûs depravatione conquesti sint. Quorum vero *Cappellianorum* plerique cum a *conjecturis* quisque suis textûs vulnerum remedia sibi petenda putarent, qui nunc eorum de receptâ recensione judicia sequuntur, Isaäci Vossii aliorumque exemplo ad *Alexandrinorum* prae caeteris auctoritatem vix crediderîs quam multos V. T. locos emendandos esse contendant ac refingendos. Quorum interpretationi quod multum, quod plurimum tribuunt, laudo equidem et assentio. Sed idem doleo, quo majore jure illos ex Aegypto Medicos arcessere videantur, Masoretharum eos curam, prudentiam, religionem, quam omnia testificantur, pro nihilo ducere; nec paucos adeo, quorum integritas nullâ eget medicinâ, locos temere sollicitare. Ac quae de Versionibus antiquis, ante hos multos annos, universe monuit H. A. Schultensius, Semiticarum olim lumen Lit-

terarum, non dubitandum quin ad Alexandrinam singulatim applicanda sint. »*Interpretes*," inquit, »*cum vel linguae inscitiâ,* »*vel oscitantiâ quâdam ac negligentiâ saepe in vertendo peccaverint, saepius etiam mendosam lectionem in codicibus suis habuerint, cum denique ipsae hae versiones, partim injuriâ temporum a pristinâ puritate deflexerint, partim de industriâ interdum corruptae sint et interpolatae, oportet profecto Criticum* »*in harum varietatum judicio magno cum delectu versari* (1)." Haec ille, qui sane a Buxtorffii caeterorumque, qui olim dicebantur, *Anticriticorum* superstitione vehementer abhorrebat.

De aliis ne dicam aequalibus, Thenium quantus cepisset memoratae Interpretationis amor, luculenter commentarius demonstravit, quo, ante hoc ipsum decennium, Samuelis libros illustravit. Eduardo Reussio enim, Censori doctissimo (2), si fides est, nec longe certe a vero eum aberrare novimus, horum librorum locis adeo 385 Hebraica corrigenda commendat, idque ita, ut locis 295 *Alexandrina*, aliis *quinque et quinquaginta* caeterarum Versionum aliqua Medica adhibeatur. Aliam si forte cognoscere juvat harum emendationum computationem, quae ad unam aliquam singulatim referatur *Samuelis* librorum particulam; Weltium audiamus, cujus etiam ipsius lectu dignum de commentario judicium exstat (3). Quo igitur monente, cum *prioris libri Samuelis Caput primum duodetriginta* contineatur sectionibus, earum *viginti et unam*, *Alexandrinorum* plerumque ex auctoritate, refingendas putat Thenius; ut *septenae* tantum intactae maneant sectiones. Quam immoderatam Hebraica sollicitandi libidinem a binis improbari, quos diximus, Censoribus, quamvis benevolo utroque, nemo mirabitur. Quid vero

---

(1) Vid. *Biblioth. critica*, a Wyttenbachio edita, Vol. I. P. 1. p. 88.

(2) Vid. E. Reuss, in Ephem.: *Neue Jenaische allg. Lit. Zeit., ad m. Majum* a. 1843. N°. 110 *sqq.*

(3) B. Welte, doctissimus ille *Herbstiani in V. T. Introitûs* Editor, vid. in Ephem.: *Tubing. cathol. Theol. Quartalschrift; ad ann.* 1843. 3. p. 494 sqq.

Hitzigius (1)? Quod ipsi adeo libri laudatores summo jure reprehenderant, in magnis id ejus virtutibus reponit; quippe qui, Versionis illius ope, multa feliciter sanaverit. Est scilicet, quasi alteri plaudens sibi plausum quaesierit, ejusdem audaciae si quis alius, socius Hitzigius.

Sed, hoc misso Viro docto atque ingenioso, de Thenio porro videamus; quem in *Regum* libris corrigendis prudentius ac modestius, quam in *Samuelis* libris versatum esse, cum Rüetschio, Censori, quem supra dixi, Helvetio, consentio, tum laudo laetorque. Quamquam vel sic tamen nimis frequentia manere *prisci vestigia ruris*, id est nimiae cum Alexandrinorum admirationis, tum Masoretharum contemtionis, quo majoris hunc facio Interpretem, eo impensius doleo. In *Introitu* quidem, ubi *critica* recenset *subsidia*, caeteris Versionibus antiquis praeferendam esse *Alexandrinam* jure statuit, de eâ autem in hanc fere sententiam disputat. Principatum obtinet *Romana*, quae *Vaticano* ex Codice, ducta est, editio. Hanc ipsam quidem editionem permultis inquinatam videmus scripturae erroribus, lacunis, trajectionibus, repetitionibus, additamentis. Verum longe pleraque haec vitia non ipsi objicere jubet Interpreti accuratissimo, sed librariorum potius, codices describentium, negligentiae ac socordiae. Interpretis enim, ait, summam fidem ac religionem plerumque reposita demonstrant ipsa verba, immo litterae Hebraicae, atque expressae lectiones, quas vitiosas esse facile videret ipse. Neque enim paucis vitiis inquinato lacunisque usus est Codice Hebraico. Immo tantâ erat religione, ut, si quas non intelligebat aut dubias suspectasve habebat voces, Hebraicos earum sonos Graecis litteris rescribere mallet, quam Graecorum in linguam *vertere*; ita tamen ut in solis Idolorum nominibus reddendis majore uteretur libertate. Caeterum tantae huic ejus fidei non semper

(1) Ab hoc conscripta censura vid. in E. Zelleri, *theol. Jahrbücher*, ad a. 1843. 2, p. 278 sqq. — Conferri etiam potest Rheinwaldii *allg. Repertor. der theol. Lit. ad m. August.* a. 1844.

parem esse facultatem apparet. Ex Hebraici enim sermonis inscitiâ nonnulli subinde interpretationis errores exstiterunt.

Sic igitur Versionis, de quâ agimus, admiratorem strenue ejus caussam agentem, bona laudantem, errores excusantem audimus. Qui profecto et alia vere dicit, et verissimum hoc, permultos ejus locos turpiter a librariis corruptos esse. Nam *Augiae* illam stabulo comparandam esse, ad quod exhauriendum *Hercules* aliquis requiratur, patrum jam memoriâ scite monuerat magnus ille Valckenarius. Num vero, in tantâ hâc mendorum antiquitate, varietate, multitudine, quid verum ac germanum sit, omnibus aut plerisque certe locis, probabiliter expiscari, nedum certo affirmare possimus, vehementer me dubitare profiteor. Thenii quidem haec ratio est. Ipsi adeo Versionis recensioni *Vaticanae* sive *Romanae*, quam caeterorum longe praefert testimoniis, severissimum sese praebet atque audacissimum castigatorem. Multa passim, quae non placent, tollit. Quae omissa opinatur, adjicit atque inserit. Quae a sensûs sanitate atque ab iis textûs Hebraici locis, qui commode labefactari nequeunt, nimis manifesto recedunt pro lubitu mutat, trajicit, refingit. Qui vero ex hac, quam diximus, criseos severitate remanet aut ejus operâ constituitur textus, hunc ipsissimam repraesentare Interpretis manum affirmat. Cui igitur sic expurgatae scripturae *Graecae* si non satis conveniunt, quae vulgantur, *Hebraica*, his pessima quaeque a Critici manu atque arte reformidanda sunt. Cujus in disputatione ingenium laudamus ac solertiam; cui difficile non foret ex inquinatissimo quovis veteris aevi libro purissimum efficere. Cujus tamen non paucis locis num germana sit reposita auctoris scriptura, pari probabilitate in utramque partem disputare possis. — Porro Criticus, ut eum, quem vult, exitum habeat disquisitio, ac sua Versioni constet praestantia, frequenter admodum eum, quem longe meliorem purioremque habet, textum *Romanum* sive *Vaticanum* ex longe deteriore, quem judicat, *Alexandrino* refingendum putat. Ubi denuo disputationis consequentiam desidero. Quodsi enim, exiguo illo *quatuor primorum Capitum* spatio, tot locis, quot (p. XIV)

affirmantem eum videmus, *hâc* ex recensione corrigenda sit *illa;* quidni contrario judicio potior censeatur *Alexandrina?* — Tum aliud quid est quod scrupulum mihi injiciat. Thenium enim si consulis, ipse, quo usus est Interpres, Codex *Hebraicus* inquinatissimus erat, atque ea subinde continebat, quae ne sanam quidem sententiam haberent, et quae tamen, utut corrupta, verba verbis reddens, reponere non dubitaret ille (1). Quod si ita sit, quis tandem *Oedipus* erit, qui singulis locis quid in Codice illo legerit Interpres divinando assequi possit? Cum praesertim *punctis vocalibus* carente exemplo Hebraico usum esse Alexandrinum multa doceant argumenta. Ad quem permultorum errorum fontem, hâc certe in disputatione, non satis attendisse Criticum, est quod mireris.

Tandem, ne quod Alexandrino desit honoris ornamentum, huic etiam ipsi nonnulla praesto fuisse scripta *monumenta* demonstrare studet, unde qui *Regum* libros in ordinem redegit Refector Hebraicus suas hauserit narrationes. Cujus sententiae probandae caussâ haec affert argumenta. Subinde, inquit, locorum in textu Hebraico male divulsorum partes discerptas recte conjunxit suasque in sedes restituit. Alias, quae quâcunque tandem de caussâ memoriae prodere noluerat *Refector*, *Graeco* suo in opere desiderari non passus est. Immo ejusmodi aliquando usus est libertate, ut eorum, quae in *Regum*, ut tunc quidem se habebant, libris scripta exstabant, nullam plane rationem haberet, aut certe ibi relata longe diverso sui operis loco poneret. Quae vero argumenta ut nos diluamus opus non est. Hîc enim *Alexandrino* Interpreti, qui *Regum* libros Graece se conversurum receperat, intolerabilis illa tribuitur licentia atque audacia, quâ, pensi oblitus, eorum auctori plane refragaretur atque adversaretur; quippe qui ne ea quidem silentio presserit, quae hic efferri noluisset. Hiccine est idem ille Alexandrinus, quem supra tam

---

(1) Ex disputatione haec consequuntur, *Introitus* pag. XVI proditâ. Quamquam, *ibidem* p. XIV, non ita abjecte de Codicibus, quos secutus sit Alexandrinus, judicare visus erat.

religiosum ac superstitiosum finxerat Criticus, ut absurda dicere mallet, quam ab Hebraicis vel tantillum recedere? Haec sibi non constare, ac nimis repugnantem indolem eidem homini tribuere moresque et agendi rationem, me non monente multi videbunt lectores.

Sed haec hactenus. Neque enim reliquas *Introitûs* partes eâdem ratione persequi nobis spatii concedit angustia. Quoniam autem de *Alexandrinae* singulatim Interpretationis pretio atque usu critico disputantem audivimus Thenium, nonnullos certe locos afferamus, ubi in librorum, qui a *Regibus* nomen habent, textu constituendo *illius* vel repudiet vel sequatur auctoritatem. Quo facto longe cautius eum ac prudentius ut plurimum in singulorum locorum lectione judicandâ versatum esse, quam ex praemissâ sperare licuerat disputatione, mihi, ni fallor, assentient lectores. Incerto vero cursu ne vagetur disputatio, *prioris Regum libri Caput octavum* evolvamus, atque ex Salomonis precibus inauguralibus, quae *sect.* 23 *sequentibus* consignatae exstant, judicii Theniani specimina quaedam ducamus.

Sect. 23. Pro *plur.* לעבדיך LXX *singulari* numero habent τῷ δούλῳ σου, alia aliis adjicientibus Codicibus. Interpretis studium apparet h. l. proximae sectioni 24 conformandi, ubi in *sing.* dicitur לעבדך. Rectissime igitur Thenius, de lectione mutandâ nihil monens, priore loco tacite, qui vulgatur, *pluralem* tuetur. Neque aliter Syrus Interpres et Arabs.

Ad sect. 23 sententiam quod attinet; verba אין כמוך a plerisque cum אלהים conjunguntur, *nullus Tui similis Deus est.* Quam quidem interpretationem non prorsus improbat Thenius; sed modeste tamen sibi praeferendam videri significat *Chaldaei* rationem, vocab. אלהים a proxime praecedentibus sejungentis, ac cum sequentibus copulantis; ut haec sit verborum divisio ac sententia: *Nemo Tui similis est! Deus* (i. e. Tu qui Deus es) *in coelis ac terrâ* caet. Sic enim Salomone dignius fore Deoque Spiritui convenientius enuntiatum. Laudo equidem sa-

sapientissimi Regis honori prospicere volentem Explicatorem. Nec tamen impurae notionis quicquam ex alterâ exsistere video ratione; dummodo saepe in V. T. אלהים eos dici memineris, *qui Dii haberentur, Numinum instar colerentur.* Veluti ipse adeo dixit *Paullus* (1 Corinth. VIII. 5): *Ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί* (1). — Tum justo brevius est atque abruptius, a caeteris sejunctum, dictum אין כמוך, orationis praesertim initio. Tandem videat Interpres intelligentissimus velim, nonne hâc, quam praefert, sententiâ assumtâ cum *articulo* dicendum fuisset האלהים. Quae grammatica animadversio caussam continere videtur. Sed nihil haec ad judicium de lectione.

Sect. 24. Ex Vers. Al. *Cod. Vaticano* aliisque interpretatio excidit verborum את אשר־דברת לו, quae Cod. reddit *Alexandrinus: ὅσα ἐλάλησας αὐτῷ*, Syro consentiente et Arabe. Eo facilius oculorum errore haec omitti potuerunt, quoniam mox eâdem hâc sect. idem recurrit verbum *ἐλάλησας*. Plures certe hîc haesisse videntur librarii: nam alii aliud habent. De lectione nihil monuit Thenius.

Ibidem in fine verba sunt Hebraica כיום הזה. Pro quibus LXX praebent *ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη*. Satis absurdam hanc interpretationem et alii libri habent et ipse *Vaticanus*. Quamquam ejusmodi Codicum Graecorum dissensus est, unde quid prima scripserit manus non facile expedias. Quicquid sit, vulgatam nec sollicitat et recte explicat Thenius.

Sect. 26 *initio*. Ante vocabb. אלהי ישראל, omnes, quantum novimus, Graeci Codd. inserunt *Κύριε*, ut, pleniore Dei compellatione, eos legisse appareat יהוה אלהי ישראל. Quam eandem lectionem et plures habent apud Kennicotium ac De-Rossium Codd. Hebraici, et antiqui Intpp. praeter Chald. omnes. Cui obsecuti auctoritati nomen יהוה inserendum putant

(1) Cf. etiam cum *Ps.* LXXXII. 6 Christi dictum *Joann.* X. 34. 35.

Scheidius et Stronckius (1). Non improbabiliter sane. Quamquam fieri potuit ut ex sect. 23 et 25, vel ex alterâ harum precum recensione, quae 2 *Paralipp.* VI consignata exstat, flueret lectio. Sine interposito judicio eam commemorat Thenius. Quam in Graecae Interpretationis admiratore vix exspectaveras prudentem reticentiam. Lectionis varietatem plane non attigit alter Explanator recentissimus Keilius (2).

Ibidem in fine. Pro verbis דברת אשר דבריך et caeteris, quae ab initio scripserint aut non scripserint LXX, qui sciverit dicat velim. Ego quidem me nescire fateor. *Vaticanus* enim sic breviora fecit Hebraica: *τὸ ῥῆμά σου τῷ Δαυὶδ τῷ πατρί μου.* Plenius vero Cod. *Alexandrinus: τὸ ῥῆμά σου, ὁ ἐλάλησας τῷ δούλῳ σου Δαυὶδ τῷ πατρί.* Quibus si in fine addideris pronomen *μοῦ*, nihil erit ex textu Hebraico quod desideres. Atque eundem fere textum, minus tamen plenum uterque, *Syrus* et *Arabs* expresserunt. Masoretharum in vulgatâ lectione tacite acquievit Thenius.

Sect. 27. Ad verba על הארץ illud ipsum *μετὰ ἀνθρώπων* adjecerunt *Alexandrini*, quod, in alterâ precum recensione, 2 *Chron.* VI. 18 Hebraice exstat. Quam lectionem *archetypam* dicit ac praeferre videtur Criticus. Quâ vero in re Viro doctissimo non assentior. Misso enim hocce additamento, optime sibi constat disjunctionis ratio, quâ *coeli* et *terrae* invicem opponuntur. Atque ad talia inculcanda proniores erant antiqui Interpretes, quam ad ejicienda. Ne de *Chronici* auctoritate dicam, quae forsitan ad interpolandum h. l. valuit.

Ibidem. Verba לא יכלכלוך plerique omnes *Graeci* Codd. ver-

---

(1) *Ille* vid. *Thes.* VII post primum *Specim. philol. crit. in Jesaïam; hic* in annot. ad opus utilissimum: *Bijbelsch Huisboek*, III. 271.

(2) Vid. Karl Friedr. Keil, *Commentar über die Bücher der Könige; Moscov.* 1846.

tunt *οὐκ ἀρκέσουσί σοι.* Nec aliter loco parallelo, 2 *Chron.* VI. 18. Melius *Vulgata: Te capere non possunt; Syrus* et *Arabs: Te non capiunt. Alexandrinorum* autem interpretatio ex non intellecto loco potius, quam ex aliter lecto repetenda videtur. Recte certe receptam lectionem retinet explicatque Thenius; nec eosdem curat Interpretes, sectionis fine verba inculcantes: *τῷ ὀνόματί σου.*

Nec minus laudabiliter caetera pleraque explanat. Sed quod, hujusce sect. 27 *initio*, particulam כי solam hanc vim habere affirmat, ut graviter proximam aperiat interrogationem; videat et ipse et, quem laudat, Hitzigius, ne ad *vagam* istam nos reducant *laxe* interpretantium rationem; quibus olim in deliciis inane dictum erat: *Est particula transeundi.* Mihi quidem כי ab omisso quodam pendere videtur cogitato, quod, etsi Regis menti repraesentaretur, fervidâ precatus animi commotione, non diserte enuntiaverit. Proximâ petierat sect. 26, ut, quod *Davidi* datum erat, ratum fieret promissum. *Quod eo majore fiduciâ se petere posse sibi persuasum habet,* quando eâ magnitudine ac potentiâ Jehova praecellat, cui ne coelorum quidem ambitus latissimus, nedum terra limites ponat.

Sect. 28 *initio.* Verba אל תפלת־תחנתו plerique Versionis Alex. Codices, in quibus ipse etiam *Vaticanus*, sic contrahunt, ut solummodo substituant *ἐπὶ τὴν δέησίν μου.* Pleniora habent *Cod. Alexandrinus* paucique alii. Utrum veriora ac germana, quis dixerit? Eo majus sane hîc aberrandi ac quaedam omittendi librariis periculum erat, quo similiora proxime, eâdem hâc sectione, sequentia. Thenio breviorem sese non probâsse lectionem apparet. Ipsum etiam *Chronicon* plane eâdem ratione, quâ nostro h. l. a Masorethis vulgata exstant, hujus sectionis dicta refert; nisi quod ultimum omittit vocabulum היום.

Sect. 29. Vocabula לילה ויום eodem hoc, quo in textu Hebr. collocata sunt, ordine reponunt Verss. Vulg., Chald.,

Arabica, item Graecae Vers. Codex *Alexandrinus*. Inverso vero ordine יומם ולילה loco parallelo, 2 *Chron.* VI. 20, scriptum exstat. Atque hoc Syra secuta est ac Graecae Vers. Cod. *Vaticanus* aliique. Neque enim, quod ex Thenii annotatione efficias, hîc Graecae Interpretationis Codd. consentiunt. Duplici vero nomine idem nobis laudandus est Criticus. Qui cum vulgatum verborum ordinem, nostro certe loco, recte tuetur; tum, unde ineptum exstiterit Alexandrinorum additamentum, sectionis fine verba ἡμέρας καὶ νυκτὸς repetentium, accurate docet. Quo tamen cum contextum non inquinaverit princeps ed. Complutensis, recentiori potius interpolatori tribuendum videtur glossema, quam ipsius Interpretis errori.

Sect. 30. Postrema bina verba ושמעת וסלחת minus accurate vertunt LXX καὶ ποιήσεις καὶ ἵλεως ἔσῃ. In quibus ea plerorumque certe Codicum concordia est, quae vix dubitare sinat quin a primâ manu haec repetenda sit interpretatio. Melius *Vulgata*, cui se assentire profitetur Thenius: *Et cum exaudieris propitius sis* vel *eris*. Recte etiam *Syrus* atque *Arabs*. — Quod ad *Alexandrinos;* fortasse variandae tantum orationis caussâ, sicuti diximus, verterunt, quando bis jam eâdem hâc sectione verbo εἰσακούειν usi erant. Cum praesertim infra, sect. 34, accuratius eandem reddiderint locutionem.

Sect. 31 *initio.* Prima hîc exstant verba Hebraica: את אשר יחטא איש. Quae verterunt LXX: ὅσα ἂν ἁμάρτῃ ἕκαστος, vel, ut alii habent, ἄνθρωπος. Laudandus autem Thenius, qui diserte hâc illorum improbatâ interpretatione, fere ut *Vulg.*, *Syrus*, *Arabs*, vertit: *si peccaverit* caet., ad verbum: *hoc sumto eventu ut peccet.*

Sed, ecce! video ac doleo non satis mihi spatii suppetere, ut, sicuti cogitaveram, reliquas etiam harum precum partes perlustrem, ac Thenii cum Alexandrinorum rationibus contendam.

Quocirca, quamvis invitus manum inhibeam, pauca tantum inde, caeteris missis, delibabo.

Sect. 32. 34. 36. 39. Omnibus his locis pro Hebr. השמים *Alexandrini* praebent ἐκ τοῦ οὐρανοῦ vel, quod pauci subinde Codd. praeferunt, sine art. ἐξ οὐρανοῦ. Atque idem, praeeunte *Chronicorum* auctore, exprimunt *Chald.*, *Syrus*, *Arabs*. Thenius vero, nullâ Graecae Interpretationis mentione factâ, in vulgato horum locorum textu Hebr. videtur acquiescere. Nec ego dissentio.

Sect. 33. Pro sing. אויב omnes, quantum notatum inveni, Codd. *Alex.* praebent plur. ἐχθρῶν; consentiente Vers. *Vulg.* Majore libertate *Syrus* usus est et *Arabs*. Nihil monet, in cujus opere versamur, Criticus.

Sect. 36. *Plur.* עבדיך vertunt LXX τοῦ δούλου σου. Legisse igitur videntur *sing.* עבדך. Caeterae vero pleraeque Verss. textum exprimunt Hebraicum. Quem etiam ipsum strenue adversus LXX defendit Thenius.

Sect. 37. Pro verbis בארץ שעריו, nullâ Codicum varietate memorabili, praebent LXX: ἐν μιᾷ τῶν πόλεων αὐτοῦ. Quod autem omnibus idem placuisse Versionibus, solâ exceptâ *Vulgatâ*, Criticus affirmat; nonne *Targum* etiam excipiendum est, propius ad Hebraica accedens illud? Veteres igitur legisse existimat באחת עריו, *in unâ ejus urbium;* quod omnino praeferendum putat. Verum quidni legere potuerunt באחד שעריו, *in unâ ejus portarum*, idque paullo liberius, sicuti facientem audivimus Alexandrinum, reddere? Quam ipsam veram et germanam fuisse lectionem, suspicati sunt Scheidius et Muntinghius (1). Quorum sane sententia a leviore commendatur

(1) Utriusque dicta memoravit Stronckius l. l., *hujus* etiam J. C. F. Schulzius, *Scholl. in V. T. Norimbergae*, 1785, Tom. III. ad h. l.

textûs mutatione ac majore adeo probabilitate. Soli enim voci בארץ substituto באחר, intactum relinquit שעריו. — Necdum tamen facile mihi persuadere possum, longe difficiliori lectioni vulgatae, quae non hoc tantum, sed item *Chronicorum* loco parallelo, scripta exstat, faciliorem, quae nemini molestiam parere poterat, substituendam esse. Cum praesertim magnum praesidium habeat recepta in *Moïsis* dicto, *Deuteronomii* Cap. XXVIII, sect. 52, ubi eadem fere sententia plenius enuntiatur בכל־שעריך בכל־ארצך. Quo respexisse videtur Salomo. Locum igitur, vel plane sicuti vulgatur lectum, vel unâ auctum litterâ, quae facile excidere potuit, sic verterim: *in terrâ, in ejus portis*, id est, in interioribus terrae partibus ipsisque adeo illius urbibus; sive praeverbium ב ante שעריו ex praegresso בארץ supplendum esse censeatur, seu in textum restituendum. Quodsi forte ellipsis *illa* hîc admitti non posse censeatur, *haec* certe facillima est medicina. Versiones autem loci, quem non plane intelligerent, sententiam liberius, ut poterant, expressisse puto.

Sed satis exemplorum attulisse videmur, quibus appareret Thenium, quamvis magnis in *Introitu* laudibus *Alexandrinos* ornâsset, saepe tamen, ubi singulorum locorum lectio judicanda erat, re et ratione suadente, eorum auctoritatem repudiâsse aut plane non curâsse. Ac tam caute non raro hîc versatus est, ut eundem te nunc dicentem audire Criticum, cujus cum commentario in *Samuelis* libros notitiam contraxeras, vix aut ne vix quidem credideris. Nec tamen a Rüetschii, criticam ejus operam universe valde praedicantis, judicio dissentiendum est, qui nunc etiam subinde justo cupidius id eum egisse monet, ut difficiliores textûs lectiones, quarum subtilius inquirenda erat interior ratio, veterum Interpretum auctoritate in faciliores alias commutaret. Profecto enim *Alexandrinorum* singulatim in usu eo major commendanda est prudentia, quo luculentius vel pauca illa, quae laudavimus, exempla *modo* quid ipsi scripserint non satis nobis constare docuerunt, *modo*, ubi constat, non tam re-

ligiose Hebraica eos reddidisse, quam commentario praemissa Thenii disputatio probare studebat.

Quomodo universe horum librorum in *interpretatione* versatus sit Explanator, si quaesiveris; paucis mihi defungendum est. In plerisque igitur historicam illam ac grammaticam sequitur rationem, cujus *ἀκρίβεια* non immerito hodieque laudari consuevit. Rüetschius quidem *idealem* hîc desiderat ac *theologicam* interpretationem. Quod vero miror equidem iniquius ipsius adeo laudatoris judicium. Nam *idealis* quid sibi velit interpretatio, ipse melius, quam ego, noverit; *theologica*, si forte alibi requiratur, ab hujus certe *Enchiridii* consilio finibusque plane excludebatur. — Multa, quin plurima brevibus complexus Auctor, tam concise scripsit, ut tenuium potius *Scholiorum*, quam justi *Commentarii* rationem ac formam habeat annotatio. Quae vero illius brevitas magis etiam laudanda foret, nisi subinde inculti quid atque obscuri sibi adjunctum haberet. Etsi enim universe minus saepe, quam Hitzigius aliique, qui hodie celebrantur, Interpretes, clare ac perspicue scribendi officio defuit Thenius; vellem tamen apud ipsum etiam nullae S. C. locorum *interpretationes* exstarent, quarum ea sit obscuritas, quae suâ denuo vice *interpretis* operam requirat. Unde fit subinde ut, urgente ac propellente librario, limam operi adhiberi non potuisse suspiceris. — Multa passim tacite praetereuntur, quae Hebraeorum ex antiquitate, quae populorum Orientalium ex moribus et institutis, quae aliis ex fontibus illustrari vel debuerant, vel certe commode potuerant. Cujus generis utilissimis animadversionibus inserendis locus profecto non defuisset, si minus necessaria, id est ea, quae nullam requirebant explicationem, explicantia, seponere placuisset. Verum, quia nonnulla desint, ea quae recte dicta adsunt, qualia hîc permulta, suis defraudare laudibus injusti sane sit judicis.

Caeterum quod affirmantem audimus Rüetschium, multa hîc nova reperiri eademque verissima; in *archaeologica* certe ac *geographica* hanc laudem convenire puto. Ubi imprimis in cen-

sum venit disputatio *de Hierosolymae urbe ac templo quale ante exsilii tempus fuit utrumque.* Quam disputationem, ternis illustratam tabulis lithographicis, si opus, quod nunc concludit, aperiret, illius πρόσωπον τηλαυγὲς dicturi fuissemus. Nam, etsi ne hîc quidem omnia pariter probanda puto, praestantissimam tamen hanc operis partem dicere non vereor. Quâ commentatâ ac depromtâ, tam bene de *Geographiâ* ac *Topographiâ sacrâ* meruisse videtur Interpres, ut, qualecunque tandem de caeteris libri partibus, pro captu lectorum, feratur judicium, hujus certe doctissimae appendicis caussâ de illo edito laetandum sit. Nam ipse etiam Ewaldius, cujus quanta sit in Thenium iniquitas atque acerbitas omnia docent, hujusmodi in rebus laudabiliter eum ac diligenter versatum esse non fateri non potuit. Me vero si forte auctore uti velint lectores; equidem, *ubi plura nitent*, ne *maculis offendantur* suadeo, quas *Seculum* illevit, cujus vitiis magis magisque, quod speramus, immunem se praestabit, a doctrinâ jam nunc paratissimus, hic Sacrarum Litterarum Interpres.

Commentarius in Jobi librum, auctore Lud. Hirzel, *retractante* Justo Olshausen.

Tam diu Thenii nos detinuit opus, ut de Hirzeliano hoc pauciora, quam volueramus, dicere possimus. Nec vero multis opus est in libro, cujus prior editio, ante hos plures jam annos emissa illa, doctrinae sacrae amantibus satis nota est, et honorificis Censorum judiciis commendata. Quam enim pri-

mam, in Rheinwaldii Diario proditam (1), legi censuram, ipsum Interpretem atque hunc singulatim ejus Commentarium a modestiâ. sobrietate, prudentiâ, doctrinae copiâ laudare memini. Quo a judicio in plerisque non dissentiens H. Rhode, Vir doctissimus, *perspicuitate* imprimis ab Hirzelio longe superari Hitzigii in eodem genere scripta merito affirmat (2).

Sed non ultimus nobis memorandus erat Stickelius, cujus testimonium, quo tempore jam praematurâ morte exstinctus erat libri Auctor, in lucem editum, auditu sane dignum est. Cum praesertim ipse hic Censor, multis explicatis *Jobeïdis* locis, in melioribus libri gravissimi Interpretibus justum sibi locum vindicaverit (3). Stickelius igitur ita fere de Hirzelii libro: »*Sepositis*," inquit, »*quae Lexicorum sunt ac Grammaticorum,* »*quod ita lucri fecerat, spatium cum suis tradendis inventis tri*»*buit, tum novis, necdum ad S. S. illustrationem adhibitis,* »*peregrinatorum animadversionibus. Ubique cautum se demon*»*strat et accuratum nec penso suscepto imparem Interpretem.* » *Vanâ spretâ novitatis gloriolâ, quae antiquiores recentioresque* »*dixerant interpretes ita consulit, ut suum cuique tribuat. At*»*que eorum, quae ad singulas voces locutionesque illustrandas* »*attulerant, clarum ac perspicuum lectorum oculis offert con*»*spectum. Nec minus lucide ac concinne suarum ipse senten*»*tiarum copiam iis facere solet. Atque, hocce adeo edito libro,*

---

(1) Vid. *allgem. Repert. f. d. theol. Lit. u. kirchl. Stat. ad m. Januar.* 1840, p. 1. sqq. Libri Hirzeliani titulum plenius supra retulimus p. 19.

(2) V. *theol. Literaturbl. z. A. K. Zeitung, ad a.* 1842, N°. 144.

(3) Vid. J. G. Stickel, *das Buch Hiob — übersetzt mit exeg. u. krit. Bemerkungen; Lips.* 1842. — »*Quam arcte omnes totius Jobeïdis partes cohaereant,* »*ac quam certa* Elihui *singulatim sermonum sit auctoritas; haec sunt, quae praeclare* »*imprimis ab eo demonstrentur.*" Sic recte cl. Welte, in: Drey, Kuhn &c. (*Tüb. kath.*) *theol. Quartalschrift,* 1842. 2. p. 326 sqq. Similes etiam laudes Stickelii liber ab aliis tulit Censoribus, in multis quamvis ab eo dissentientibus. Vid. J. A. Hoffman, *in theol. Literaturbl. z. A. K. Z. ad m. Jul.* 1842. N°. 80; — Ed. Reuss, in *A. Hall. Lit. Zeitung, ad m. Decembr.* 1842, N°. 210 sq.; — Rheinwaldii *allg. Rep., ad m. Sept.* 1844, p. 195 sqq.

»*suo ipse sepulcro honoris monumentum posuisse censendus est.*
»*In tantis tamen Commentarii laudibus reprehendendus est Auc-*
»*tor, quod ad textum sollicitandum Masorethicum nec pauco-*
»*rum locorum mutandam lectionem multo cupidiorem, quam par*
»*erat, sese demonstravit. Nec recte sermonum, qui* Elihuo *tri-*
»*buuntur, in dubium revocat germanam auctoritatem.*"

Haec et alia Stickelius (1). Cujus ultimis dictis hoc unum nunc habeo quod adjiciam, in quo tamen non magis Virum clarissimum me assentientem habere, quam plerosque alios aequales, non ignoro (2). Hirzelius quidem in Aegypto compositam esse *Jobeïdem* putat ab auctore, quem, anno 611 A. C. N., hanc in terram una cum Rege Joachaso deportâsset Pharao Necho. Meus vero nisi me fallit sensus, divino in Carmine ille viget, quem aliâ in re vocavit Ruhnkenius (3), χνοῦς

---

(1) In Ephem. *N. Jenaische A. Lit. Zeitung, ad m. Sept.* 1842, N°. 212.

(2) Stickelius quidem ante exsilium in Orientali Palaestinae tractu ad Meridiem vergente Carminis auctorem habitâsse putat; unde *Chaldaismos* exstitisse. — Ewaldius (a quo non longe recedit De-Wettius, *Einl. ins A. T.* 6^{tae} ed. p. 436) non diu post Jesaïae tempus scriptam putat Jobeïdem, subjugato jam *Ephraïmi,* ad interitum vergente *Judae* regno. Sic Ew. in op: *die poët. Bücher des A. T.* Tom. III, *Gött.* 1836, coll. comment. in Zeller, *Theol. Jahrb.* T. II. 1843, p. 711 sqq. — Hujus opinione acrius reprehensâ, Censor (in *theol. Literaturbl. z. A. K. Z.* 1838, N°. 8) propter Chaldaïsmos Chaldaïco tempore scriptum Carmen dicit. Quod vero 900 annis A. C. N. factum esse contendit A. W. Krahmer, *Gedanken üb. das Buch Hiob. u. s. w.; Marb.* 1838. — Contra C. W. Justi (*Hiob. neu übersetzt u. erläutert, Cassel.* 1840) sic statuit. Ex multis, qui de Jobo ferebantur, mythis paullatim coaluit Carmen, Salomonis aetate ab eximio quodam Poëta ordinatum, postea a Refectore denuo retractatum. — Ejusdem Regis aetate ab *Hemane* Esrachita compositum putat F. A. Holzhausen, et in op. *Uebersetzung des B. Hiobs,* Gött. 1839, et in Ephem. *Journ. für Prediger,* 1834, p. 331 sqq. A quo non longe recedit J. G. Vaihinger, et in libro: *Das B. Hiob — metrisch übersetzt u. s. w.* Stuttg. & Tub. 1842, et in Diar. *Stud. u. Krit.* 1846. 1. p. 159 sqq. *Illic* enim *Moïsem* inter et *Salomonem* vixisse putat auctorem, *hîc Salomonis* aequalem eum dicit. — Alii aliter. Nam recentissimos tantum nonnullos memorare volui.

(3) In *praefat. praemissâ Homeri Hymno in Cererem, nunc primum edito* (L. B. 1782) p. X.

ἀρχαιοπινὸν, sive *robigo vetustatis*, quae in *Patriarcharum* potius, quam in *Nechonis* aetatem conveniat. Hujus profecto tempore nec sentiebant ita nec scribebant mortales.

Sed his nunc quidem missis, quid in opere retractando praestiterit Olshausenius videamus; quâ de re, novâ praemissâ praefatione, nonnulla dixit. Quamquam major illius pars arctiorem cum Editoris de optimâ interpretandi ratione placitis conjunctionem habet, quam cum Auctoris, cui novam destinabat editionem, interpretatione. Haud paucis igitur libri paginis brevem, nonnullis uberiorem Olshausenii subjectam vides annotationem, Auctoris vel confirmantem dicta vel reprehendentem. Sed in ipso etiam operis Hirzeliani contextu plura, quam ab initio destinâsset, sese mutâsse dicit ac refinxisse. In quibus diserte res recenset ad Grammaticam Hebraicam pertinentes ejusque locutiones technicas; ubi ab illo se subinde dissentire satis clare significat. Quamquam alia non pauca, quae nec ipsa probaret, ut priore editione scripta erant, reposuit. Quâ de agendi ratione quid alii sentiant nescio. Ego quidem vellem unâ certe litterulâ, ubi opus erat, appositâ, quid Hirzelio, quid sibi deberetur, indicâsset. Sic enim ne illi ea tribuerentur cautum esset, quae, in vitam si forte redux, pro suis agnoscere nollet. Caeterum certum ac deliberatum edendi libri consilium non secutum esse Olshausenium satis apparet. Quem tamen laudare malumus, quod bonae frugis commentarium iterum idque magis nitide, quam antea, edendum atque aliquantum adaugendum curaverit (1), quam, quod in alieno opere nimium sibi sumserit, acriter reprehendere.

Jam ingenii doctrinaeque Hirzelianae, ad *Jobeïdis* interpretationem collatae, unum certe alterumque specimen afferamus, ex gravissimo illo *Capite septimo* ductum, quo et universae ho-

(1) *Posterior* editio chartam habet candidam, nec ita fuscam, ut *prior*; *haec* post praef. pp. 254, *illa* pp. 265; iisdem fere utrâque litterarum typis expressâ.

minum vitae miseriam et suae imprimis sortis atrocitatem flebili voce deplorantem audimus Jobum.

Hoc igitur Capite primum *quarta* nos advertit *sectio*, quae quam longae atque infinitae miseris *noctes* videantur ipsaeque, quibus proxime praeceduntur, *vesperae*, naturam imitatâ simplicitate depingit. Locum, quem alii aliter et distribuerunt et enarrârunt, in plerisque assentiente A. Schultensio et Heiligstedtio (1), sic vertendum puto:

Cum decumbo: ecquando, inquam, mihi surgere licebit? (i. e. ecquando tandem dies adveniet, quo illucescente commode de lecto surgere possim, surgere certe vulgo solent homines?)

Enimvero ipsam protrahit vesperam (Deus);

Variisque corporis volutationibus ad crepusculum usque conficior (proprie satior) *matutinum.*

Quod hîc legimus, vocab. מִדַּד multi pro nom. verbali habent a th. נָדַד, *effugit*, ductum vertuntque: *Et quando nox effugiet?* Ita Rosenmull., De-Wettius, Gesenius, Vaihingerus, alii. Sed nihil quicquam est, quod tam insolitam voci vim subjicere suadeat. Ac dubitare certe licet, num ita simpliciter positum voc. עֶרֶב *noctem* significare possit. Quod diserte negat Hirzelius. Quocirca praestat sane, et illo praeëunte et Lud. De-Dieu (2), Michaëlide, Eichhornio, Herdero, Stronckio, Umbreitio, Heiligstedtio aliisque, *cum* v. מִדַּד a th. מדד ducere, cujus sit Praeteritum Pihhel, *tum*, quamvis dissentientibus eorum, quos diximus, nonnullis, voci עֶרֶב ordinariam vindicare *vesperae* notionem. Ipsam enim a Deo prorogari *vesperam*, quam igitur longe graviora etiam ac pejora *noctis* instanti tempori minitari, conqueritur miser. Quod superest, hoc cum dicto מִדַּד־ערב non inepte

(1) Vid. A. Heiligstedt, *comment. grammaticus in Jobum;* Lips. 1847. Optimae frugis liber, quem Commilitonibus ut consulant et cum Hirzelio comparent suadere soleo, alteram habet inscriptionem: Maurer, *comment. in V. T. Vol.* IV, *Sect.* 1.

(2) *Crit. S.* p. 109.

forsitan quis comparet, in *Arabsiadis vitâ Timuri* (1), Arabicum ظل ممدود, *umbram longe protensam.*

Quae, postremo ejusdem sect. 4 membro, sequitur vox נְדֻדִים, haec etiam ipsa, dummodo recte explicetur, graphice afflictissimi Viri conditionem deformat. Nonnullis quidem, veluti H. A. Schultensio (2), *anxiae curae* esse videntur. Ad quos proxime accedentes Alexandrini, liberius nec accurate, praebent: πλήρης δὲ γίνομαι ὀδυνῶν. Verum significantur potius, ex verbi proprietate, illius *volutationes*, qui, quo se vertat insomnis ut doloris sensum fallat, nesciens, modo in *hanc* partem malis enectum versat jactatque corpus, modo in *illam*. Sic, ne Van-Der-Palmium, Stickelium, Heiligstedtium aliosque memorem, rectissime Hirzelius; qui toto hoc loco explicando Semiticarum Litterarum Statorem secutus est Alb. Schultensium.

Magis magisque pungente acerrimo doloris sensu, *sectione quintâ decimâ* sic denuo conquerentem audimus Jobum:

> *Quocirca suffocationem mihi meus exoptat animus,*
> *Mortemque his meis ossibus praefert.*

Quorum haec sententia est, abruptâ brevitate, in summo, qui cogitari possit, angore enuntiata: »Tam intolerabiles sunt, quibus excrucior, dolores, ut suffocari malim aut quocunque tandem mortis genere perire, quam in miserrimo hoc diutius degere corpore." Ac praeclare nobis judicii sanitatem probat Hirzelius, quod ab hâc, quam unice veram esse satis constat, explicatione a nemine se deduci passus est. De priore enim sectionis hemistichio ne dicam, pro eo, quod in posteriore scriptum exstat, מֵעַצְמוֹתָי, Reiskium secutus, H. A. Schulten-

---

(1) Ed. *Mangerianae* Tom. II. p. 240. Cf. Willmeti *Lex. ling. Arab.*, v. مدّ.

(2) Vid. H. A. S., *het boek Job, uit het Hebr. vertaald, met aanmerkk., na deszelfs dood uitgegeven en voltooid door* H. Muntinghe; Amst. 1794.

sius, litterâ מ in ב conversâ, legendum putat מְעַצְּבוֹתָי, *meis doloribus.* Quam conjecturam, quae minus pulcrum minusque poëticum nobis efficit locum, elegantissimo se probare potuisse Interpreti mirari subit. Alia Umbreitii atque Arnheimii (1) ratio est, vulgatam, quam recte retinent, vocem explicantium: *meis ex ossibus* sive *membris*, ut mortem significârit Jobus, quam suis sibi manibus inferre pararet. Enimvero non magis contexta oratio, quam alii Carminis loci, quicquam habet, quo de morte sibimet consciscendâ illum cogitâsse suspicio nobis nascatur. A cujus potius consilii temeritate atque audaciâ plane abhorruisse videtur, quâ Deum venerabatur, pietas. Caussam vero quod continet, עצמות, nullâ adjectâ definitione, *manus* significare posse, nemo probavit, nec facile quisquam probaverit. Hâc autem voce contemtim *corpus* dici, ex quo, dirissimam per tabem carne ac cute denudato, sola fere *ossa* remanerent, recte monuit, cujus in commentario versamur, Interpres. Atque idem de *elephantiacis*, subitâ non raro *suffocatione* pereuntibus, consulendus est.

Non magis consentiunt interpretes in explicandâ voce, quae, quem attigimus, locum *ineunte sectione sextâ decimâ* proxime sequitur, מאסתי. De quâ cum omnia memorare longum sit, duas certe referre juvat sententias, quarum utraque nostrâ hâc in patriâ magni nominis patronum invenit. Altera, quam commendavit H. A. Schultensius, primum hocce *sect.* 16 vocabulum cum *sectionis* 15 binis postremis ita conjungit, ut connexae voces מות מעצמותי מאסתי, pro quarum mediâ, sicuti vidimus, legere mavult מעצבותי, vertantur: *mortem minoris facio, quam ossa mea,* vel, alterâ ex lectione, *quam dolores meos.* Quae si vera sit interpretatio, conjuncta tria haec vocabula sententiam habeant, ab illâ non longe recedentem, quam nos, ex vulgatâ lectione versuumque distributione, postremis *sect.* 15

(1) Vid. ad h. l. H. Arnheim, *das Buch Job übersetzt u. vollständig commentirt*, *Glog.* 1836.

verbis subjiciendam esse monuimus. Verum, ne alias memorem, quae Schultensianam hanc rationem premunt, difficultates, notio obstat verbi מָאַס, quod, collato Arabico مَأَصَ, semper est *aversari*, *abominari*. Quod olim nos docentem audivi J. H. Paravium, cujus Praeceptoris doctrinae atque institutioni quanta debeam, nunquam obliviscar.

Plane diversâ ratione post alios Van-Der-Palmius ita *absolute* dictum putat verbum, ut non magis superioribus, quam sequentibus, nexa desperantis vox sit: *fastidio*, *omnium rerum me nausea cepit.* Verum haec etiam usui loquendi non satis convenire videtur interpretatio.

Alias aliorum rationes esse novimus. Sed omnium optima videtur ac facillima, quam, praeeunte Piscatore et Versione, a Reformatis Nederlandis publice receptâ, Heiligstedtius commendat et Hirzelius, ut sit מאסתי *aversor ab illis*, *ossibus* nimirum, proxime memoratis, id est a corpore, carne et cute nudato atque ab elephantiasi turpiter foedato.

Sed haec nunc quidem dicta sufficiant. De iis enim, quae in libro desiderentur aut minus probanda videantur, post jure reprehensam a Stickelio textûs Hebraïci mutandi cupiditatem, denuo monere nihil attinet. Cum praesertim fato jam functus sit Auctor litteratissimus. Nec alia, quantum memini, vitia hicce habet ejus Commentarius, nisi quae ipsi cum laudatissimis quibusque aequalium in hoc genere operibus, aut certe cum plerisque hujus *Enchiridii* partibus communia sunt (1).

---

(1) His dudum scriptis atque editioni fere paratis, Ewaldii censuram legi, quam nuperrime *quartâ Parte*, a. 1851—1852 complectente, depromsit operis: *Jahrb. der bibl. Wissenschaft.* Ubi Hirzelium Interpretis muneri non satisfecisse contendit, atque Olshausenium igitur, quem ab acumine laudat ac doctrinâ, totum potius opus reficere oportuisse. Recte tamen hunc fecisse asseverat, multa Hirzelii, ad Grammaticam imprimis pertinentia, dicta refingentem atque emendantem, nec textui Masorethico serviliter se mancipantem. Quamquam audaciores nonnullas leniter reprehendit ejus conjecturas. —

Me quidem mei non poenitet, quod supra prodidi, judicii; nec Hirzelium consuluisse lectores, confido, poenitebit. Merito autem Ewaldius, quamvis Olshausenio favens, ea improbat, quae novâ libro praemissâ *praefatione*, de Veteris Testamenti dixerat interpretatione, quae adhuc plane incerta sit nec quicquam habeat evidentiae. Quam *Scepticismi hermeneutici* insaniam acriter admodum idem castigat Censor, ubi, ejusdem hujus *Annalium Partis* pag. 52 seqq. de Eduardi Reusz Commentario refert, qui dicitur: *Die LXVIIIste Psalm. Ein Denkmal exeg. Noth u. Kunst, zu Ehren unserer ganzen Zunft errichtet;* Jen. 1851. Hic enim, ridiculâ fere protervia, longe vehementius etiam eandem ferierat incudem. Scite vero docet Censor, quod me quoque subinde monentem audierunt Commilitones, si Sacris in Litteris incerta sint omnia atque ambigua, quam celerrime nobis adeundam esse *Romam*, ubi unice certam illarum nobis praestet interpretationem, vel sequendam potius praecipiat Pontifex Maximus. Quod omen avertat Deus! — Et vel sic tamen *laudatorem* invenit Reuszius Censorem in *theol. Literaturbl. z. A. K. Z.*, 1851, N°. 130.

Krit. exeg. Kommentar über das Neue Testament von Heinr. Aug. Wilh. Meyer, *Doct. der Theol.* etc. VII[te] *Abtheilung, den Brief an die Galater umfassend. Zweite verbess. u. vermehrte Auflage; Goett.* 1851 (1).

Krit. exeg. Komm. über das N. T. von H. A. W. Meyer etc. X[te] *Abth. Die Briefe an die Thessalonicher. Bearbeitet von* D[r]. Gottlieb Lünemann; *Goett.* 1850.

Epistola ad Galatas, interpretante H. A. W. Meyero. *Epistolae ad Thessalonicenses, interpretante* Theophilo Lünemanno.

Pauca mihi omni tempore innotuerunt opera exegetica, quibus tam secunda afflaverit fortunae aura, quam *Commentariis,* sive, si forte mavis, *Scholiis*, quibus Novi Foederis libros illustrare instituit Meyerus, qui olim Harstae prope Goettingam sacrorum Antistes erat, jam in regni Hanoverani metropoli *Regi a consistorialibus* est *consiliis,* nec ignobilis ibidem dioeceseos *Su-*

---

(1) Quod priore loco hujusce libri titulum apposui, temporis rationem non habui, quando Lünemanni opus satis diu ante hujus commentarii Meyeriani in ep. ad Galatas *alteram editionem,* de quâ pauca dicere juvat, emissum est. Sed hoc nimirum illius nomini dandum videbatur, qui princeps totius operis auctor est.

Caeterum vix est quod moneam ab ipsius *Novi Testamenti editione* profectum esse opus, quae, *Knappianam* plerumque secuta textûs recensionem, inscribitur: *Das N. T. Griechisch, nach den besten Hülfsmitteln kritisch revidirt mit einer neuen Deutschen Uebersetzung* etc. *Goett.* 1829.

perintendens ac *Pastor primarius*. Nam charta profecto mihi deficiat, si omnia memorare vellem judicia honorifica, quibus singulas deinceps operis partes ornaverint Viri docti. Ubi unus instar omnium nobis Fritzschius sit, Theologus primum Rostochiensis, postea Giessensis, nobilissimus. Hic enim Meyerum, scholiis in N. T. scribendis, de nostrâ hâc aetate singulariter plane meruisse affirmat, eamque demonstrâsse artis explicatricis peritiam, quae Auctori in praestantissimis adeo, quos hoc tempus extulerit, Interpretibus principem honoris locum vindicaret. Atque idem De-Wettianum singulatim in epistolam ad *Romanôs* commentarium Meyeriano nullâ fere ex parte aequiparari posse contendit (1). Quid quod ipse De-Wettius, praefatione commentarii in epistolas ad *Corinthios*, hunc prae caeteris Interpretem fuisse profitetur, qui multis sese demeruerit officiis, quippe cujus enarratio judicii subtilitate cernatur atque acumine excellat (2). Quae sane De-Wettii laus eo memorabilior nobis habenda est, quo saepius ab illâ interpretandi ratione, quam unice se sequi profitetur Theologus *Hanoveranus*, diversus abit ipse ac dissentit. Cum praesertim hanc eum rationem oblique quidem, nec obscure tamen tetigisse constet, ubi acerbe aliquando de horum dierum conquerebatur *nasutâ arrogantiâ philologicâ* (3). — Postquam Meyeri laudandi tales tantique Viri veluti signum extulerant, quid mirum, si multae ac frequentes ejus merita praedicantium voces passim auditae sunt? Veluti Censor aliquis Röhrianus, de ejus referens in epistolam ad *Romanos* commentario, praestantiorem etiam hunc esse contendit, quam eum, quamvis praestabilem, quo *Euangelia* ornâsset. »*Ita*,"

(1) Sic fere C. F. A. Fritzsche, in: *Allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeitung*, 1837, N°. 124 et 126.

(2) Vid. De Wette, *Kurze Erkl. der Br. an die Corinther; Lips.* 1841, iterum *ibidem* 1845.

(3) Germ. *philologische Kleinmeisterei*. Vid. praefatio comment. De-Wettiani in *ep. ad Rom.* ex ed. primâ a. 1835. Haec, quae alterius editionis (a. 1838) praefatione repetierat, severe reprehendit Censor in: *Allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeitung, Erg. Bl.* 1838, N°. 28.

inquit, »*eorum, quae illo de scripto adhuc alii dixerant, sum-*
»*mam reponit*, *ut tamen plane* suus *appareat. Quo facto in* »*longe meliorem, quam quo adhuc fuerat, locum epistolae inter-* »*pretationem adduxisse censendus est* (1)." — Alio mox consulto Censore, *Philologiae hodiernae luce plane se collustratum demonstrâsse Explicatorem* moneor, atque *eximiam lectoribus eruditionis copiam probâsse* (2). — Sed, age, Willibaldi Grimmii etiam, veterani Theologi Jenensis, recens proditum judicium audiamus, quo loco de Meyerianâ epistolarum ad *Philippenses*, *Colossenses*, *Philemonemque* interpretatione copiose refert (3). Hic igitur eum, de quo agimus, Interpretem ipsi etiam De-Wettio ab eruditionis philologicae copiâ antecellere dicit; unde fiat, ut grammaticas res ac lexicographicas majore, quam ille, diligentiâ atque evidentiâ interpretetur. Tum, Fritzschio quidem mortuo, summum Meyero hoc in genere locum una cum Winero assignandum esse declarat. — Sed, ne longus sim, alia multa mitto, quae notaveram, non minus honorifica judicia.

Nec est sane quod effusas has, quibus Interpretem certatim prosecuti sunt aequales, miremur laudes plaususque. Nam et suis se meritis tuetur minime vulgaribus, nec quemquam novi, qui et vehementius antiquatum vituperaverit, quem hodie contumeliose vocant, *Empirismum* exegeticum, et sese *unice rationalem* sequi interpretationem *grammaticam* ambitiosius professus sit. Ac nullâ profecto ratione nec professione efficacius ac meliore successu huic se commendare potuisset Seculo, quod severae *litteram* interpretandi *accurationi*, vel verae illi vel opinatae, summa quaeque tribuit, nec raro inepta atque absurda sacris tribuere mavult Scriptoribus, quam de adamatâ hâc vel minimum remittere severitate. Sed haec in minorum veluti gentium interpretes magis convenit reprehensio, quam in eum, de quo dicimus,

(1) Vid.: Röhr, *krit. Prediger Bibliothek*, 1838, P. I. p. 17 sqq.

(2) Vid.: *Allgem. (Hall.) Lit: Zeit. Apr.* 1838, *Erg. Bl. zur* N°. 29.

(3) Vid.: *Theol. Literaturbl. z. allg. Kirchen-Zeitung*, 1850. N°. 14—18. Ubi alia multa in Meyeri honorem dicta exstant.

quemque nos etiam, insignia propter merita, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων habemus, Virum litteratissimum.

Nec tamen pridem defuerunt qui ne ipsum quidem Meyerum semper hîc, sicuti par erat, cogitâsse μή τι ἄγαν contenderent. Veluti mature jam *Pedantismum* ei hermeneuticum Censor aliquis objecit; cujus caussam nimis effusum arguit *rationalis*, quam vocant, *interpretationis* studium. Unde fiat ut et *emphases* quaerat, ubi nullae sint, et ne ibi quidem a *Graecorum* usu loquendi discedat, ubi *hebraïzare* Scriptores satis appareat (1). — Haec ille. Aliter, nec magis amice, qui, Tholuckii sub auspiciis, de ejusdem Auctoris *Interpretatione Euangeliorum* ita fere retulit (2). » *Universe quidem,*" inquit, » *sanum secutus est* » *explicandi genus grammaticum; sed nihil magnopere novi pro-* » *tulit. Atque his fere finibus ejus merita terminantur, quod* » Hermanni, Ewaldii, Wineri, *item* Wahlii *disquisitiones* » *et inventa scienter suos in usus contulerit. Quod ipsum intel-* » *ligentior quisque hodieque facere solet. Universe autem eandem* » *rationem praeiverant antiquiores. Caeterum rerum intelligen-* » *tiae plane non prospexit Interpres; qui crassioris Rationalista-* » *rum Scholae asseclam se praebet.*" — Sed haec hactenus. Nam acerbiora etiam, quae adjicere non dubitat Censor de animo, quem prodiderit, in Ecclesiam infesto Vir doctus, ea praeterire malo, quam referre. Cum praesertim in alia omnia eaque longe meliora postea vel discesserit, vel certe sese inclinaverit Meyerus. — Majorem procul dubio et a lenitate et ab aequitate commendationem habet judicium, in Rheinwaldii *Repertorio generali* proditum, quod De-Wettii Meyerique comparat in utramque *ad Corinthios* epistolam commentarium (3). Cujus comparationis hic exitus est, ut, utriusque virtutibus liberaliter admodum neo immerito laudatis, non *Hanoverano* Theologo, sed

---

(1) Vid.: *Theol. Literaturbl. z. Allg. Kirchen-Zeit.* 1834. N°. 79. p. 633 sqq.

(2) Vid. commentatio, quae inscripta est: *Exegesis Novi Test.* in: Tholuck's *literar. Anzeiger für Christl. Theol. u. s. w.* 1834. N°. 14. p. 105 sqq.

(3) V. Rheinw. *a. Rep. m. Sept.* 1843, p. 103 sqq.

Basileënsi palma adjudicetur; quippe qui, illius quidem bonorum consors sit, ab ejusdem autem vitiis immunem se praestiterit. Ubi et alia et haec: »Meyeri severitas *exegetica*," inquit, »*subinde in ejusmodi rigorem abit, qui contortas pariat ex par-* »*tium studio profectas explicationes, nec integro ac libero men-* »*tis intuitu totum scripti tenorem et ambitum complecti sinat* »*Auctorem. Ex quâ igitur enarrationis* severitate *tandem ali-* »*quando huic contraria exsistit explicandi laxitas.*"

Sed haec, quo postmodum redeundi nobis opportunitas erit, nunc quidem missa faciamus; ac duobus adjectis monitis generaliori huic censurarum conspectui finem imponamus. Primum igitur operis laudatorum multitudine atque auctoritate magis magisque obrutos esse vituperatores videmus, horumque plerosque non sine amplâ aliquâ honoris praefatione ejus vitia memoranda duxisse. Neque igitur est quod supra dictorum de rarâ atque inusitatâ, quae Auctori contigerit, felicitate nos poeniteat.

Gravius alterum est monitum nec omnino hîc praetermittendum. *Euangeliis* quidem priore vice explicatis ita Scepticum egerat, ita multa de eorum fide detrahere studuerat, ita universe in Rationalistarum partes secedere visus erat, ut non posset non prudentiorum Theologorum in justam incurrere reprehensionem. Quod ex iis, quae prodita audivimus, quibus ejusdem generis alia facile adjici possent, judiciis satis jam apparuit. Ecce vero! prodiit, aliquot ante annos, novis Auctoris curis expolitus hic in *Euangelia*, synoptica quidem, commentarius; cujus jam plurimis locis, quibus ea, quae dixi, studia offecerant, multum medelae afferebat altera editio. Quod ejusmodi erat, ut nunc *sensuum, Christiano* homine dignorum, quibus cerneretur interpretatio, pietatem ac profunditatem laudare non dubitaret Klingius, Theologus gravissimus (1). Quid, quod eodem fere tempore

---

(1) Vid. cl. Kling, in *Studiën u. Kritiken*, 1848. 4. p. 992 sqq. — Commentarii Meyeriani in *Euangg. Matth. Marci Lucaeque* prior editio prodiit *Goett.* 1832. Quam excepit *altera*, *Matthaei* quidem a. 1844, *Marci* vero *Lucaeque* a. 1846.

Lübkerus, cujus etiam ipsius auditu dignum est testimonium, ab ineunte usque ad exeuntem librum sic ubique sacram hîc explicari historiam affirmaret, ut ex verâ fide Christo habitâ manâsse interpretationem eluceret. Quamquam nunc etiam non satis ubique sibi constitisse Virum meritissimum, atque in Critices altioris quaestionibus subinde fluctuantem, aliquando *mythos* in Euangeliorum narrationes inculcare studuisse, summo jure dolet Censor ac reprehendit (1). Nobis quidem ex tali illâ ac tam salutari sensuum sententiarumque conversione blanda spes affulsit fore ut, si quanda *tertiâ* editione Euangeliorum interpretatio repetatur, nulla amplius pristini Scepticismi ac gravissimis in rebus inconstantiae vestigia remansisse appareat.

Ex instituto ac naviter continuato hocce opere quamvis magnos uberesque laudis fructus percepisset Auctor; tandem tamen in pensi honorisque consortium juniores aliquos advocare socios atque adjutores consultum duxit. Quod consilium cum ex adauctis exstitisse gravissimi muneris, quod Meyero demandatum erat, occupationibus, tum ex officio novas identidem parandi Partium jam vulgatarum editiones, brevissimum narrat, quod commentario in epistolas *ad Thessalonicenses* praemissum exstat, monitum. Reliquorum enim Novi Foederis librorum explicationem nimis diu differri ac retardari non magis ipse volebat, quam velle lectores compererat. Ac magnam sane longi ejusdemque difficilis itineris partem suo Marte feliciter emensus erat;

Commentarii in *Joann. Euang.*, *ibid.* primum a. 1834 emissi, nuperrime demum, exeunte fere a. 1852, nova exstitit editio, quae *secundam* se profitetur ac *plane retractatam*. Quamquam diu antea jam ita typis repetitum esse opus monet Auctor, ut hanc, quae nullis expolita esset novis curis, repetitionem *alterius editionis* nomine dicendam non putaverit. Quicquid sit, *Joannis* etiam interpretatio multis jam partibus emendata exstat.

(1) Vid. Frid. Lübker, in Reuteri *allg. Repert. Jul.* 1848. p. 1 sqq. Cf. paullo diverso in genere censura, auctore cl. Fleck, in *theol. Literaturbl. z. A. K. Z.* 1847, N°. 26, 27.

ad publicum usum deinceps illustratis, praeter *Euangelia* et *Acta*, epistolis ad *Romanos*, utrâque ad *Corinthios*, ad *Galatas*, *Ephesios*, *Philippenses*, *Colossenses Philemonemque*. Quam profecto felicitatem Viro, nostris de Litteris optime merito, ex animo gratulemur oportet. Jam vero primas, quae instabant, partes, id est modo memoratas interpretandi ad *Thessalonicenses* epistolas, Lünemanno tradidit. Quem strenue secutus Joh. Ed. Hüther, ejusdem sub auspiciis Meyeri, primum ad *Timotheum Titumque* epistolas enarrandas sibi sumsit, nec ita diu post *utramque Petrinam* ac *Judae* epistolam (1). Sed de Hüthero forsitan alias. Jam enim et de refecto veterani Interpretis in epistolam ad *Galatas* commentario pauca nobis dicenda sunt, et de novâ, quam a Lünemanno collatam videmus, symbolâ. Quamquam de universâ *illius* ratione et ex aliorum de priore editione (2) testimoniis et nostris ex dictis satis jam constitit. Est haec igitur re et veritate aucta atque emendata editio, quâ eorum, quae post publicatam priorem ad Apostoli scriptum illustrandum ab aliis allata sint, monitorum diligentem se rationem habuisse, non fallax nec rerum gestarum jactator affirmat Auctor. Cujus mihi certe apprime placet nova praefatio, eleganter nec sine orationis nervis scripta illa. Quâ et epistolae *plane Paullinae* praestantiam debitis praedicat laudibus, et justâ cum indignatione Brunonis Baueri repudiat audaciam, qui nuperrime hujus quoque, quo nullum testatius est, scripti convellere studuerat auctoritatem (3). Quem vero ne accuratâ qui-

(1) *Goett.* 1850 et 1852.

(2) Prodiit Goett. 1841, pagg. habens 218, quarum numerum eum in modum auxit altera, ut habeat 246.

(3) Hujusce Baueri recentissimum opus exstare, cum prioribus ejusdem generis non confundendum illud, novimus, quod inscripsit: *Kritik. der Evangg. u. Geschichte ihres Ursprungs; Berl.* 1850. Cui ipsi operi bina adjecit *Supplementa*, quorum alterum item *Epistoll. Paullinarum Criticen* dixit. Hujus igitur Suppl. priores 75 pagg. non Paullinam esse pugnant ep. *ad Galatas*, nec quicquam continere, nisi ex epp. ad *Rom.* et ad *Corinthios* inepte atque inficete conflata quaedam cogitata. Ecce vero! quasi credulos ludat lectores,

dem refutatione dignum pronuntiat. In quibus si me plane assentientem habet; non minus indubitato assensu laudo proboque quae de *Christianorum* subjicit *libertate*, cujus caussam hîc praeclare egerit Apostolus, quamque nos, praeeunte Luthero, sartam tectam conservare oporteat.

Lünemanni brevis est ac modesta praefatio, quâ et easdem, quas secutus erat Meyerus, interpretandi leges sese servâsse profitetur, quippe quas unice veras habeat, et universam libri sui rationem ad ejus exemplum conformâsse. Quo facto fore sperat ut laudis, quae illi summo jure obtigit, in aliquod certe consortium admittatur. — Tum *et prioris* et deinceps *posterioris* ad *Thessalonicences* epistolae enarrationi brevem praemittit *Introitum*, ubi cum alia tangit, quibus tractandis ejusmodi destinari solent scriptiones, tum *Paullinam* utriusque epistolae originem a Bauri aliorumque captiunculis succincte atque argute tuetur.

Erunt fortasse veterani Interpretis admiratores, qui, ubi illius opus continuare instituisse juniorem alium compererint, *imparem* eum *congressum Achilli* putent. Cujus jam nunc haud dubia quaedam auspicia vidimus iniqui judicii. A quo vero nos ita dissentimus, ut, nisi hunc eâdem, qua illum, aut simili certe palmâ dignum habuerint aequales, nimium potius nominis *Meyeriani* favorem ei obfuisse existimaturi simus, quam sua defuisse nec ea mediocria merita. Sed quo certior dictorum fides sit, utriusque commentarii paucos certe locos seligamus, atque ad evidentes illas leges exigamus, quae in nullius non libri, sive

---

postmodum ipsam etiam *ad Corinthios priorem* epistolam a Paullo abjudicat. Cf. prae caeteris Ewaldii *Jahrb. der bibl. Wissensch. III*[te] *Jahrb.* 1850—1851, p. 236 sqq. — Ne quis forte, quo Meyeri verba spectent, ignoret, paucis haec notanda putavi.

His jam editioni paratis, seorsim etiam evulgatum esse memoratum istud Baueri *Supplementum* comperi, atque inscriptum esse: *Kritik der Paulin. Briefe. Erste Abth. Der Ursprung des Galaterbriefs; Berol.* 1850. Cff. quae indignabundus scripsit Censor in *theol. Literaturbl. z. A. K. Z.* 1852, N°. 131.

sacri seu exteri, et scripturâ judicandâ et interpretatione definiendâ vim habent atque auctoritatem.

Primum igitur dicti memores Quinctilianei: *enarrationem emendata praecedat lectio*, de parte *criticâ* videamus. Ubi minus commode, quae animadversiones ad singulorum locorum lectionem constituendam promendae videbantur, eas singulorum Capitum explicationi uno deinceps tenore praemissas esse, plures fuerunt qui jure conquerentur Censores. Quo sane instituto quae rei naturâ proxime conjuncta erant, non raro divulsa apparent. Atque haec ratio, quae nec brevitati consulit nec perspicuitati, nobis etiam eo magis improbanda videtur, quo minorem auctoritatem habere, et quo recentioris originis esse hodiernam *Capitum*, quorum ipsorum finibus *critica* Meyeri annotatio terminatur, distributionem inter omnes constat. Lünemanno igitur si forte, quod speramus, aliorum etiam N. T. scriptorum explicatio mandetur, ut hoc meritissimi Antecessoris exemplum deserat optandum videtur.

Sed haec, quae formam solummodo aut locum annotationis attingunt, leviora sunt. Gravius est atque omnino hîc monendum, plerumque ex sanis Critices legibus de variantium, quae offerebantur, pretio ac probabilitate et Meyerum judicâsse et Lünemannum, neque alterutrum impegisse in scopulum, ut vel, Lachmanni exemplo, Codicum, qui antiquissimi dicuntur, scripturam coecâ fere fide reponerent, vel, pejore etiam aliorum instituto, certae illorum auctoritati conjecturarum audaciam aut minus testatarum lectionum levitatem temere praeferrent. Sic plures laudari possunt loci, ubi de variantium origine ac ratione acute omnino et probabiliter disputent, nec aliorum in judicio se secure acquievisse luculenter demonstrent. Nec nunquam tamen paullo leviore operâ gravissimam hanc rem egisse videntur, atque alibi justo confidentius sententiam tulisse, alibi quae instituti ratio requirebat monere neglexisse. Ac velim equidem ipsi videant, quorum judicio plurimum tribuo, Viri acutissimi, nonne eorum, quos attingemus, locorum unus certe alterque datâ opportunitate retractandus sit.

Galat. I. 15, ante ὁ ἀφορίσας με, vulgo adjectum legitur ὁ Θεός. Quod vero omittunt B. F. G. 20, tum plures, quamvis non constantissime, Patres, veluti Irenaeus, Chrysost., Theodor., tandem ex Versionum numero Peschito. Nam omnes hîc memorare testes non opus est. Eos igitur secuti, lectionem repudiant, certe non tuentur, Mill. Griesb. Borgerus (1), Schott. De-Wett. Lachm. Tischendorfius; dubitante tamen Rueckerto. Atque hic quidem eorum, quos dixi, testium auctoritatem sic enervare studet, ut aliorum, qui retineant, veluti A et D, suffragium opponat. Verum si vel neutram in partem judicii lancem inclinare *externa* concedamus argumenta; ipsa tamen lectio tam manifestum glossema librariorum continet, talia inculcare solitorum, ut nullâ ope defendi posse videatur. Cum praesertim neminem, nisi *Deum*, significari luculenter doceant adjecta, nec, omissâ voce, de loci sententiâ quisquam, nisi ineptus forte librarius, dubitare possit. Quocirca ne ipse quidem Meyerus *subjecti* nomen requiri putat. Quo magis, levissimo allato argumento, lectionem eum defendisse miror, ad quam condemnandam gravissimi testes cum magnâ rationum internarum probabilitate conspirant.

Gal. III. 15, pro ἐπαγγελίαν τοῦ Πνεύματος habent εὐλογίαν τ. Πν. D*. F. G. Itala et Tertull. Unde satis apparet antiquissimo jam tempore *Occidentalibus* hoc praeplacuisse testibus. Jam Michaëlidi quidem tantum huic tribuendum esse videbatur lectioni, ut eam inter et vulgatam optionem facere non auderet. Cui quidem quamvis magno Critico minime equidem assenserim. Ex proxime praecedente enim εὐλογία τ. Ἀβρ. male vocabulum repetiisse librarii videri possunt. Qui praesertim justo tenuius hoc dictum opinarentur, quod Spiritûs S. *promissionem* tantum accepisse Christianos affirmaret. Nonne

---

(1) Vid. illius *Spec. herm. inaug. exhibens interpretationem ep. P. ad Gal.* (L. B. 1807) ad h. l.

Meyero tamen, longe leviores subinde memoranti variantes, paucis lectio attingenda fuerat, quam speciosam certe testium gravitas reddit et antiquitas? Sed magis nobis laudandus est, quod recte, ipsoque Winero melius, locum explicaverit, quam improbandus, quod de lectionis varietate monere neglexerit.

Gal. IV. 25. Nullum facile totius epistolae locum mihi monstraveris, quem vehementius vel Codicum lectiones vexaverint, vel Criticorum imprimis conjecturae; quibus amplum, ubi se jactarent, campum dictorum aperiebat difficultas nobisque insolita ratio allegorica. Alia ne memorem, quae passim laudârunt interpretes, ipse adeo Van-Der-Palmius, quamvis plerumque vulgati in *Novo* Test. textûs tenax, verba: *Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ*, probabiliter spuria esse a Bentlejo ac Kustero sibi persuaderi passus est. Verum hoc non solvere nodum est Gordianum, sed disrumpere. Minus audacter sane Lachmannus, Codicum C. F. G. aliorumque auctoritati obtemperans, nomen *Ἄγαρ* ejicit. Sed longe praeferenda est Meyeri ratio, qui et illam repudiat conjecturam, et per vocum *γὰρ* et *Ἄγαρ* proximam vicinitatem factum esse monet ut alii Codices nomen *Ἄγαρ* negligerent, alii praegressum *γάρ*. Unde factum sit, ut *illud* plane absorberetur, huic male substitueretur *δέ*. Ac recte idem, sectionis versus finem, testium auctoritate, pro *δουλεύει δὲ* legit *δουλεύει γάρ*.

Gal. VI. 9. Pro vulgato *ἐκκακῶμεν* A. B. D. 17. 39 paucique alii Codd. praebent *ἐγκακῶμεν*. Quam verbi formam, usui loquendi convenientiorem censentes, praetulerunt Usterius, Schottus, Lachmannus, Tischendorfius. Quid quod, non hoc tantum, sed quinque etiam aliis N. T. locis, ubi vulgatum exstat v. *ἐκκακεῖν*, illi formam *ἐγκακεῖν* substituere non dubitaverit Lachmannus. Quod et alii probaverunt et diserte Usterius. A quibus ita dissentio, ut *senis* adeo N. T. locis

eundem errorem commisisse longe plerosque, qui ἐκκακεῖν habent, Codices non admodum probabile censeam. Atque haec ipsa forma, quamvis minus elegans illa, in *Polybii* et *Hesychii* et *Suidae* auctoritate satis habet, quo se tueatur, praesidii. Novimus autem ejusmodi recentioris Graecitatis formis non raro antiquiores substituisse atque elegantiores Grammaticos Codicumque correctores. Quocirca Meyerum laudo, vulgatam non temere sollicitantem. Quod vero in *criticâ annotatione* nihil monens, in *exegeticâ* laudandis defungitur suis ad 2 *Cor.* IV. 2 dictis, ordinis desidero concinnitatem. Atque eadem et laus et animadversio in *Lünemanni* annotationem convenit ad 2 *Thess.* III. 13, ubi mirum est Antecessorem quam presse imitetur.

Sed proxime dicta sponte eo nos deferunt, ut Lünemanni etiam criticam facultatem, paucis certe proditis exemplis, spectemus. Quam facultatem ut universe laudamus, ita in primâ jam ejus annotatione criticâ, quae ad 1 *Thessall.* I. 1 refertur, nos offendere dolemus. Ubi nimis confidenter verba proscribere videtur, quibus sectionis finis continetur: ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quae recte uncinis inclusa esse a Lachmanno, deleta a Tischendorfio contendit. Quibus vero Michaëlidem praeivisse novimus et Koppium et Schollium. Jam nihil equidem de Codicum B. F. G. aliorumque, ad quos provocat Lünemannus, testium auctoritate detractum volo. Verum plura sunt, quae ad tollenda haec verba librarios impellere potuerint. Ubi imprimis eorum similitudo perpendenda cum proxime praegressis: ἐν Θεῷ πατρὶ ἡμῶν καὶ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ. Nonne enim utriusque dicti et *similitudinem* nec elegantem *repetitionem* librariorum vel oculos in errorem adduxisse probabile est, vel aures animosque offendisse? — Verum, quod caussam continere videtur, his, de quibus quaeritur, sublatis verbis, nuda haec remanet salutatio: χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη. Verba enim ἐν Θεῷ — Χριστῷ cum superiore τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσ. copulanda esse rectissime monuit Lü-

nemannus. Jam dicant mihi, qui Paullino cum scribendi more consuetudinem contraxerint, num usquam illius legerint tam exilem salutationem, quae nullam adjectam habeat *vel* Dei *vel* Christi *vel* utriusque mentionem? Cujus judicii confirmandi causså ad ipsum quodammodo provocare licet Lünemannum, qui, annotationis in sect. 1 fine, sibi non optime constans, grammatice si spectentur haec verba, cum superioribus, quae attulimus, in unum copulanda esse enuntiatum concedit. — Hoc exemplo moniti Critices discant tirones, nullâ quamvis magnâ testium auctoritate lectionem defendi posse *non bonam*, ut Ernestino more dicam, id est vel absurdam, vel certe ab Auctoris constanti, de quâ multis constet exemplis, consuetudine recedentem atque abhorrentem (1).

1 *Thess.* I. 7. Pro τύπους legendum esse singularem τύπον, bonorum nonnullorum Codd. auctoritate, sine dubitatione asseverat Interpres. Qui *hujus* lectionis in patronis ipsum etiam, qui utramque pari loco censet, numerat *Griesbachium.* Ita eam et alii tuentur et ille, cujus talibus in rebus judicium meo longe anteferre soleo, Winerus (2), ut Thessalonicensium coetum tanquam unam aliquam hominum universitatem hîc spectâsse Apostolum moneant. Audio sane. At vehementer dubito idem, num hoc sibi volens Paullus durissimum potius illud atque inficetum praebiturus fuisset ὑμᾶς τύπον, quam, quod res et ratio et offerebat et requirebat, ὑμῶν τὴν ἐκκλησίαν. Verum non ineptum esse dictum ὑμᾶς τύπον Viris doctissimis concedamus.

---

(1) Nostrae huicce disputationi nemo, credo, salutationis, quae *Coloss.* I. 2 scripta exstat, brevitatem objiciet. Ibi enim, si vel verba sustuleris: καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod testium auctoritate, probante Meyero aliisque, fecit Griesbachius; integra tamen haec manet salutatio: χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν. *Christi* autem nomen ita proxime praecesserat, ut ejus non requireretur repetitio.

(2) *Gramm. des neutest. Sprachidioms*, ed. 5, p. 200, ubi typorum error locum memorat 1 *Thess.* I. 8. Quod item in *Indice* commissum video.

Largiamur etiam fieri *potuisse*, quod factum esse contendit Lünemannus, ut ex librariorum, subjecto praedicatum magis conformare volentium, correctione exsisteret vulgata. Sed in contrariam partem omnino nobis attendendi sunt Cod. D a secundâ manu et E, qui *nominativum* praebent *τύπος*, quem per errorem ex vulgato ortum esse *accusativo τύπους*, ne ipse quidem noster negat Criticus. Pro quo igitur hi ipsi quodammodo testimonium edunt. Verum, quod gravius est, nonne hoc eorum exemplum probabilem nostram reddit conjecturam, alios etiam fuisse librarios, qui, cum item *τύπος*, ex *τύπους* depravatum, suis in libris scriptum viderent, *nominativum* autem nullum hîc locum invenire facile perspicerent, simplicissimam hanc, quam esse putabant, mendo medelam afferrent, ut pro *nominativo singulari accusativum* ponerent *singularem?* — Alia eaque omnino consulenda ad vulgatam defendendam et Schottus attulit et recentissimus epistolae Interpres Kochius (1).

1 *Thess.* III. 2. Hic locus est, de quo dubitem num vel satis clare vel satis cogitate dixerit Lünemannus; cujus ita demum plene intelliges criticam animadversionem, si variantium notationes, ab aliis proditas, *recepto* cum textu contuleris. Quem textum optandum est ut, si quando iterum edat commentarium, et hîc et aliis locis, paullo disertius indicet. Vulgo igitur post alia hîc legitur: *τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν*. Haec ita testata est lectio, ut non facile certius alia quaequam. Neque est quod nos offendat memorata *Timothei*, de quo agitur, primum cum *Apostolo*, deinde cum *Deo*, tandem denuo cum *Apostolo* necessitudo ac conjunctio. Etenim et stili epistolaris familiaritas nobis attendenda est, et Paulli haec scribentis affectus animusque Timothei amore com-

(1) V. August Koch, *Commentar über den ersten Brief des Ap. Paulus an die Thessalonicher;* Berol. 1849.

motus, et vero consilium *συνεργὸν ἡμῶν* postremo loco ponendi, quo commodius huic dicto sequentia annectere posset *ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ*. Verumtamen exspectandum erat male haec librarios habitura esse ac correctores. Ne enim denuo dictorum, quae iis quidem turbata videri deberet, consecutionem attingam, ita *similiter* verba *desinunt ἀδελφὸν ἡμῶν* et *συνεργὸν ἡμῶν*, ut oculos non satis recte attendentes facillime dictorum pars aliqua fugere posset. Quod sane praejudicium ab exitu comprobatum videmus. Paucorum enim horum verborum non facile dixeris quam multae variis a testibus commendentur lectiones diversae. Lünemannus, ut de hoc tantum dicam, rationem sequitur, cujus ex principibus quidem Codicibus solum auctorem habet D. Retentis enim prioribus illis *τον ἀδελφὸν ἡμῶν*, posteriora: *καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν*, in unum mutare jubet brevius dictum: *καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ*. Quam lectionem quod Griesbachio etiam placuisse dicit; ex dubitante eo atque in varias partes nutante certo facit affirmantem. Quamquam hoc in errore alios sibi praeeuntes habuit. — Sed ne multa. Mihi certe his, quas satis jam indicâsse videor, de caussis Kochii, vulgatam non sollicitantis, sed commode explicantis, probanda videtur prudentia.

1 *Thess.* IV. 9. Nimis secure hîc vulgatam repudiat, quam *sensu cassam* dicit, lectionem *ἔχετε*. Cui, ex auctoritate Codicum B. D.* F. G.; Lachmannum secutus ac Tischendorfium, *primam* substituit *personam pluralem ἔχομεν*. Pro quâ lectione quod Vulgatam etiam, It., Chrysost., Theophyl., Ambrosiastrum testes laudat; certiora haec forent testimonia, si eos, locum vel convertentes vel commemorantes, ipsissima potius ejus verba expressisse, quam liberius sententiam reposuisse, liquido constaret. Verum haec non urgeo. Gravius est nec temere concedendum, quod *sensu cassam* esse pronuntiat receptam, quam *grammatice rectam* adeoque huic loco satis aptam esse, suo quisque modo et Peltius demonstraverat et Schottus

et De-Wettius et ipse adeo Winerus (1). Ad quos refutandos quae (non suo quidem loco, sed minus opportune *exegeticâ* in notâ) satis copiose depromit, argutiora haec sunt, quam veriora; atque in *Paulli* certe stilum non conveniunt, apud quem, quamvis Graece scientissimum, limatissimam illam elegantiam et concinnitatem frustra quaeras, quam Atticis scriptoribus, modo vere, modo ipsis nolentibus, hodierni nonnulli vel tribuunt vel obtrudunt interpretes. Eo commodius autem ante verbum γράφειν *accusativus* subauditur vel ἐμέ, vel ἡμᾶς, vel potius indefinite τινά, quo facilius tale quid requiri, ex proxime sequente disjuncto θεοδίδακτοι intelligere poterant lectores. Quod non satis attendisse videntur, qui hoc de loco in utramque partem disceptârunt, Viri docti. Jam vero, ut rationem tandem concludamus, gravissimorum in testium, cujusmodi hîc est, dissensione, quae lectio, quamvis bonam habens sententiam, tamen minus elegans videri poterat ac librarios offendere debebat, qualis hîc recepta ἔχετε, ea omnino potiores veri partes habere censenda est. Nam quod *primâ* ex sectione *nonam* hanc in sectionem male invectum esse ἔχετε suspicatur Lünemannus; huic conjecturae ne ipsum quidem Virum acutissimum, utriusque loci cum diversâ ratione, tum intervallo accuratius considerato, multum tributurum esse confido.

Sed si nonnunquam festinantius, quam accuratius Epistolarum in textu judicando ac constituendo versatus est Lünemannus, nec semper ab incertis nimis securam assensionem cohibuit; longe plures alii sunt loci, ubi, in testium ac Criticorum dissensione, verum et acute viderit nec raro solerter tuitus sit. Quales et alios non paucos esse existimo, et hos, quos, ut justae tribuantur ipsi laudes, tironibus sanae criseos exempla mon-

(1) *Gramm.* p. 394. — Ad hunc etiam locum Kochium consulere operae pretium est.

strentur, singulatim sed quam brevissime memorabo. — Hinc igitur ut ordiar, 1 *Thess.* I. 9, legendum esse ἔσχομεν, non, quod nonnulli praebent testes, ἔχομεν, docte demonstrat. — 1 *Thess.* II. 7, acuta ejus animadversio est, quae, plures adversus Codices ac Lachmannum, νήπιοι legentes, receptam tuetur ἤπιοι. — Item annotatio laudanda, quae, 1 *Thess.* III. 3, lectioni τό, pro receptâ τῷ, jure patrocinatur. — 1 *Thess.* V. 4, recte defendit ὡς κλέπτης, nec vero, secundum A et B, Lachmanni exemplo substituit *accus. plur.* ὡς κλέπτας, quod, quamvis a Tischendorfio ac Kochio propugnatum, ineptum est atque Apostoli sententiam pervertit. — *Eodem Capite*, 1 *Thess.* V. 21, pro vulgato πάντα, multorum Codd. auctoritate scribendum esse πάντα δέ solerter docetur. — 2 *Thess.* I. 8, vulgatur ἐν πυρὶ φλογός, quod in *alteram* N. T. editionem receperat Tischendorfius. A quo vero erroris in societatem non pertractus, Lünemannus testibus morem gerit, veriorem praebentibus lectionem ἐν φλογὶ πυρός. — 2 *Thess.* III. 6, tertio ab exeunte sectione loco, *tertiâ pers. sing.* vulgatur παρέλαβε. Cui vero lectioni, quae vix aut ne vix quidem hâc se tueri potest testium vel paucitate vel levitate, alii aliud substituunt. Jam, sano profecto ac prudenti judicio, Lünemannus *tertiam* praefert *personam pluralem*, et testium in fide et majore suâ in difficultate praesidium habentem. Quae ipsa vero tertia persona utrum *ordinariâ* formâ enuntianda sit παρέλαβον, an potius *Alexandrinâ*, quae nostro arridet Critico, παρελάβοσαν, in neutram partem certo statuere ausim judicio. Winerus (1) quidem ejusmodi formas in οσαν, quas subinde boni N. T. praebent Codices, ab Alexandrinis fere repetendas putat librariis. Cujus judicium magis mihi placere profiteor, quam recentium nonnullorum Criticorum talia, quâvis datâ opportunitate, Novo Testamento obtrudendi fervidius studium. Sed in alios potius, quam in Lünemannum, haec convenit reprehensio. — *Eodem Capite*, 2 *Thess.* III. 16, pro τρόπῳ, quod

---

(1) Laud. *Gramm.* p. 88 supra.

receptum est ac bene testatum, non pauci sunt Codices qui legant *τόπῳ*. Quod ipsum cum multos cum antiquiores Criticos, tum recentiores probâsse novissem, verebar sane (quid enim diffitear?) ne eandem incudem ferientem deprehensurus essem, de cujus libro dicimus, Interpretem. Quo impensius eum laudandum censeo, qui ita se *suum* esse demonstret, ut unice veram tueri non dubitet lectionem *τρόπῳ*. De falsae lectionis origine si forte quaeras, haec *mihi* nata est, quam judicent acutiores, suspicio. Proxime cum praecessisset *διὰ παντός*, *omni tempore*, dictionis elegantiam ac concinnitatem hoc requirere putârunt librarii ut nihil potius adjiceretur, quam *ἐν παντὶ τόπῳ*, *omni loco;* quippe qui *temporis* ac *spatii* notiones frequentissime conjungi, pro suâ scilicet sapientiâ, optime novissent. — Sed haec speciminis caussâ dicta sufficiant. Plura enim in critico genere recte ab eo monita non frustra quaeret harum rerum curiosus lector ac peritus.

Jam vero ad alteram eamque uberiorem utriusque commentarii partem, id est *exegeticam*, gressum faciamus. Ubi primum nos Censoris, Pseudonymi quidem sed docti ejusdem, judicium advertit (1). Qui universe quidem laudabiliter Veterani exemplum juniorem secutum esse Interpretem fatetur. »*Nec tamen*, »hic," inquit, »*nervosam eam ac concisam assecutus est dicendi* »*brevitatem, quâ copiosissimam rerum materiam haud ita magno* »*paginarum numero concludere* illi *contigit. Quamquam ipsa* »*haec orationis ubertas longe gratiorem lectori atque acceptiorem* »Lünemanni *librum reddit, quam vel* Meyeri *vel* De-Wet»tii *commentarios*." — Postrema sane rectissime; dummodo cum nullâ Lünemannianae copiae, ne obliquâ quidem, reprehensione debitam illi laudem conjunxisset. Etenim ita demum

(1) In *theol. Literaturbl. z. allg. (Darmst). K. Zeit. a.* 1851, N°. 131, auctore *Δ—μ*.

laudanda est commentandi brevitas, assiduam si comitem habeat lucidam perspicuitatem. Quâ deficiente, veteris intelligentiam Scriptoris quaerenti lectori recentis etiam Interpretis orationem operoso labore interpretandi novum plane nec leve onus imponitur. Quod si Censori, vel Hitzigii et De-Wettii commentarios legenti, vel Ewaldii *Grammaticam Hebraicam* consulenti, nunquam usu venerit ac molestum acciderit; *Oedipum* eum dicam, me *Davo* longe solertiorem. Jam, quantum hos, quos dixi, Viros doctos Meyerus, tantum fere hunc perspicuitatis laude superat Lünemannus. In quem nunquam, quod, ni fallor, in Antecessorem aliquando, *Horatianum* illud convenit: *Dum brevis esse laboro, obscurus fio.* Quam obscuritatem, cum et Interpretis et illius, quem *interpretari* se profitetur, Auctoris intelligentiam impediat vel difficiliorem certe reddat, enarrationis, quamvis accuratae, fructum atque utilitatem, nisi plane intercipere, at vehementer imminuere, quis est qui non videat ac saepe doluerit?

Nec minus necopinatum mihi mirumque aliud accidit, quo Lünemanno praestare Meyerum significatur, ejusdem Censoris judicium, quod neque ipsum optime sibi constare videtur. *Philologiae classicae* enim in auctoribus *hunc* longe magis, quam *illum*, versatum esse affirmat. »*Quamquam*," ait, »*ex nimis* »*copiose ab eo allatis illorum locis theologicum quidem in lec*»*torem non multum utilitatis redundat.*" Quod verissimum esse posterius ejus monitum non facile negaverim. Sed si ita, nonne a prudentiâ potius laudandus erat, quam ab imperitiâ notandus, junior Interpres, qui, *nisi utile* sit *quod facias*, *stultam esse gloriam*, Horatio se consentire demonstrâsset, neque adeo quae facillimâ operâ undique corradere potuerat, sacco veluti fundere voluisset?

Verum nullâ potius re, quam *subtilitate ac severitate grammaticâ*, quam tritâ hodie voce Graecâ *ἀκρίβειαν* appellant, nec

minus commode *accurationem* Latine dicere possis, laudem quaesivisse ac tulisse Meyeri commentarios, supra jam et aliorum et nostris lectori constitit testimoniis. Olim enim quam turpe *Dogmatico* censebatur, si eum increpares: *Haereticus Tu es Theologus;* tantum nunc Sacrarum Litterarum explicatori dedecoris inuritur, si *Empiricum* eum esse *Interpretem* arguas. Jam, ut eâdem maneamus in comparatione, optima mihi res *orthodoxia* videtur, dummodo nimis effuso prae studio ne *heterodoxa* fiat atque in dissentientes malevola et acerba. Nec aliter grammaticâ statuo de ἀκριβείᾳ. Quam *laxo vagoque* de interpretandi genere, quod ineunte hoc seculo regnabat, victoriam reportâsse, ego, si quis alius, impense laetor. Sed quo magis ejus laudi faveo atque honori, eo magis doleo sic eam subinde suo abuti triumpho, ut *vitia dum vitat, in contraria ruat*, ac minus liberaliter, quam sua quisquam dicta explicari velit, Sacrarum Litterarum interpretetur orationem. Quasi ad Rhetorum potius ac Dialecticorum argutias exigenda sint multa populariter a S. S. dicta, quam ex vitae communis libertate minusque severis legibus adstricto loquendi usu repetenda atque exponenda. Sed, age, exemplis nonnullis allatis, modo humani quid hoc in genere passum esse Meyerum demonstremus, modo praeclare rem suam egisse.

Gal. I. 10. Post alia ita Paullus: *Εἰ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην* (1). Quae sic fere explicantem audimus Interpretem: »Si hominibus adhuc mihi faventibus uterer, germanus non essem Christi Apostolus; cujus nimirum cum indole consistere nequit mortalium favor.” Enimvero nec sine exceptione verum est, quod Auctori haec interpretatio tribuit, enuntiatum, et certe cum loci contextu atque argumentatione non convenit. Neque enim rite creatum Domini ministrum Apostolumque *Paullum* agnoscebant, quos hîc meliora docere conatur, adversarii. Qui igitur id dicenti ei, quod di-

(1) Codicum auctoritate, rectissime monente Meyero, ante ἔτι tollendum γάρ.

centem eum facit Interpres, quidni continuo reposuissent: »*Pulcre mones; atqui Tu nequaquam ejusmodi es, cujus nobis indolem informas,* Jesu Legatus?" — Quid igitur? Quae proxime praecedit quaestio: ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; luculenter docet, quod sequitur dictum, sicuti multi fecerunt, interpretandum esse: »Id si adhuc agerem ut hominibus placerem, Christo sane Apostolum me non dedissem, nec iis me malis atque aerumnis sponte objecissem, quibus hoc adeundo munere me expositum iri novissem." Quam interpretationem, quâ repudiatâ nulla argumentationi probandi vis relinquitur nec nervus, quid *frigidam* vocet Paulloque indignam solertissimus Explicator, profecto non video. Id unum mihi satis constitit, perverso factum esse, quamvis per se laudabili, ἀκριβείας studio, ut dicendi compendium non agnosceret, quo pleniori, quae praegressa erat, locutioni ζητῶ ἀρέσκειν hîc respondet ἀρέσκω.

Gal. I. 13 in fine. *Καὶ ἐπόρθουν αὐτήν.* Verbo πορθεῖν *vastandi*, *depopulandi* notionem et alios et Winerum recte tribuisse atque ex usu loquendi vindicâsse, equidem putaveram. Quos vero errâsse diserte affirmat, de quo dicimus, Interpres, *evertendi* notionem urgens ille, atque unice hîc locum invenire contendens (1). Quod ipsum, ne veluti *ferreo* quid desit *rigori* grammatico, de *conatu* capiendum esse plane negat. Iccirco, haec si recte disputantur, alterutrum statuendum est, *vel* falsa dixisse Paullum, *vel*, eo adversario, plane exstinctam esse ac funditus deletam Christi Ecclesiam. Adeone aptam enarrationem dicemus, quae inepta dicere cogit sapientissimum sane Auctorem? — Idem v. eodem usu infra sect. 23 scriptum exstat.

Eodem hoc loco, *Gal.* I. 23, et alia scripta legimus, et haec: *Ὅτι ὁ διώκων — — τὴν πίστιν.* Ubi ὅτι *directae* orationis

(1) Germanice non *verstören*, sed *zerstören*.

indicem esse, satis clare docet, quod sequitur, ἡμᾶς, quod ex eo, quo nunc esset Paullus, sensu explicare frigidum sit. Objicit quidem Vir doctus de illo particulae ὅτι usu nullis certo constare *Paullinis* exemplis, nisi ubi V. T. loci laudentur (1). Enimvero non ita serviliter *Alexandrinorum* vestigia legere solebat Apostolus, ut quo pressius eorum dicta reponeret, ne in tantillâ quidem re, ab eorum recedere consuetudine auderet. Atque universe *Hebraismos* potius, quam exquisitos *Graecismos* Veteris Testamenti imitationem peperisse novimus.

Verum aliud quid est, cujus potissimum caussâ h. l. attigerim. Confidenter eos reprehendit, qui πίστιν *fidei doctrinam* explicant. Quae reprehensio accuratissimum etiam tangit Winerum, tertiâ adeo commentarii editione nude vertentem *doctrinam*. Ipse vero Meyerus, haec emendaturus, fidem hîc *objective* spectari docet (2). Jam sic spectata fides nonne id est, quod, quocunque tandem modo traditum acceperis, fide complectaris, *fidei*, quod vulgo vocant, *objectum?* Atqui hoc a *fidei doctrinâ* adeoque ab improbatâ illâ aliorum interpretatione vix aut ne vix quidem differre videtur.

Gal. II. 10. *Μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν.* Plerique omnes post μόνον supplent αἰτοῦντες vel παρακαλοῦντες vel ejusdem fere significationis aliud vocabulum aliquod. Veluti vertit Winerus: *hoc unum* rogantes *ut pauperum memores essemus;* — Schottus: *hoc tantum* rogantes s. postulantes, s. de hoc insuper nobiscum convenientes, *ut pauperum memores essemus.* Atque hic alios Paulli locos affert, ubi post ἵνα tale aliquod verbum ex sermonis hortativi serie subaudiatur. Enim-

---

(1) Ipse adeo Meyerus, *Gal.* III. 10, ante ἐπικατάρατος rectissime in textum hâc potestate ὅτι restituit. Qui locus eo magis nobis memorandus est, quoniam ibi hanc particulam ponere maluit Ap., quam durissimum evitare vocalium concursum.

(2) Germ. *der Glaube objectivirt.*

vero *ellipsin* cane pejus et angue recentissimi non pauci oderunt *accuratae*, quae hodie fertur, interpretationis patroni eamque multis, unde excludi non posse videbatur, locis admittendam esse vel dissimulant vel diserte negant. Quod eorum odium nobis, qui *laxae* atque *empiricae* explicationis notam incurrere nolimus, nusquam incommodius accidit, quam ubi *Paullum* enarramus, incitato saepius rapidoque stilo usum, multa brevibus concludentem, nec pauca lectori supplenda relinquentem. Veluti nostro hoc loco Meyerus, haud sine dissentientium castigatione, nihil post *μόνον* ut suppleamus nobis permittit. Contendit enim verba *μόνον* — *μνημονεύωμεν*, nullâ intercedente *ellipsi*, a verbis pendere, sect. 9 praegressis: *δεξιὰς ἔδωκαν* —— *κοινωνίας*. Ut haec exsistat sententia: »Eo nobiscum consilio pactum inierunt, ut — egenorum tantummodo memores essemus." — Quam vero interpretationem non magnam a facilitate neque ab aptâ enuntiatorum catenatione commendationem habere, quis est qui non videat? Cum praesertim non *καὶ ἵνα* aut sine copulâ *ἵνα*, sed *μόνον ἵνα* dicat Auctor.

Gal. III. 19 et 24. Priore loco de *lege* dicitur *Moseâ:* *τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη* (1). Quae, Meyerum si audis, significabunt: *peccatorum in favorem adjecta* lex *est*, promissorum nempe, quod jam antea exstiterat, foederi. Atque idem Vir doctissimus mox asseverare non dubitat, ita omnino sibi rem informâsse *Paullum*, ut *Dei*, legem ferentis, *de consilio* factum sit, ut eandem per legem peccatorum numerus augeretur. — Quibus illius cum dictis conferenda sunt quae ad sect. 24 monet, ubi eadem lex *παιδαγωγὸς εἰς Χριστόν* dicitur. Hîc enim *paedagogicum* legis munus nequaquam id fuisse affirmat, *ut ab inhonestis minarum asperitate Israëlitas deterreret*, quam plane repudiat Wineri aliorumque explicationem;

(1) Scite et acute v. *προσετέθη*, cui multi Codices ac Critici substituunt *ἐτέθη*, defendit M.

sed potius ut, irritato peccatorum principio ac stimulato, *delicta cumularet*. Quod si legis *munus* fuisse recte dicatur, a nemine profecto, nisi ab ipso *Deo*, id sibi mandatum habere potuit muneris. — Jam, ut a posteriore hoc loco ordiamur, nemo dubitat quin *patres* illi, quamvis πονηροὶ ὑπάρχοντες, a quorum consuetudine hîc imago ducitur, ideo *paedagogis* regendos dederint filios, ut et utilia docerentur, et disciplinae severitate a peccando coërcerentur. Adeone igitur iis deterior informatur ὁ Πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ, ut, quo turpius delinquerent Israëlitae, iis se legislatorem daret? Hoccine *Paullus* dicere potuit, pietate in Deum immortalem nemini secundus? Quid multa? Hanc explicationem si vel permitteret *imaginis* ratio, quod secus est, suâ tamen ea confutaretur absurditate.

Ex hoc ipso autem loco explicandum est, quod supra adscripsimus, sectionis 19 dictum: τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, id est: ἵνα μὴ ἐξῇ Ἰουδαίοις ἀδεῶς ζῆν, — ἀλλ' ἀντὶ χαλίνου ὁ νόμος αὐτοῖς ἐπικείμενος ᾖ κ. τ. λ. Ita *Chrysostomus*, qui quid ex Graecorum usu loquendi Graeca significare *possent* verba, longe melius novisse censendus est, quam nostrorum aequalium quisquam, a vigentis illius usûs tempore tanto seculorum locorumque intervallo disjunctus. Neque igitur Meyeri me movet auctoritas, non posse non hanc vim habere χάριν statuentis, ut *ipsorum emolumentum* indicet *delictorum*. Quod etsi ab initio hoc sensu dictum esse pro εἰς χάριν non negem; idem tamen a verborum originatione non ita regi loquendi usum affirmo, ut eam premendo absurdissimas quasque parere debeamus interpretationes. Quod vitium Scholae, quae olim fuit, Litterarum Semiticarum *Schultensianae* nunc omnes objiciunt; ne imitentur nostri videant, nam hos certe amice monere licebit, Commilitones.

Gal. IV. 20. Ἀλλάξαι τὴν φωνήν. Si cui minus cognita sit illius, de cujus opere agimus, generosa indoles ac candor, putet forsitan, et hîc et aliis subinde locis, nimis fastidiosâ

eum ferri antecessores vituperandi cupiditate nimisque ambitioso nova aut novitatis certe speciem habentia depromendi studio. Verum in Viri gravitatem cum ejusmodi non conveniat suspicio, nimium praestat arguere dialecticae subtilitatis ac tenuissimae notionum distinctionis amorem. Hanc quidem, quam supra adscripsimus, locutionem longe plerique explicuerant: *vocem varie temperare, modo lenius loqui, modo,* re ita ferente, *durius.* Quibus vero reprehensis Meyerus, *ἀλλάσσειν τὴν φωνήν,* nunquam significare contendit *diversa loqui,* semper *alia loqui.* Sed *alia* si hodie dico, quam quae heri, nonne *diversa* ea dicta sunt? Quid quod ipse: »*Antea,*" inquit, »severius *dixerat* »*atque acrius Paullus. Quo facto Galatarum in odium incur*»*rerat. Iccirco nunc optat ut, praesentibus iis usus,* aliâ, *id* »*est* leniore *voce cum iis colloqui possit.*" Haec Meyerus; cujus igitur eodem fere, quo eorum, quos errare dicit, interpretatio redit. Nec desunt in iis ipsis, quos nominatim vera vidisse negat, qui ad enarrandum dictum iisdem prope, quibus ipse, verbis usi esse deprehendantur.

Gal. V. 14. *Ὁ γὰρ πᾶς νόμος.* Ita vehementer adjectivum *πᾶς* urget Interpres, ut, Paullo auctore, *totam,* quâ late patet, *legem Moseam* solo, quod hîc commendatur, *naturae socios amandi* praecepto contineri contendat. Postmodum tamen *non excludi* concedit *Deum amandi* praeceptum. *Hoc* si verum, quomodo *illud* capiendum sit non video.

Sed invitum atque animo fere reluctante me fecisse profiteor, quod nonnullos attuli locos, ubi humani quid passum esse Meyerum, ac pulcherrimo per se *subtiliter* interpretandi studio, quo non debuerat, abreptum esse existimarem. Atque eo tantum consilio me haec attigisse sibi persuadeant velim lectores, ut ab eximii Viri paucis potius erroribus, quam multis virtuti-

bus imitandis sacrae disciplinae alumnos avocarem. Multa enim, immo permulta sunt, quae et ad alia N. T. scripta et ad hanc ipsam, in quâ versamur, Epistolam illustrandam ingeniose, scienter, docte scripserit ac contulerit. Quorum haud pauca non aequalium tantum, sed ipsorum etiam, quorum integrius esse solet judicium, posterorum suffragiis comprobatum iri confido. Qualia quamvis multa sint, paucis tamen laudandis defungar.

Gal. I. 1, rectissime praeverbia distinguit ἀπὸ et διά. Accurate autem ab eo monitis haec, tironum caussâ, addo. Quod dicit Apostolus: διὰ I. X., ex praemisso dicto *negante: οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων*, ita supplendum est, ac si plenius scriptum esset: ἀπὸ I. X. καὶ διὰ I. X. κ. τ. λ. Nam per scribendi compendium factum est ut *ajente* in dicto sola repeteretur posterior praep. διά. Sic saepissime ex se invicem supplenda, quae *disjunctionem* habent, enuntiata. Quod latissime patet dicendi genus. Sed haec obiter. Ad Theologum revertamur Hanoveranum. — *Gal.* I. 9, quod verbum προειρήκαμεν ad ea refert, quae *coram olim* Galatis dixerat Paullus; noli dubitare quin longe praeferenda sit haec illius ratio aliorum ipsiusque adeo Wineri, Viri in paucis magni, sententiae, ea respici putantium, quae hoc ipso loco, modo antea sect. 8, praemissa erant. Unde nisi frigidus exsistat sensus, omnia me fallunt. — Nec minore sane laude digna est illius animadversio, quae, *Gal.* I. 16, ἐν ἐμοί non pro nudo positum esse *Dativo* docet. — Tum, *eâdem hâc sectione*, praeclare dictum interpretatur: οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι. Quod eo magis approbo, quo pejore exemplo Viri nonnulli laudatissimi *duplicem* hanc commendârant *interpretationem*, ut et ad ipsum *Paullum* enuntiatum referretur, et *alios* ad *homines*. Enimvero *hos* tantum spectari, non *illum*, ex disjunctione satis apparet. — *Gal.* I. 19. Magnopere a justâ commendatur ἀκριβείᾳ quod illi placet, ut post εἰ μή non tantum εἶδον suppleatur, sed εἶδον τὸν 'Απόστολον. Atque hîc Explicatori constantiam gratulamur, clari nominis Virorum exemplis in erroris societatem sese adduci non passo.

Quamquam eum, qui hîc memoratur, *Apostolum* a *Jacobo*, *Alphaei filio*, diversum fuisse mihi quidem non probavit. — *Gal.* II. 7, melius omnino, quam multos fecisse ac facere novimus aequales, enarrat *τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας κ. τ. λ.* — *Gal.* II. 15. Ad hunc potissimum locum Meyeri consulenda est annotatio, subtiliter docentis atque accurate, quae sect. 14 inchoata erat Paulli *ad Petrum* oratio, eam *hâcce sectione caeterisque deinceps secundi hujus Capitis sectionibus* continuari; ut *Capitis* demum *tertii primâ sectione*, ubi diserte *Galatas* nuncupat, ad eos compellandos redire censeatur Auctor. Secus enim multi in iisque magni Viri statuerant. — *Gal.* III. 4. Verissima monita sunt, quibus ille, quamvis recentissimis dissentientibus atque optimis interpretum ducibus, verba *τοσαῦτα ἐπάθετε* in *malam* partem capienda esse demonstrat. — *Gal.* V. 5. *Πνεύματι ἐκ πίστεως*. Gravissimi Viri mihi placet enarratio, ut *spei* hîc celebratae *caussa* sit *Spiritus Divinus*, *fons* vero internus (vulgo subjectivus) *fides*. — *Gal.* V. 8, strenue *activam* tuetur vocis *πεισμονὴ* significationem.

Sed plura hoc ex libro depromere sanae doctaeque interpretationis exempla, quamvis facile sit, nec vacat nec attinet. Nec nostrâ sane laudis praedicatione Vir indiget, cujus commentarios qui vituperet admirantibus eum aequalibus se daret ipse ridendum.

Adhuc minus aliquanto notus Lünemannus, sed dignus idem, si quid video, cujus nomen in melioribus celebretur, quos nostrum hoc tempus extulerit, S. S. Interpretibus. Cujus eum, de quo dicere incepi, commentarium quanti faciendum existimem, supra jam quodammodo demonstravi. Quo loco quem memoravi, Censor (1): »Lünemannus," inquit, »*prudentiâ suâ* »*ac subtilitate* Goettingensis *illius Scholae*, *cujus utraque haec*

(1) V. supra, pag. 67.

»*propria dos est, dignum sese praestitit alumnum sociumque.*" — Cujus judicii de veritate quo minus quis dubitet, et alia et haec libri bona perpendat. Ita *suus* est, ut, sicubi res requirere videbatur, ab ipso etiam Fritzschio ac Winero, quorum auctoritas a nonnullis hodie certâ pro lege habetur, modeste se dissentire non dissimulet. Nec tamen nova proferendi studium ad antiqua temere spernenda eum pellicit. Quamquam forsitan saepius etiam, quam fecit, praeclarus ille Schotti commentarius in consilium ei adhibendus fuerat. *Dogmaticis* de rebus prudenter ut plurimum ac moderate judicantem videmus (1). In *universâ Introitûs* disputatione non acquiescens, quam *singulorum* locorum offerebat enarratio, recentissimos harum Epistolarum adversarios refutandi opportunitatem, eam non negligit nec praetermittit. Nonnulla, quae utiliter moneri vel debuerant vel certe potuerant, si subinde omissa deprehendes; at longe saepius, credo, tibi usu veniet ut nihil magnopere, quod cum brevioris ejusmodi enarrationis munere conjunctum esset, desiderari videas. Tum iis in rebus *grammaticis* atque *hermeneuticis*, quibus vel maxime pristinorum Interpretum atque hodiernorum discrimen cernitur ac dissensio, moderate plerumque ac circumspecte versatur. Veluti in judicandis *Hebraismis*, quos quam cupide olim multi quaerebant, tam studiose nunc plerique excludunt, singu-

---

(1) Hanc tamen laudem nequaquam in libri paginam 216 convenire existimo; ubi, posteaquam de loco difficillimo egerat 2 *Thess.* II. 1—12, haec dicentem *Paullum* non tantum *errâsse* arguit, sed, *suo abreptum ingenio, plura scire voluisse, quam homini* ipsique adeo, quem Christi Spiritus ageret, Apostolo *scire concessum sit.* Quae sane verba nec Lünemanno excidissent nec laudatorem invenissent, quem memoravimus, Censorem, si quam audax sit ac temerarium uterque meminisset, in incertâ loci vexatissimi interpretatione certae praesidium quaerere Paulli reprehensioni. Cum praesertim haud pauca nos fugiant primorum fata Christianorum ac seculi primi res *historicae*, sine quarum plenâ cognitione Paullini hujus vaticinii nemo quisquam omnibus numeris absolutam praestare potest interpretationem *historicam*. Quod reliquum est, futuris de rebus modeste ac prudenter, si quis alius, hic judicabat dicebatque Apostolus. Cf. 1 *Thess.* V. 1. 2.

lari non raro usus est prudentiâ (1). — Quid multa? Nisi omnes, plerasque certe *Meyerianae* artis virtutes feliciter aemulatus est. Cujus leviora quaedam vitia si quis eum feliciter evitâsse forte putaverit, me certe sibi adversantem non habebit. Sed reliquum est ut, quod modo antea in criticis, nunc etiam in exegeticis faciamus. Age igitur, paucos aliquos nominatim afferamus locos, quos *interpretatus*, nos vel assentientes habeat vel dubitantes Vir doctissimus.

1 *Thess.* II. 3, in enuntiatis *ἐκ πλάνης* — *ἐν δόλῳ*, praepositionum *ἐκ* et *ἐν* diversam accurate distinguit potestatem. — Sed, *ejusdem* hujus *Capitis sect.* 6, Schottum reprehendit, in dictis *ἐξ ἀνθρώπων* — *ἀπ' ἄλλων*, praeverbia *ἐκ* et *ἀπό* ita distinguentem, ut *illud* ad originem, quam vulgo vocant, *immediatam*, sive caussam *primam*, referatur, hoc ad originem *mediatam*, sive caussam *secundam*. Sibi vero quid hîc sequendum videatur, solâ ostendit Wineri laudatione, qui (2) nostro hoc loco plane synonymum utrumque dicit praeverbium. Quem igitur sequitur Lünemannus. Atque idem Kochio placuisse video. Equidem vero, quamvis his potissimum in rebus Winerum sequi malim, quam interpretandi subtilitate superare, discriminis tamen aliquid utramque inter, quae hoc loco conjuncta reperitur, praepositionem intercedere existimo. Etenim, si quid video, *δόξα ἐξ ἀνθρώπων* universe est *ἀνθρωπίνη*, quae *humanam originem* habet, *ex hominibus* exsistit; *δόξα ἀφ' ὑμῶν*, quae singulatim *a vobis*, *vestro ab ore* manat ac proficiscitur. Neque aliter in tertio, quod proxime sequitur, enuntiato. Si simpliciter *laudis auctores* Thessalonicenses vel alios dicere voluisset, praepositione *ὑπό* fuisset usurus Apostolus. Qui quam scienter, praeverbiorum etiam atque aliarum orationis particularum usu, Graecae linguae secutus sit atque assecutus subtilitatem, novo hoc apparet documento.

---

(1) Exemplo loci sint 2 *Thess.* I. 7 et 8, quorum priore recte repudiat, altero admittit *Hebraismum*.

(2) *Gramm.* p. 288.

Sed aliud quid hoc ipso de loco notandum videtur. Non dubiam habet ille *Christi* dictorum, *Joann.* V. 41 et 44, imitationem. Quam non sine accuratâ admonitione praeterire oportuerat Interpretem. Sed non hunc singulatim reprehendo Virum doctum. Quidni potius, hâc datâ opportunitate, justam meam effundam querelam, quod, quam diligenter *Homeri*, *Hesiodi*, *Euripidis*, *Platonis* aliorumque principum scriptorum locos ac dicta, quae imitatione posteriores expresserunt, ad horum illustrationem conferre consueverunt Litteratores, tam negligenter in divinis *Christi* vocibus, quarum sententiam reposuit *Paullus*, notandis ac comparandis plerique hujus Explicatores versati sint? Cum praesertim haud facile dixeris, utrum uberiorem habeat haec comparatio usum *exegeticum*, qui singulorum locorum ad illustrationem pertineat, an *apologeticum*, qui ad Euangeliorum fidem confirmandam referatur.

1 *Thess.* III. 3. *Τὸ μηδένα σαίνεσθαι.* Sic, vere monente Interprete, testium auctoritate legendum esse vidimus pro vulgato τῷ μ. σ. Sed, id si sequimur, quomodo cum praecedentibus haec nectenda sint disceptatur. Lünemannus quidem, aliorum refutatis sententiis, per *appositionem* cum toto jungi putat, quod proxime praecessit, enuntiato: εἰς τὸ στηρίξαι — — πίστεως ὑμῶν; idque ita ut τό idem fere sit quod τουτέστι, eâdem certe manente sententiâ hoc pro illo scribi potuerit. Verum durissima videtur haec nec facile ferenda *appositio*, quâ bini Infinitivi *Activi*, qui ad *Timotheum* referuntur, eâdem serie cum Infinitivo *Passivo* jungantur, ad *Thessalonicenses* relato. Ego, si quid sentiam dicendum est, ita De-Wettium sequor ac Winerum, ut μηδένα σαίνεσθαι cum proxime praecedente Infinitivo παρακαλέσαι connectendum existimem. Verum toto tertiae hujus sectionis dicto: μηδένα — — κείμεθα, illius, quam Timothei ministerio ad Thessalonicenses perferendam curabat Apostolus, παρακλήσεως *praecipuum argumentum* ac *summa* contineri mihi videtur. Cujus rei, ni fallor, indicium est dic-

tumque adeo acuit et a caeteris distinguit praemissus ille articulus *τό*. Quem ibi ponere Graecos, ubi nos *signa citationis*, vulgo notum est. Veluti postmodum, Cap. IV. 1, *τὸ πῶς δεῖ κ. τ. λ.*, ubi ipse videndus est noster Interpres.

1 *Thess.* III. 5. *Μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς κ. τ. λ.* Difficilior sine dubio haec constructio, in quâ expediendâ dissentit a Winero Fritzschius. Mihi quidem perplacet Lünemannus, et recte judicans ille et libere, nec Coryphaeorum alterutrius auctoritati temere obtemperans. Neutrum enim secutus, a praegresso *γνῶναι* suspensum esse, quod adscripsimus, dictum putat: *num forte vos Tentator tentaverit?* Quam interpretationem recte praeiverant Schottus, Wahlius, De-Wettius.

1 *Thess.* III. 7. *Ἀνάγκῃ καὶ θλίψει.* Sic enim, testium auctoritate, recte haec trajicit verba. Sed confidenter eorum monita repudiat nec quidquam valere affirmat, qui binorum, quae hîc scripta exstant, substantivorum potestatem discernere conati sunt. Prorsus *synonyma* igitur illa habere videtur. Spero tamen fore, ut, re accuratius perpensâ, mihi Vir solertissimus assentiat, *ἀνάγκην* vocabulum *generale* esse statuenti, quod nullum non *calamitatum* genus contineat, *θλίψιν* de *oppressionibus singulatim* dici ac *persecutionibus*, quibus Christianos vel Ethnici vexarent vel Judaei.

1 *Thess.* III. 8 et 9. Vere accuratum sese demonstrat Explicatorem, ubi, *priore loco*, ab iis plane dissentit, qui efficacissimum hîc verbum *ζῶμεν* vagae interpretationis laxitate attenuârunt. Item, ubi, *posteriore loco*, subtilius, quam multi praeiverant, verbi *ἀνταποδοῦναι* sententiam declarat. Nec minus recte cum v. *χαίρομεν* conjungit *ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ*. Quod tamen, si quando librum retractabit, non gaudii tantum

puritatem indicare videbit, sed potius explicandum esse, *Deo teste* laetamur. Sic recte etiam, praeëunte J. D. Michaëlide, Kochius.

1 *Thess.* III. 12. Rectissime et noster hic Interpres et Kochius, praeëunte jam praeclarâ Calvini ad h. l. annotatione, omnino distinguendam esse monent τὴν ἀγάπην εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας. Quam, pessimo sane laxae ac perversae interpretationis exemplo, explicari posse contenderat Koppius: *amorem erga vos invicem et quidem omnes.* Quamquam ipsum jam *Theodoretum* male habuerat hic locus. Profecto quo magis dolendum est Ethices Christianae Doctores non paucos atque Homiletas *fraternum*, quo *se invicem* complecti par est Christianos, *amorem* cum amore confudisse *erga omnes* sine discrimine *homines*; eo majore jure laudandos existimo, qui meliora docuerunt, recentissimos Interpretes (1).

1 *Thess.* III. 13. *Μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ.* Ubi quod nonnullos Codices ante ἁγίων vocabulum Ἀγγέλους interserere ferunt; procul dubio glossema est, sed quod, si forte in melioribus atque antiquioribus praesidium inveniret testibus, non omnino nullum haberet usum *exegeticum.* Alios enim de *Angelis* dictum capere novimus, alios de *Christo consecratis* ac pie defunctis *hominibus.* Unice veram esse priorem rationem, cum ex Veteris Testamenti, et Hebraici et Graeci, usu loquendi, tum ex doctrinae Novi Test. analogiâ docte demonstrantem videmus Lünemannum. Nihili sane Baumgartenii Crusii, quamvis praeclari Theologi, sententia est, *duplici interpretatione*

---

(1) Omnino consulantur Ewaldi Kist oratt. sacrae, quae dicuntur: *De hoofdinhoud van de Zedeleer des Christendoms; Dord.* 1801, Tom. II, p. 26—86. Neque enim quemquam novi, qui utrumque, de quo agimus, officium accuratius et distinxerit et explicaverit.

utrosque, et *Angelos* et *homines*, complexi. Sed hunc unum si per se spectaveris locum, fortasse haud inepte de pie defunctis cogites Christianis, quorum de sorte sollicitos lectores nunc jam consolari voluerit Apostolus. Enimvero eo ipso loco, ubi consulto id agit, 1 *Thess.* IV. 17, longe aliter admirabilem informat, quam pingit, scenam. *Nos* enim, inquit, *qui vivi supererimus, ἅμα σὺν αὐτοῖς* [*τοῖς νεκροῖς ἐν Χριστῷ*] *ἁρπαγησόμεθα — εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα.*

Quarto ejusdem hujus Epistolae *Capite* ineunte, plures me loci advertunt, ubi luculenter explicandi subtilitatem probaverit Interpres. Veluti *sect.* 1, et verborum *ἐρωτᾶν* ac *παρακαλεῖν*, quae synonyma nonnulli dixerant, notiones accurate distinguit, et cum solo *posteriore* verbo connectit *ἐν Κυρίῳ*. — *Ibidem sectionis* 6 priorem partem, quam multi iique magni Viri eodem, quo superiora, id est ad *impudicitiae* vel *adulterii* reprehensionem, retulerant, hanc igitur praeclare de *avaritiâ* explicat fratresque *defraudantium* vitio. Ubi item accuratius, quam J. D. Michaëlis et Schottus fecerant ac Kochius, *τὸν ἀδελφόν* non eundem esse monet, quem *τὸν πλησίον*. — Ac laudabiliter, *ibidem* sect. 7, praepositiones *ἐπί* et *ἐν* distinguit. Quamquam de posteriore hâc consulendus etiam erat Schottus.

Verum obscuriora mihi nonnulla eorum esse fateor, quae ad *sect.* 8, monentem eum video. Hic enim: »*Participium,*" inquit, »*ὁ ἀθετῶν*, repudians, absolute *ponitur ac* substantivi »*usu.* Quae *vero sint quae ab eo repudientur, ex contextu ap*»*paret; praegressae nempe sunt adhortationes,*"

Haec dicentem eum audio et approbo. Ecce vero! diserte eos *errare* dicit, qui talem aliquem, qualem sumit ipse, *accusativum supplendum* esse monuerant, Er. Schmidium ac Koppium. Ubi quomodo sibi constet Vir solertissimus equidem non video. Participium enim si ad praecedentem aliquem

refertur *accusativum*, *absolute* positus esse censeri non potest. Atque idem accusativus, cum spatio aliquo nonnullisque interjectis ab ὁ ἀθετῶν remotus appareat, hîc *supplendus* omnino est lectorisque cogitatione repetendus. — Quae cum maxime ab ἀκριβείᾳ celebratur, interpretandi ratio saepenumero, ubi ab aliis passim agnitam repudiat *ellipsin*, invita tamen aliquid supplere cogitur aut subaudire, quod ex vulgari usu *ellipsis* audit. — Profecto, quam frequentes in artium disciplinis *verborum controversiae* sint, quas vulgo *logomachias* vocant, nusquam clarius apparet, quam in hodiernae Sacrarum Litterarum interpretationis historiâ.

2. *Thess.* I. 4 Ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως. A Koppio quidem *synonyma* h. l. haberi substantiva ὑπομονή ac πίστις non vehementer mirabar. Neque enim quicquam illius aetatis Interpretibus magis in deliciis erat, quam cupida synonymorum venatio et cumulatio. Verum Koppio hîc Lünemannum assentire, cujus laudabilis admodum in verborum notionibus discernendis esse solet diligentia, id vero (quid enim diffitear?) novum mihi accedebat atque inexspectatum. Eum enim si audis, aliâ potestate hîc usurpatur πίστις, quam proximâ sectione *tertiâ*. Ubi cum *fidem* Christo habitam significaret, *quartâ* hâc sectione ita idem quod ὑπομονή valet, ut *fidei* Christo habitae notio *retrocedat* atque in *fidelitatis* notionem convertatur. Ita Lünemannus. Quo igitur auctore ὑπομονή etiam, quippe alterius substantivi *synonymum*, *fidelitas* esse debebit. Quamquam hoc rectius plerique *constantiam* interpretati sunt. Sed de v. πίστις videamus. Hanc enim aliam hîc, quam modo antea, habere non posse potestatem clare, si quid video, arctissima docet utriusque loci conjunctio. Sectione quidem *tertiâ* et alia Paullus et haec: *Continentes*, inquit, *Deo me gratias agere oportet*, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν. Quibus vero continuo nostro hoc subjicit loco: *apud coetus Dei gloriamur* ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως. Nonne igitur plane incredibile

censendum est, eorundem illorum Thessalonicensium *aliam πίστιν* fuisse, quam piis precibus commemoraret Apostolus, *aliam*, de quâ apud fidei socios exsultaret? Cum praesertim captatae per repetitum ejusdem vocis usum ambiguitatis ne minimum quidem appareat vestigium.

Equidem non video quidni *ὑπομονῇ*, *constantia* rebus in adversis, et *πίστις*, *fides* Christo habita, ita conjunctim celebrari possint, ut in hâc illam fundari appareat. Quam rationem, nec Schotto improbante, praeivit Flattius. — *Priorem* tum memorandam fuisse *τὴν πίστιν* si forte objicias; non deëst quod reponam. Neque enim vel elegantissimi Graecorum Romanorumque scriptores semper et ubique eam quaesiisse deprehenduntur dialecticam subtilitatem, ut quod naturae vel dignitatis vel temporis ordine praecederet, id ipsum caeteris, quae eodem enuntiato complecti vellent, vocabulis, praemittendum curarent. Cujus rei, quamvis notae, bina afferre liceat, quae alia quaerenti sponte mihi se obtulerunt, exempla. Quibus moniti non magis argutos, quam esse voluerint ipsi, vel exteros nobis faciendos esse scriptores vel sacros discamus oportet. Nuperrime igitur, ubi *Ciceronis* legebam, quas sedatâ eum mente diligenter retractâsse novimus, *orationes Verrinas*, in hoc forte incidi illius dictum: »*Verres*," inquit, »*hereditatem sibi venisse arbi-* »*tratus est, quod in ejus regnum ac manus venerat is, quem iste* »*et* audierat *multa secum praeclara habere et* suspicabatur (1)." Ita *Tullius*. Qui profecto, si ab hodiernis bene scribendi praecepta percepisset Grammaticis, inverso vocabulorum ordine: *et suspicabatur et audierat*, dicere debuerat. Minorem enim ac leviorem rei *suspicionem* esse quam nuntium, quem a testibus acceptum *audieris*, omnes intelligunt. — Alterum non accuratissimae verborum consecutionis hoc nobis exemplum esto. *Eâdem* oratione *Verrinâ*, modo antea haec eundem narrantem audimus Ciceronem, *Antiochi Regis filios Syriae regnum a patre et a majoribus accepisse*. Quod ipsum dictum praeposterum si

(1) *In Verrem*, Lib. IV. 27.

forte apud *Paullum* exstaret Apostolum, quanta id et quam curiosa pareret aequalium nostrorum studia, vel emendando illud vel interpretando justum in ordinem redigere volentium! Naturae enim ac natalium ordine Antiochi filiorum *patre priores* vixisse *majores*, ne pueri quidem non vident.

Sed ex excursu ad Paulli dictum redeamus. Cujus, intactâ vulgari utriusque substantivi significatione, explicandi alia etiam in promtu est, ab illâ, quam memoravimus, paullo diversa via ac ratio. Etenim optimis quibusque scriptoribus non raro placuisse novimus, ut a *singularibus* ad *generaliora* nuncupanda progrederentur. Quidni igitur primum *singularem* ὑπομονῆς, *constantiae*, virtutem celebrare potuit Apostolus, atque hinc ad *universae* vitae Christianae moderatricem *fidem*, Domino habitam, praedicandam gressum facere? Certe, utramvis rationem praetuleris, nihil caussae esse mihi assenties, confido, cur ab ordinariâ h. l. verborum ὑπομονή ac πίστις significatu recedamus.

Verum parum abest, benevoli Lectores! quin, quae scripserim respiciens, mihi displiceam ipse, qui relationi de utriusque Viri doctissimi commentario tot qualiscunque hujus libelli paginas tribuerim, ut verendum sit ne Vestrum aliquis tritum illud mihi occinat *Homericum:* πάντων δὲ κόρος ἐστιν. Iccirco, nullâ amplius morâ interpositâ, manum de tabulâ. — Nostri *utroque de libro* judicii summam ut paucis complectamur si quis forte requirat, *Horatii* in rem praesentem accommodato dicto, quanti et Meyeri faciam et Lünemanni commentarium candide declarabo. Sic enim Poëta:

—— »*Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis*
»*Offendar maculis, quas aut incuria fudit,*
»*Aut humana parum cavit natura* —— (1)."

Haec igitur judicii lenitas atque humanitas si a nullâ debet

(1) *Epist. ad Pisones,* vs. 351—353. Cf. ibidem, quo mox respexi, vs. 10.

abesse *carminum* censurâ, quorum auctoribus *Poëtis quidlibet audendi potestatem* idem tribuit Horatius; multo majore jure in judicio requiritur de Sacri Codicis Interpretibus, quibus quam severas leges accurata scripserit *Hermeneutica* ne suspicantur quidem indocti. Nec unquam paratiorem aequis ab arbitris *paucae* illae, si quae sunt, interpretationis *maculae* veniam invenient, quam ubi non *incuriam* eas *fudisse* constiterit, sed *Temporis* potius, quo vivimus, ingenium atque exemplum illevisse, cujus contagionem quam *parum humana caveat natura*, nostri nimis saepe nos docuerunt errores.

BREVIORES

DE LIBRIS RELATIONES.

Synopsis Euangg. Matthaei, Marci, Lucae; cum locis, qui supersunt, parallelis litterarum et traditionum euangelicarum, Irenaeo antiquiorum. Ad Griesbachii *ordinem concinnavit, Prolegomena, selectam scripturae varietatem, notas, indices adjecit* Rudolphus Anger, *Phil. et Theol. Doct., utriusque in Ac. Lips. Professor, caet.; Lips.* 1852. Pagg. L, 276, XLVIII.

Quod aliis multis in rebus, idem in libris aestimandis usu venire solet, ut senioribus aut natu majoribus universe hominibus antiquiora placeant, junioribus nova potius arrideant, aut qualemcunque novitatis speciem commendationemque habentia. Quamquam, apum instar florigerarum, et ex illis et ex his optima quaeque seligere ac, partium studio seposito, nostros in usus convertere, nec ingeniorum in censurâ aetatis magis, quam meritorum, rationem habere, senes juvenesque ac sine discrimine omnes a Sapientiae voce monitisque jubemur.

Quicquid sit; Angeri hicce liber et a probatâ laudem habet antiquitate et a gratâ novitate. Etenim, de priore dote ut primum pauca dicamus, *ad* Griesbachii *ordinem* eum sese concinnâsse, ex vero profitetur Auctor. Griesbachiana autem, quo respicit, *Synopsis*, quâcum permultorum annorum usu interiorem contraxi familiaritatem, quoad ipsam certe locorum euangelicorum comparationem testiumque varietatis notationem, nostris de studiis bene meruisse mihi visa est (1). Ipsius

(1) Ad Angeri librum aliasque recentissimas Euangg. *Synopses* aditum

autem Critici *Jenensis subactum judicium* laudantem audimus Angerum; quo testium, quos vel ad *Alexandrinam* vel ad *Occidentalem* referebat recensionem, auctoritate plerumque ibi tantum, ubi interna id suaderent argumenta, ad receptum immutandum textum induci se passus sit. Quo in judicio me certe universe consentientem habet. Nam esto sane; in multis erraverit Griesbachius; nimis artificiosum Critices subinde fecerit aedificium, ac minus commode *recensionum* denominatione usus sit, quam tamen postremo vitae tempore non valde sibi urgendam putavit (1). Nihil impedio. Sed idem affirmo hodiernae N. T. Critices *Patrem* eum dicendum esse, non secus, quam hodiernae Philosophiae Kantium. Nec debuerat, ut, posteaquam Scholzii ac Lachmanni imprimis invaluerat ratio, multi facere inceperunt, illius in contemtum adduci copiosa doctrina, subtile acumen, constantissima atque indefessa fontium exploratio, fides intemerata.

Jam ad *Lipsiensem* nostrum redeamus Criticum. In Matthaei igitur, Marci Lucaeque locis digerendis ordinem se secutum esse dicit, qui a Griesbachio ductus auctore, *hujus* tribus, Roedigeri deinde quinque editionibus propagatus, atque hâc

---

si cui forte praecludat majus, quo constant, pretium; huic auctor sim ut *tertiâ* utatur *Griesbachianae* Synops. editione, quam ipse vulgavit, *Hal. Sax.* a. 1809. *Quartam* enim, posthumam illam, tot inquinant ac tam foeda typorum errata, ut lectorem saepius seducere censenda sit, quam in viam ducere. — Quod reliquum est, Griesbachii librum, in nonnullis emendatum illum, *cum selectâ lectionum varietate* (i. e. non notatis singulis pro quâque lectione testibus) denuo vulgârunt De-Wettius et Lückius *Berol.* et *Lond.* 1818, f. 4ta. — De Maur. Roedigeri aliorumque in hoc genere libris vidd. Angeri Prolegg. sub initium.

(1) Probat id imprimis *praefatio Commentarii critici* (*Jenae* P. I. 1798 P. II. 1811) Parti II praemissa. Qui liber quo majorem habet praestantiae laudem, eo impensius dolendum est *Matthaei* tantum cum complecti ac *Marci* Euangelium. Sed, quamvis inchoatum manserit opus, dignissimum tamen idem quod ab omnibus Critices studiosis consulatur.

ipsâ viâ prae caeteris frequentatus esset. Quae tamen utriusque Synopseos similitudo unam alteramque habet exceptionem. Euangeliorum enim sub initium, ab ordine, qui *Jenensi* placuerat Critico, in nonnullis sibi recedendum putavit. Nec vero patiebatur instituti ratio *Joanneis* ex locis, quod aliquoties fecerat ille, singulares constituere Sectiones; maluitque igitur, quarti Euangelii locos, qui omnino comparandi viderentur, typis minoribus distinctos atque uncinis inclusos, aptissimâ quâque viâ Synopticorum locis apponere cum iisque componendos ostendere. Vel sic tamen, cum integrum retinere vellet Sectionum Griesbachianarum numerum, subinde factum est ut in binas illarum una aliqua distribuenda esset. — Tum fundamenti loco textûs eam sibi formam habendam putavit, quam in alterâ N. T. editione ipse ordinavit Griesbachius, vel in annotatione ad tertiam editionem praetulit Schulzius (1).

Verum in *lectionum varietate* notandâ singulisque locis subjiciendâ a Critici *Jenensis* instituto diversus abiit Angerus. *Ille* enim ipsos, qui hanc illamve commendarent, a receptâ diversam lectionem, nominatim memoraverat testes, Codices, Versiones, Patres, subinde etiam Edd. principes. *Hic* vero, ipsorum illorum testium nullâ plerumque disertâ mentione factâ, sic potius sibi rem instituendam putavit suaeque annotationis fines circumscribendos, ut universe tantum significaretur, quae vel in *Elzevirianâ* vel in nobilissimis hujusce aetatis editionibus criticis lectiones exstarent, ab iis, quas ipse secutus erat, discrepantes. Sunt autem, quibus id honoris impertiit, editiones recentiores: Griesbachii Schulziana et Scholzii et Lachmanni major et Tischendorfii *Lipsiensis altera*. Verum ipsum hîc audiamus consilii sui rationem et explicantem et

(1) Quod in *priore* N. T. Griesb. Tomo edendo substitit Davides Schulz, nec unquam *alterum* addidit, tertiis item curis expolitum; Critici juvenis, quem sibi ad difficile hoc pertexendum pensum adjutorem fore speraverat, praematuro factum est obitu. Quod, ante hos plures annos, coram mihi narrare Virum gravissimum memini.

tuentem Angerum. »*Quo fit,*" inquit, id est, quâ annotationis ratione efficitur, »*ut, quum* Lachmannus *et* Tischendorfius »*occidentalem potissimum textûs formam exhibeant, editio* re»cepta *et* Scholzius *classem Asiaticam: ex ipsâ harum editio»num mentione quomodo lectio unaquaeque ad diversas textûs fami»lias* pertineat (1), *satis certo perspicias;* Griesbachium *vero,* »*ut quem cautissime demum a scripturâ* Elzevirianâ *recedere* »*constet, si videas misso hoc textu cum* Lachmanno *et* Ti»schendorfio *consentientem, lectionem occidentalem permagnâ* »*niti in auctoritate sive externâ sive internâ, recte suspiceris.*"

Sic igitur criticae suae annotationis caussam agit Auctor. Atque illâ, quam describit, ejus informatione brevitati consultum esse minime negaverim. — Num item accuratioribus Criticorum studiis ac tironum imprimis utilitati vehementer dubito. Quid enim? Ex factâ hâc editionum mentione, quas lectiones variae habeant testium classes, *suspicari* nos posse affirmat. Sed quam incerta haec nobis erit hariolatio! Cum praesertim Editorum, quos laudat, nemo eandem constanter et in omnibus vel testium familiam vel judicandi normam sequatur. »Lachman»nus," inquit, »*et* Tischendorfius *occidentalem potissimum* »*textûs formam exhibent.*" At quantum *illius* inter textum interest, qui *diplomaticâ fide* omnium antiquissimos se sequi Codices profitetur, et *hujus* textum, qui, propius ad Griesbachianam accedens rationem, internis plurimum tribuit rationum momentis! — Quod porro dicentem audimus Criticum: »*Classem* »*Asiaticam editio recepta sequitur et* Scholzius;" sane quam aversum *hic* se profitetur ab illâ, quam ignominiose vocat, *adulterationis* corruptionisque *officinâ Alexandrinâ*, tam studiose Codices sequitur *Byzantinos*, quorum si partem spectas, item *Asiaticos* eos dicere poteris. Atque ejusdem classis lectiones frequenter reponere *Elzevirianam* inter omnes constat. Vel sic tamen tot illa locis a Scholzianâ recedit textûs recensione,

(1) Sic scripsi perspicuitatis caussâ, pro vocab. *contineatur*, in quo typorum mendum latere videtur.

ut, quamvis accurate alterius lectiones singulis locis cognoveris, de alterâ tamen vel consentiente vel dissentiente, ipsâ demum consultâ, certo judicare possis. — Quod porro Griesbachium *cautissime demum* (1) *ab* Elzevirianâ *scripturâ recedere* monet; non is ego sum, qui incaute ac temere eam repudiâsse Virum magnum contendam. Verum quam saepissime in alia omnia eum discedere nemo nescit. Quod cum alias deprehenditur, tum nunquam frequentius, quam ubi adversus Receptam cum *Cantabrigiensi* testimonia conjungere videbat, quos in deliciis habebat, Codd. *Vat.* et *Parisinum.*

Quid multa? Nemo facile tantâ solertiâ reperietur hariolus, qui ex memoratis ab Angero *editionum* nonnullarum lectionibus, quid testium classes sive familiae legendum commendent, singulis locis certo possit efficere judicio. Et vero ipsa illa *familiarum*, in quas testes discedunt, descriptio ac distributio, quamvis utilis ac necessaria, nondum eam habet evidentiam, quae multiplicem doctissimorum quorumque Criticorum vel dissensionem excludat vel fluctuationem. Quo magis harum rerum studiosis, qui suo, non alieno judicio stare velint, id agendum est ac quaerendum, ut singulis cum Codicibus caeterisque testibus, praecipuis quidem illis atque antiquissimis, interiore contractâ notitiâ, eorum ingenia, id est cum bona tum vitia, accuratius cognoscere discant. Hâc solâ enim disquisitionis viâ eorum testimonia aequâ lance ponderandi facultatem sibi comparabunt judiciique celeritatem.

Quo pluris igitur praestantissimam hanc facio Angeri Synopsin, eo magis optaverim ut *alterâ*, si quam evulgare possit, libri editione, ad eum, quem dixi, modum supplendam curet annotationem, neque amplius praecipuorum testium *nomina* desiderari patiatur. Quod neque ipsi Viro doctissimo displiciturum esse consilium habeo quod confidam. Etenim nunc jam

(1) I. e., ni fallor, non sine religiosâ ac prudentissimâ cautione.

saepius, quam ex *Prolegomenorum* monitis suspicari licuerat, ubi ad *testium* varias lectiones recte dignoscendas paucarum illarum *editionum* recensionem parum valere videbat, praecipuos, qui in diversa abirent, Codices diserte nominandos curavit. Quod, ne iniquitatis notam incurrerem, mihi memorandum erat. Hanc ipsam igitur rationem si postea, ubicunque variantium id requirit momentum, sequi placebit, novum hinc cognitionis fructum capturos esse lectores affirmare non dubito.

Verum nondum praecipuam, quâ vel maxime commendatur opus, praestantiae atque utilitatis dotem memoravimus. Vere enim, neque oratorie, *Synopsin* hîc tradi profitetur inscriptio *Euangeliorum Matthaei, Marci, Lucae, cum locis, qui supersunt, parallelis litterarum et traditionum euangelicarum, Irenaeo antiquiorum.* Quod cujusmodi sit paucis exponendum. Primum quidem, superiore paginarum parte, ipsis cum Euangeliorum sectionibus aliorum Novi Testamenti librorum dicta proxime conjuncta apparent, quae majorem aliquam cum illis vel historicam similitudinem habent vel argumenti dogmatici aut moralis. Quod apprime fructuosum dicere non vereor institutum. Nam sic demum accuratiorem ad comparationem via sternitur ac facilitatur, *cum* eorum Novi Foederis locorum, quibus Euangeliorum narrationibus luculentius aliquod datur veracitatis testimonium, *tum* illorum ab Apostolis dictorum, quae pressiorem habent, quam plerique animadverterant, Christi vocum atque effatorum imitationem. Esto sane, neque enim nego, nonnullos hîc desiderari locos similes, qui non magis, quam illi, quos recte allatos videmus, omittendi fuissent. At huc quoque tritum illud applicare licet dictum: *dimidium operis, qui incipit, habet.* Neque enim inchoatam lucidâ eâ, quam descripsimus, ratione locorum similium collationem postea supplendi ac locupletandi vel ipsi deërit Editori vel aliis opportunitas. — Nec minus gratum multis fecisse Angerum existimo, quod, juxta criticam de

Euangelio *Lucaneo* notationem, quae *Marcionis* in recensione (si haec recensio potius, quam adulteratio dicenda est) vel omissa sint vel diverso modo tradita exstent, diligenter indicavit. Haec igitur ipsâ in Synopsi, vel superiore vel mediâ cujusque paginae parte, continentur.

Sed alia, nec levia illa, infimâ singularum paginarum parte criticum post traditum apparatum, consignata exstant. Hîc enim quod supererat spatium in quaternos divisum comparet loculos. Quorum *primo* reposita sunt quae ex *Euangeliis* vel euangelicis traditionibus, *apud Judaeo-Christianos usitatis*, aevum tulerunt. Ubi non frustra te quaesiturum esse facile intelligis, quae ad *Euangelium Hebraeorum* ejusque formas, Ebionitis ac Nazaraeis frequentatas, disertis antiquorum testimoniis referuntur, vel iis quodammodo certe affinia sunt. Sed iis ea etiam adjicienda putavit Auctor, quae praeterea in illis ejus aetatis libris exstant, qui aperte vel satis probabiliter a Judaeo-Christianis profecti sunt. In quibus nominatim Euangelium *Aegyptiorum* recenset et *Homilias Clementinas*. — *Altero* loculo dicta ac testimonia, si quae in censum veniebant, continentur *Patrum apostolicorum*, quorum maxima certe pars in antiquissimis censenda est Ecclesiae catholicae scriptoribus. — Proximum his Patribus loculum, *tertium* illum, *Justinus* habet isque fere solus, cum propter insigne momentum ac pretium, quod ad illustrandam Euangeliorum historiam illius habent *ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων*, tum propter magnam, quam inde eum depromsisse novimus, exemplorum copiam. His autem, cum *epistolae ad Diognetum* tum *Tatiani*, quae referenda videbantur, dicta continenter apposuit. — *Quartum* tandem in loculum, spatio parciturus, *aliorum*, qui a prioribus classibus sejungendi erant, voces congessit, omnes fere illas medio seculo secundo posteriores. Ubi igitur *modo* ultimos hujus aetatis scriptores catholicos, modo haereticos, modo *Celsum* acerrimum Christianorum adversarium, ex suo quosque sensu et ingenio, narratio-

nes euangelicas attingentes, amplificantes, depravantes audies. Ac tam diligentem in omnibus, quae ad hanc caussam pertinebant, varii generis dictis conquirendis curam collocavit Angerus, ut ex ipso etiam, qui nuperrime editus est, libro *Πίστις Σοφία* (1) quaecunque utiliter conferri poterant particulae, eas excerperet atque ordine reponeret. Opus autem, quod inscribitur: *Ὠριγένους Φιλοσοφούμενα*, cum eo demum tempore a Millero editum esset, ut ad ipsam *Synopsin* locupletandam nulli ejus loci adhiberi possent, in Additamentis, sive Indice II, tam accuratam illius habuit rationem, ut ne hujus quidem operis fructibus carere pateretur lectores (2). — In his igitur omnibus

---

(1) Titulus est: *Π. Σ. opus Gnosticum*, Valentino *adjudicatum. E Cod. ms. Coptico Londinensi descripsit et Lat. vertit* M. G. Schwartze. *Edidit* (defuncto Schwartzio) J. H. Petermann; *Berol.* 1851, f. 8 maj. Opus, de quo ut primum aliquid innotuerat, ab eruditis valde desideratum, plura continet, ad traditiones euangelicas et Ecclesiae historiam illustrandam accommodata. Petermannum si audis, nec *Valentinum* auctorem habuit liber nec quemquam ejus asseclam, sed serioris potius aetatis *Ophitarum* sectae socium aliquem. De operis momento dignus est qui consulatur A. Niermeyer, in edito ab ipso et Dresselhusio: *Magaz. voor Krit. en Exeg. des N. T.* Tom. III. P. 2. p. 152 sqq.

(2) Opus, quod item dicitur *κατὰ πασῶν αἱρεσέων ἔλεγχος*, docente titulo *e Codice Parisino nunc primum edidit* Emmanuel Miller; *Oxon.* 1851. 8. — Cujus operis momentum ac pretium qui accurate cognoscere volet, huic imprimis docta consulenda est ac copiosa sive censura seu disputatio, auctore J. L. Jacobi, quae prodita exstat in Schneideri: *Deutsche Zeitschrift für Christl. Wissenschaft* etc. ad a. 1851 menses Jun. et Jul. N°. 25—29. Quâ ex disputatione plura reposuit excerpta Niermeyerus, in opere, modo antea laudato, quod socio edidit Dresselhusio (*Magazijn* etc.), Tom. III. P. 1. p. 85 sqq.; ubi, in quaestione singulatim criticâ de scriptis Joanneis, quam auctoritatem haec habeant *Philosophûmena*, acute docet idoneus hic, si quis alius, judex; cujus etiam ipsius omnino consulendae sunt animadversiones.

Recens proditi hujus monumenti litterati (nam antea primus tantum editus erat ejus liber) quis auctor sit habendus, multis disceptârunt Viri docti, eaque adhuc *sub judice lis* esse videtur. Millerum enim Editorem, qui jure *Origeni* tributum esse opus contenderat, gravissimis allatis argu-

locis parallelis colligendis, recensendis, disponendis quomodo versatus sit, et quod singulis, unde hausti sunt, fontibus et scriptoribus pretium statuendum putet Auctor, breviter quidem, sed docte deinceps exponit.

Ex Viro clarissimo si quaesieris, quidni potius eum in modum consilii fines atque ambitum dilataverit, ut paullo recentioris etiam aetatis locos parallelos apponendos curaret; haec eum respondentem audies, quae, ne forte minus accurate interpreter, ipsius, quam meis, tradere malo verbis. »*In iis*," inquit, »*acquiescendum duximus, quae antiquiora essent* Irenaeo, »*i. e. Irenaei libris adversus haereses conscriptis, quippe qui*

---

mentis refutavit Jacobius. Hic autem Vir doctus, cum ab *Hippolyto* librum profectum esse multis probare conatus esset, strenuum invenit adversarium Feszlerum, Brixensem, in opere: Drey, Kuhn, Hefele etc. (*Tüb. Kath.*) *theol. Quartalschrift*, XXXIV. 2. p. 299 sqq. Hic enim a Cajo librum profectum esse demonstrare conatur, qui, anno fere 220—230, Sacerdotis vel Presbyteri munere functus, Zephyrini Papae, sive Episcopi, aequalis fuerit atque adversarius. Quem Feszlerum si audis, idem hisce *Philosophûmenis*, quod apud Photium *Labyrinthus* appellatur, opus continebatur. Ac suae sententiae patronum hic Baurum invenit. Vidd. Baur *u.* Zeller, *theol. Jahrb.* Tom. XII. (1853) p. 152 sqq. A quo multis refutatum videbis Jacobium. — Sed quid quaeris? Hujus ipsius sententiam adversus Feszlerum acute tuetur Hergenrötherus, Doctor privatus Munichiensis, (memoratae *Ephemeridis Cathol. Tübing.* eodem Tomo XXXIV. 3. 416 sqq.); — nec minus acriter impugnat atque erroris convincere studet E. Zeller (*Annall. theol.*, quos cum Bauro edit ipse, laud. Tomo XII. p. 143 sqq.); qui, a Niermeyero aliisque longe dissentiens, antiquissimis Gnosticis ignotum fuisse *quartum Euangelium*, argutius quam verius, evincere studet.

Id unum ex Virorum doctorum, Jacobii imprimis, disputationibus satis apparere mihi videtur, memorati operis auctorem non fuisse Origenem. A Cajo vero utrum profectum sit, an ab Hippolyto, an potius ab alio quopiam, de quo nondum quisquam cogitaverit, scriptore, mihi certe non liquere profiteor.

»primi *sint testes* prorsus indubitati *receptae per ecclesiam ejus* »*formae, quâ, si a rebus minoribus discesseris, euangelia* »*Matthaei, Marci, Lucae serius pervulgata esse deprehendimus.* »*Nam quae a scriptoribus prioribus laudantur cum euangeliis* »*canonicis congruentia, quia aut* rariora *sunt, aut talibus per*»*mixta, quae varie* discrepant, *aut ab* haereticis *hominibus* »*proferuntur; de fontibus vel certe de fontium formâ discep*»*tari potest; in isto Irenaei opere* primum *tantam habes et* »*copiam eorum, quae ex euangeliis hauriuntur, et in ipso textu* »*convenientiam cum scripturâ per codices ecclesiasticos nunc* »*plures nunc pauciores testatâ, ut, quod modo de euangeliis* »*ab illo usurpatis diximus, non possit non a sobrio quoque* »*agnosci.*"

Haec Angerus; quem si audis, inter annum demum 177 et 190, extremâ Eleutheri Episcopi Romani aetate, memoratum Irenaei opus conscriptum est. Quocirca *cum*, quae ex prioribus vel libris vel traditionibus depromsit ipse, *tum* quae apud alios, qui ante annum fere 190 floruerunt, Euangeliorum exstant parallela suos in usus contulit Synopseos Auctor.

Uti ineunte libro docta contineri *Prolegomena* vidimus, sic exeunti cum binae *Appendices* adjectae comparent, tum bini *Indices*. In quibus componendis atque ordinandis tam diligenter versatum esse Criticum nobis constitit, ut nec illas nec hos abesse vellemus. Prior enim Appendix *testimonia* breviter recenset *Irenaeo antiquiora de auctoribus, origine, tempore Euangeliorum synopticorum (et Euang. Joannei)*. Altera deinceps Appendix *notas* habet *ad Synopsin spectantes;* quarum pleraeque ad judicandas aut illustrandas referuntur, quas prodiderat Synopsis, seculi primi vel secundi narrationes traditionesque euangelicas. Qui locus brevi sed accuratâ disquisitione terminatur, quae caussas exponit, quibus adductus Auctor ex rei Christianae adversariis solum excitaverit *Celsum*, nec usquam *Luciani* rationem habuerit. — Qui tandem opus concludunt

Indices, eorum prior *synopticus* appellatur, alter et alia quaedam continet, quae jam attigimus, et quibus libri paginis singulorum scriptorum, vel sacrorum vel aliorum, loci dictaque prodita exstent, accurate indicat. Sunt autem ita locupletes *Indices* illi, ut, nisi plura, certe non pauciora, quam jure exspectaveras, iis memorata reperias. Quae ipsa etiam laus in plerosque utriusque Appendicis locos convenit.

Sed ne pro *breviore* justo longior evadat nostra haec *relatio*, paucis jam defungamur. Libri, quem edere parabat, praecipuum consilium ita, praefationis initio, descripserat Angerus. »*Quoniam id agebatur*," inquit, »*ut quae ex temporibus Irenaeo* »*superioribus invenirentur his Euangeliis* (synopticis) *parallela*, »eodem omnia obtutu *conspicerentur*, *duo maxime curanda* »*erant*, *ut quam* plenissima *esset* collectio, *quam* planissima »dispositio."

Sic igitur Auctor; qui gravissimo, quod professus erat, consilio adeo non excidit, ut librum publici juris fecisse censendus sit, et aliis disciplinae nostrae cultoribus utilem, et iis imprimis, qui, vel rei familiaris vel temporis subsecivi tenuitate exclusi, copiosiorem suos in usus convertere nequeunt supellectilem litteratam. Quo in judicio consentientem me habere video Ewaldium. Hic enim, quamvis parcus plerumque aliorum laudator, Angeri hâc in *Synopsi* multa probat nec quicquam reprehendit (1).

Qui vero neutrum sibi objectum habent impedimentum, neutrâ premuntur difficultate, iis auctor sum ut cum Angerianâ hâc, quam laudavimus, *Euangeliorum Synopsi* diligenter Tischendorfii comparent eodem in genere librum (2); quem et

(1) V. *Jahrb. der bibl. Wissenschaft, IVtes Jahrb.* 1851—1852, p. 80.

(2) *Synopsis euangelica, ex quatuor Euangg. ordine chronol. concinnavit, praetexto brevi commentario illustravit, ad antiquos testes apposito apparatu critico recensuit* Const. Tischendorf; *Lips.* 1851. Pagg. LXVI etc. 202.

docta *Prolegomena* commendant et accurata praecipuorum Codicum notatio, et alia bona dotesque; de quibus, in tantâ ac tam singularibus meritis partâ Viri famâ ac gloriâ, singulatim referre nihil attinet.

Fr. Schleiermacher's *Briefwechsel mit* J. Chr. Gasz. *Mit einer biographischen Vorrede herausgegeben von* Dr. W. Gasz; Berol. 1852.

Schleiermacheri *cum* J. Chr. Gasz *epistolarum commercium. Cum praefatione, utriusque vitam illustrante, edidit* W. Gasz, *Theol. Prof. extraord. Gryphiswald.* Praefatio XC, ipsae deinceps epistolae 232 implent pagg.

De Schleiermachero quotusquisque nostrae hujus aetatis Theologorum est, qui non saepius sibi dicendum putaverit? Ac permultos adeo fuisse novimus, qui, suo quisque modo, ejus ex fontibus hortulos suos irrigarent. Quibus, quamvis inter se dissentientibus, eo commodior in nonnullis certe ducem illum sequendi via parata erat atque opportunitas, quo plures et quo magis diversas in partes ingenii doctrinaeque et institutionis veluti fluvios diducere consueverat acerrimus ille, in quo plures uno esse videbantur homines, Philosophus ac Theologus. A Socratis enim familiaritate ac populariter colloquendi consuetudine quamvis longe abhorreret acuta Schleiermacheri ac dialectica disserendi ratio; vel sic tamen in eo simillimus illi hic erat, quod, quae de Sophronisci filio Tullius ait, optimo jure in ipsum accommodari possent. »*Ex illius variis*," inquit, »*et diversis et in omnem partem dispersis disputationi-*

»*bus alius aliud apprehenderat* (1)." Nec minus accurate nostram in rem convenit quod alibi eodem de Philosopho Atheniensi testantem eundem audimus Ciceronem. »*Cujus*," ait, »*multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii* »*magnitudo — plura genera effecit dissentientium Philosopho*»*rum* (2)."

Verum misso Socrate Berolinensem redeamus ad Doctorem. Cujus igitur disputationum ea varietas erat ac discrepantia, quae quod amplecti possent et ad sua cujusque decreta confirmanda conferre, *Theistis* offerret et *Pantheistis*, *Orthodoxis* et *Heterodoxis*, *Dogmaticis* et *Scepticis*. Ne de *Mysticis* dicam. Horum enim animis se non commendare non poterat Vir, quem *σκοτεινὸν* ac *δυσερμήνευτον* jure vocavit cl. Lückius (3), idemque *Fratrum Moravicorum* olim alumnus (4), ubicunque, religionis in caussâ, intimo cuidam *sensui* prae *rationis* lumine principatum tribuebat. Quae omnia si perpendimus, permultos fuisse atque esse Theologos non mirabimur, qui, quamvis sibi invicem infesti, in uno tamen praedicando plane consentiant Schleiermachero, ac tam amplis ejus merita laudibus efferant, ut vix quemquam huic aequiparandum censeant rerum divinarum Doctorem.

Mihi etiam ipsi, de me si profiteri licet, de illo subinde

---

(1) Vid. Cic. *de Orat.* L. III, Cap. 16.

(2) Vid. Idem *Tusc. Quaestt.* L. V, Cap. 4. Ad q. l. Philosophorum, Socratis ex Scholâ profectorum, sectas enumerat Moserus apud Kühnerum.

(3) Vid. pulcherrimus libellus, qui inscribitur: W. M. L. de Wette, *Zur freundschaftl. Erinnerung von* Dr. Friedr. Lücke (Hamb. 1850). Ubi, p. 6 sqq., multa de eo, quem scite *Heracliteum* vocat, Schleiermachero.

(4) Cf. omnino W. Gasz, *Commercii epistolici*, de quo mox agemus, in *prologo*, p. XVII—XIX; ubi ex *Hernhutianâ* Theologi educatione ea ducenda putat, quae ejus in scriptis *Pietismum* redolent. Sed totus ille legendus est prologi locus.

dicendi vel opportunitatem dabant vel officium imponebant pensa academica; *Theologiae Naturalis* imprimis recentissima, quam Auditoribus enarrabam, *Historia*. Ubi vero Philosophiae de Deo in Heroibus Virum, sanequam magnum ac singulari praecellentem ingenii acumine, me reponere non posse, quantopere dolui doleoque! Quid enim mihi faciendum esset, judicent lectores. Prae caeteris sine dubio hîc mihi consulendae erant, non dogmaticae *Theologi* disputationes, sed *Philosophi* potius ejusdem a multis celebratae *de religione Orationes* (1). Praecipuum hicce liber fontem aperiebat, unde puras (dummodo puras!) doctrinae, quam diximus, aquas haurire deberem. Jam harum quidem Orationum nec omnes editiones nec ejusdem editionis omnes satis sibi constant loci. Sed plura tamen procul dubio iis insunt, quae *Pantheistae* placeant, religionem *animi in Universum inclinatione* contineri putanti, quam *Theistae*, Deum, Universi a se diversi Creatorem liberrimum ac Gubernatorem, adoranti. Verissime enim Hermannus Ulricius (2): »Schleiermacheri," inquit, »de religione ora»tiones *non ambigua* Schellingianae *produnt doctrinae* »*principia. Nam id agunt ut nos ad amplectendam adducant* »*absolutam, quae ab initio fuerit, unitatem id inter quod est* »*et quod cogitatur, reale inter et ideale, objectivum inter et* »*subjectivum*." — Nec minus vere Ernestus Reinholdius 3),

(1) *Ueber die Religion. Reden an die Gebildeten unter ihren Verächtern.* Quem librum primum, nomen non professus, edidit *Berolini* 1799. Tertia vero editio anni 1821 singulis orationibus subjectam habet annotationem, quae quod, priore utrâque in editione, paradoxum erat ac Pantheismum redolebat, lenire studet ac colorare, et Auctoris cum *Dogmaticâ*, eodem anno editâ, quantumpote in concordiam redigere. Tum quarta editio, tertiae plane similis illa, *Berolini* vulgata est a. 1831. Quod de libri annotatione diximus; nobis consentit Ern. Reinhold: *Lehrbuch der Gesch. der Philosophie. Dritte Aufl.; Jenae*, 1849, p. 630. Nec aliter Julius Schaller, in optimae frugis commentatione, inscriptâ: *Vorless. uber* Schleierm.; *Halae*, 1844.

(2) Vid. Ulrici: *Geschichte u. Kritik der Principien der neuern Philos.; Lips.* 1845, p. 620.

(3) L. l. p. 629.

etsi nullius ille discipulus dici vellet, tamen ex *Schellingianâ* potissimum *Naturae Philosophiâ* eum profectum esse docet, ac postea ita hujus rationis errores cavere studuisse, ut tamen ad *Dualismum,* id est ad veram agnoscendam Deum inter et mundum diversitatem, pedem non referret. A quibus non dissentiens Clarissius, eum, de quo agimus, Philosophum in iis numerat aequalibus, »*qui, ex* Schellingii *disciplinâ profecti* »*aut eam quodammodo secuti, ita subinde scripserint, ut ani-* »*mum prodere plerisque viderentur, a pestiferâ Pantheismi* »*doctrinâ, virtuti infestissimâ illâ ac Fatalismum inducente, non* »*magnopere alienum* (1)."

Haec igitur, quae Virorum clarissimorum testimoniis exponere, quam meâ probare disputatione malebam, satis, ni fallor, docent, nisi a me ipso diversus abire atque ex *Theistâ* in *Pantheistam* me commutare voluissem, non magnopere ab hoc homine librum laudari potuisse, in quo dubites utrum potiores *Deo* partes tribuantur, libero mundi Conditori, an ipsi *Mundo,* divinae naturae participi. Verum quam candide, quid memoratis de *Orationibus* sentiam, Auditoribus declarare soleo, tam diserte ne eodem, quo *Philosophum,* numero *Theologum* habeant iis auctor sum. Ubi et alia et haec me monere memini. Si verum est, inquam, quod non pauci statuerunt, non raro eodem in homine duos distingui posse homines; in nemine facile luculentius id apparet, quam in Schleiermachero. Quem utrum *Theologum* spectes ecclesiasticum ac dogmaticum, an vero *Philosophum,* dictu incredibile est quantum intersit. *Hujus* enim personam agens, tam longe a Codicis Sacri Christique singulatim placitis atque auctoritate recedebat, quam prope ad Schellingii priora decreta, plane pantheistica illa, accedebat. *Theologum* vero se gerens, subtilem quandam profitebatur

(1) *Encycl. theol. Epitome,* p. 414. Quod eo magis attendendum est Viri solertissimi judicium, quo cautius enuntiatum.

Dogmaticen, in *absolutae dependentiae sensu* fundatam; quam *Rationalismi*, cui favebat Seculi levitas, audaciae repagulum posuisse atque obicem efficacissimum, passim nec plane injuriâ statuerunt ejus laudatores.

Talia igitur iterum iterumque commonefaciens et indubiis confirmans rerum testimoniis, cavere conatus sum, ne, cui falso tributas denegari laudes audirent, huic veras impertire debitasque dubitarent Commilitones. Jam vero quae memoratis in *Orationibus* improbare debui, nec improbâsse me poenitet, ea in spretorum Auctoris meritorum suspicionem diutius me adducere nolui. Quocirca primâ hâc, quam mihi concessam videbam, opportunitate usus, eas, quarum inscriptionem supra reposui, Schleiermacheri Gasziique epistolas cognitu lectuque dignissimas et utrique universe honorificas se mihi probâsse, publice testificandum duxi. Quod quidem ne quis aliorum ex imitatione manâsse consilium opinetur; nullam adhuc publice proditam me cognovisse sciat hujusce libri censuram.

Bipertitum igitur hoc nobis est opusculum. Cujus priore Parte ea continetur, quam vocat Auctor, *praefatio;* quam vero, ullâ sine jactationis specie, *Introitum* in epistolas, quas evulgare parabat, dicere potuerat. Sed utcunque vocetur praemissa haec a Gaszio Filio disputatio; ejusmodi est ea, quae mé certe Scriptori conciliaverit. Est enim perspicue, modeste, moderate scripta, nec majorem a candore, quam a prudentiâ commendationem habet, suoque de consilio re minora promittit. De Patre dicit amanter, ut Filium decebat. Nec tamen ingenii doctrinaeque dotibus imparem Amico eum fuisse Schleiermachero dissimulat. *Hujus* quidem, ut par erat, magnitudinem admiratur. Nec tamen ineptos illos imitatur *Magni*, quem nonnulli vocant, Viri *Defuncti* laudatores, quorum grandis oratio et exaggerata *nimium* dicendo *nihil* dicit.

Epistolas, inquit, meum ad Parentem olim a Schleiermachero datas, diu mecum ineditas servavi; jam vero longam post dubitationem publici juris facio. Cum praesertim nec epistolarum, quas scripserit, largus publicatus exstet proventus, et eae, quas nunc edendas curamus, multis ejus rebus lucem afferant non contemnendam. Et vero eorum, quae ad illum vicissim scribere consueverat Pater, quorum vero mihi copia non erat, exempla mihi ad consilium adhibenda concessit ven. Jonasii humanitas. — Epistolarum, quas edimus, pars *theologica* numerum multum excedit *politicarum*. Huic autem Duumviros inter litterarum commercio, anno jam 1808 inchoato, Gaszii demum mors, a. 1831, finem fecit. Sex et viginti igitur annorum spatium complectitur. Nec plerumque majoribus silebat temporis intervallis; si a solo discesseris, quo una degebant Amici, biennio. Dubitationis aliquid subinde curaeque (sic porro consilii rationes exponentem eum audimus) nonnulla vel omittendi vel leviter immutandi mihi peperit officium. Neque enim omnia, quae ad intime sibi junctum amicum perscribit amicus, commode possunt evulgari. Nec vero dignae sunt, quae omnium ad notitiam perferantur, quaecunque vita domestica nuntiandas offert, res minutae. Gaszius imprimis, cujus vehementius, quam Familiaris, commoveri solebat animus, tam libere cum eo multa communicabat, ut de verborum usu delectuque non anxie deliberaret. Hujus igitur ex epistolis alias plane seponendas duximus, aliarum partem tantum aliquam aut summam depromsimus. Schleiermacheri vero in litteris magis suspensâ manu versatus, paucissimos tantum earum locos vel sustuli vel lenivi, idque ita ut integrum universe maneret argumentum, integra forma. — Tum brevem adjecimus *annotationem*, plerumque non criticam illam, sed historicam, quae, quas obiter tetigerant Amici, res sacras caeterasque breviter explicaret, et litterarum, si quando, omissarum argumentum, quantum opus erat, indicaret. Quo facto cavebatur ne de rerum connexione ac catenatione incerti dubitarent lectores.

Haec ex *praefatione* sive *prologo*, quasi ipsum dicentem audiremus Editorem, breviter ac summatim reposuimus. Nobis autem verissime haec dicta esse constitit. Cum praesertim annotatio, plerisque subjecta paginis, paucis ut plurimum verbis multa complectatur, vel ipsarum epistolarum argumentum illustrantia, vel eorum universe, quibus scriptae erant, annorum historiam litteratam locupletantia. Quod ejusmodi est, ut, cum multos habeam litterarum a Viris doctis scriptarum fasciculos, in iis oppido paucos esse cognoverim, quibus tantum, quantum huic, lucis attulerit Editorum diligentia. Nec in illâ, quae ad singulos, ubi opus erat, commercii epistolici locos referebatur, annotatione acquiescens Theologus Gryphiswaldiensis, in ipsâ etiam praefatione multa de Schleiermacheri ac Gaszii vitâ retulit, quae, quo melius intelligeremus et quo aequiore judicio quae scripserat uterque prosequeremur, in antecessum cognoscenda putabat. Ac de Schleiermachero quidem pleraque, quae dicit, in vulgus nota esse modeste monet. Quod mihi ita verum videtur, ut multa tamen, certe non nimis pauca, quae valde memorabilia sint, de illo narrâsse eum existimem. Quae vero lectori quaerenda relinquo. Sed quando minus clarum, apud nostrates certe, Gaszii, qui tantum hominem Familiarem habebat, nomen est, de eo pauca quaedam, quae vel ex Filii relatione vel aliunde cognovi, narrare juvat.

Joachimus Christianus Gasz, d. 26 Maji a. 1766 prope Pomeraniae urbem natus Anclamiam, Halensi in Academiâ Semlero prae caeteris in disciplinam se dederat. Jam primum Stettiniae Militum cohorti cuidam fuit a Sacris; deinde Berolinensium apud s. Mariam Antistes; tandem Silesiae in metropoli Consiliarius consistorialis, item, in recens conditâ Wratislaviae Academiâ, Theologiae Professor. Quâ in urbe, a. 1831, triennio ante eum, quocum tot per annos litterarum commercio

junctus fuerat, Amicum, diem obiit supremum. Vir bonus ac doctus idemque religionis amantissimus, Rationalismi frigus atque indifferentiam sincere doluerat. Aliquamdiu vero, Theologorum in divortiis, ubi sibi standum esset dubitâsse videtur. Tum Schleiermachero conciliatus, ita hujus amplexus est ac commendavit doctrinas, ut nunquam non *suus* maneret. Quod et alibi egit et, magno cum acumine, liturgico quodam in scripto, quod *Christianorum de cultu sacro* praecepta dat (1). Quod reliquum est, magnae fuit Silesiensium in Ecclesiâ Vir auctoritatis, omniumque singulatim particeps vel consiliorum vel litium, quas, Borussiae Regis auctoritate praescripta, peperit *Agenda* ecclesiastica et externa Protestantium templorum communione conjunctio. Unde quae exstiterunt mala Deus avertat!

De ipsis, quas nunc primum editas esse vidimus, epistolis non est quod multa dictis adjiciamus. Neque enim pauca continent, quae iis, qui recentissimam Germaniae historiam, vel sacram vel litteratam vel etiam civilem, accuratius cognoscere cupiant, grata fore atque accepta confidamus. Quo in genere eas res esse ac concertationes ecclesiasticas plerique reputabunt, quas proxime tetigimus. Has enim ab iis hîc accurate narratas invenient et acute dijudicatas, qui, diverso uterque modo, *rerum gestarum magna pars* fuerant. Atque eodem ea etiam omnino retulerim, quae cum de tristi, quae ineunte hoc seculo fuerit, Theologiae in Germaniâ conditione, tum de Borussiae, Silesiae imprimis, a. 1813, ancipiti statu, ad Amicum referen-

---

(1) J. C. Gasz, *über den Christl. Cultus; Breslau,* 1815. Quâ de disputatione Peltii judicium secutus sum, *theol. Encycl.* p. 596. Caetera, quae mihi quidem innotuerint, ejusdem Gaszii haec sunt scripta: *Beiträge zur Verbreitung eines relig. Sinnes in Predd.; Stettin,* 1803. 1805; — *Predigten, meistens bei besond. Veranlass. Berol.* 1806; — *Jahrb. des prot. Kirchen- u. Schulwesens in Schlesien; Wratislav.* 1817—1820. IV Voll.; — *Ueber das Wesen der Kirchenzucht; ibidem,* 1819.

tem audimus Gaszium. Alia multa, quae forsitan graviora etiam alii habebunt, sciens prudensque praetermitto.

Verum Schleiermacherum imprimis plenius cognoscere multos juvabit, eumque non in mundi theatro, sed amicitiae in secessu, loquentem audire, ubi familiarissimi hominis velut in sinum arcana sua nihil reticens sensa effundit ac cogitata. Qui igitur hocce in fasciculo libere judicantem eum videbunt de magni nominis aequalibus, quibus vel-Collegis academicis utebatur, vel amicis, vel inimicis. Breviter sed argute notissima quaeque opera theologica censentem eum animadvertent, Ernestinam *Interpretis N. T. institutionem*, Eichhornii *Introitum*, Noesselti *Opuscula*, Pauli Heidelbergensis *Commentarium*, alia. Passim talem eum comperient, qualem fuisse aliunde constat, *Dialectices* ac *dialecticae* quorumvis scriptorum atque argumentorum dispositionis amantem admodum et studiosum. Quam acutum animo solertemque ubique eum deprehendent, tam infirmum subinde atque invalidum adversâ corporis valetudine.

Tandem iis singulatim legendum commendo librum, qui fraterno illo calent amore, cujus, *Paullo* teste (1), proprium est *οὐ χαίρειν ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρειν δὲ τῇ ἀληθείᾳ.* Quippe qui nobilioris, qui Theologo fuerit, animi atque indolis hisce in libris non ambigua consignata reperturi sint indicia ac documenta. Religionis enim sensum atque amorem et aliis deësse candide conqueritur aequalibus, et ipsis adeo, quos Halae habebat, Collegis theologicis. Quae sive verae fuerint querelae, sive, quod crediderim, in nonnullos iniquiores; id certe satis probant, sensuum pietati animique in Deum viventem inclinationi (2), haec qui ad intimum scriberet Amicum, multum tribuisse ipsum. Tum, quantum Viri vitam familiares hae ex vero

---

(1) 1 *Corinth.* XIII. 6.

(2) Quanto saniora haec, quam quae in *Orationibus de religione* dixerat!

repraesentant epistolae, quod omnino facere videntur, non raro erga Theologiae Studiosos, honoraria sibi debentes, liberalem se demonstrat non dives ipse; — erga uxorem liberosque maritum ac patremfamilias amantem providumque (1); erga patriam bonum civem, justi, quod sibi quidem videbatur, atque aequi tenacem. Gaudente cum Amico gaudet, cum plorante plorat. Quod vero prae caeteris me quidem advertebat; valde modestum Familiari sese demonstrat maximi Vir ingenii doctrinaeque. Qui, theologicae jam cathedrae impositus, nuperrime sibi nec valde adamatam fuisse nec probe cognitam Theologiae Litteraturam ingenue fatetur. Atque eadem ipsius apparet modestia, ubi magno sibi labore commentationem constare Scholarum, quae habendae erant, academicarum iterum iterumque affirmat, ac vel sic tamen non raro earum sibi rationem displicere ac conformationem conqueritur.

Quid multa? Mihi si forte Schleiermacheri scribenda foret laudatio, his ex epistolis plures, quam ex iis, quas supra memoravimus, *de religione Orationibus*, locos dictaque Auctoris in honorem afferenda putarem (2).

---

(1) De illicito, quo aliquando in alienam uxorem, Eleonoram, ferebatur, amore quae et Editoris prologus et ipsius epistolae narrant, haec ad priora illius pertinent tempora. Sed forsitan ea delere praestiterat.

(2) Nihil a quoquam de Schleierm. majore elegantiâ scriptum est, quam Lückii laudatio, prodita in Ephemeride: *Studien u. Kritiken*, Tom. VII. (1834) p. 745 sqq. Ex cujus narratione, appropinquante certe mortis horâ, non amplius ex *Mundi* infiniti religiosâ admiratione animi consolationem hausisse Virum acutissimum apparet, sed potius ex *Christi*, Mundi peccata expiantis, meritis infinitis.

Memoria Joannis Clarisse, *Theologi. Auctore* Hermanno Bouman. *Traj. ad Rhenum*, 1850. Pp. 355. 8.

Hunc, cujus titulum adscripsimus, librum cum eorum in numerum a me relatum viderint lectores, de quibus breviter dicturus sim, erunt fortasse nonnulli, qui, proverbii memores antiqui: *sua cuique placet Helena,* me vel ejus, si quae sunt, bona commendaturum esse exspectent, vel defectus excusaturum, vel integritatem ab obtrectatorum iniquitate vindicaturum. Verum *primum* illud ne faciat, auctorem modestia vetat ac verecundia. *Alterum*, quantum sufficere videbatur, ipsius egimus opusculi praefatione. Quod quidem opusculum quibus laboret defectibus, vel ex auctoris tenuitate natis, vel ex rerum nonnullarum ignoratione profectis, vel ex scribendi festinatione contractis, ne severissimi quidem ingenii judex plenius facile, quam ipse ego, perspexerit. Ad reprehensores autem quod attinet, iniqui si qui sunt et malevoli, quales in priora certe mea qualiacunque scripta subinde involâsse putârunt Amici; pristini me minime poenitet consilii silentio potius eos confutandi, quam, injuriis vicissim reponendis ac maledictis, irritandi ac lacessendi. Benevolos vero monitores amicorum loco habere par est, qui, non id agentes ut nostros veluti in triumphum ducant errores, iis nos liberare malint ac meliora edocere. Verum quid est quod hujus singulatim libelli reprehensores loquar? Eum enim plerique, ad quorum notitiam pervenit, vel cives vel exteri homines eâ acceperunt benevolentiâ, quae non

narrantis profecto mediocritati, sed Viri in paucis magni, quem viventem atque agentem referebat, meritis deberi videretur. Atque utinam meo non plane exciderim consilio *Theologi*, cum animi bonis tum doctrinae copiis cumulatissimi, veluti vultum et imaginem, nullis ornatam mentitis coloribus ita repraesentandi, ut intuendo CLARISSIO *Theologiae*, in quâ vitae tabernaculum posuerat, ambitum et dignitatem et praestantiam omnes suspicere discerent lectores, atque ad eam ardenter amandam et sancte colendam nostrarum incenderentur Litterarum alumni!

Verum in haec latius excurrere nihil attinet. Ad ea jam gressum faciamus, quorum potissimum caussâ de libro breviter referendum duximus. Neque enim sponte oblatam nonnullos certe illius locos vel retractandi vel supplendi temere negligere volebam opportunitatem. Quod nec cuiquam molestum et Clarissiani nominis amicis gratum fore confido.

Pag. 43, in Enchusanis Clarissii Familiaribus brevissime Jungium memoravi. Fuit hic, quod postea comperi, Vir experientissimus R. J. Jungius, ab anno inde 1787 Medicinae in Enchusae urbe Doctor, idemque, a. 1814, Delegatis ad res medicas in Hollandiâ Septentrionali curandas adscriptus. Fato functus est Senex grandaevus, d. 28 m. Martii 1850.

Eâdem paginâ, alium Clarissii, eâdem in urbe viventis, Amicum nuncupavi Gerbrandum Bakkerum. Quem, a. 1806, Harlemum *Anatomes, Chirurgiae Actisque Obstetriciae Lectorem*, evocatum esse narravimus. Quae vero sic supplenda sunt dicta. Enchusâ relictâ, sponte suâ *Voorschoteniam*, Hollandiae Meridionalis in pagum, migrârat. Postmodum autem, otii pertaesus Vir actuosus, *Harlemi*, quo memoratum ad obeundum munus honorifice invitatus erat, fortunae suae sedem collocavit.

Pag. 55, de Groninganâ Philosophiae cathedrâ Clarissio delatâ narraturus, proxime antegressa ita tradidi: »*Cui igitur* »(Joanni Bosman) *Regionis* (*Groninganae*) *Moderatores*, »*exeunte m. Aprili* (*a.* 1804), *sufficere decreverunt* Gabriëlem »van Oordt, *qui tunc quidem Trajecti ad Rhenum sacrorum* »*Antistes erat, sed mox, ibidem Theologiae Professor dictus*, »*hanc illi cathedram sibi praeferendam duxit*.". — Haec vero olim dicta jam paullo accuratius ita narranda esse video. Quo tempore Groningam evocabatur, *Harlemi* adhuc sacrorum Antistes erat Van-Oordtius. Verum, ipsissimo biduo ante, ut *Trajecti ad Rhenum* idem illud susciperet munus rite Synedrii decreto invitatus erat. Jam autem *Groningana*, quam diximus, vocatio *Rheno-Trajectinos* etiam impulit ut obtinendae suâ in Academiâ *theologicae*, cum primum vacatura esset, *cathedrae* certam ei spem facerent. Ac deinceps ea, quae porro narravimus, facta sunt.

De utrâque, quam proxime attigi, re benevole me monuerat J. F. van Oordt J. G. f., Theologus, dum vivebat, Leidensis; quem lento, quo diu cruciatus erat, morbo nuper succubuisse doluerunt omnes dolentque, qui Viri clarissimi candorem interius cognoverant ingeniique dotes et doctrinae varietatem.

Ad *pag.* 98 atque *utramque* ejus *annotationem*. Quas *orationes ad honestioris maxime loci juvenes* edidisse Theologum novimus, earum partem certe *Leidae* etiam, anteaquam publici juris fierent, sacrâ pro concione pronuntiatas esse, neque igitur id me suspicantem errâsse, luculento mihi constitit testimonio doctissimi J. T. Bodel Nyenhuis. Cujus operae atque humanitati multa nostram debuisse narrationem, et praefatione et aliis locis, sicuti par erat, monitum est.

Pag. 105 sq., Praeceptoris Ἐγχειρίδιον memoravimus, *Dei*

cultui domestico regendo destinatum (1). Quod utilissimum opus, et piorum Christianorum et vero Antistitum usibus commendandum illud, iterum idque minore jam pretio parabile et Auctoris ornatum effigie, edi coeptum est *Roterodami*, a. 1850.

Pag. 188, Clarissii adolescentis disputationem attigimus, ubi *Veteres* nostros *Poëtas*, quos *Nederlandicos Medios* (2) recentissimus nonnullorum appellat usus, id est Maerlantium ejusque aequales, *metricae syllabarum dimensionis* non plane ignorantes fuisse docet. Quod ipsum, Maerlantii imprimis pluribus ad Prosodiae pedes revocatis versibus, adversus elegantissimum, qui secus statuerat, Huizingam Bakkerum demonstrat. Quod vero quam memorabile fuerit et quantam tunc novitatis commendationem habens Praeceptoris nostri inventum, postea demum, intelligentium admonitione praelucente, plenius perspexi. Utroque enim, quod proxime jam praeteriit, seculo, de Maerlantii, Aemilii Stoke atque aequalium versibus, rudibus plane atque inconditis, eadem apud nostrates opinio vigebat, quam, ab Huizingâ Bakkero denuo propugnatam, a Clarissio strenue confutatam esse diximus. Ac, quinquaginta demum et quod longe excurrebat post annis, vidit atque, a. 1837, publice docuit in Belgio clarissimus Bormansius, quos adeo incultos putaverant versus, eos ad certas Prosodiae leges compositos esse et, sive *jambici* sint seu *trochaici*, definitum aliquem syllabarum numerum habere ac dimensionem. Primus igitur fuisse Bormansius plerisque visus est, qui eorum, quos diximus, Poëtarum metricam rationem ac concinnitatem perspiceret ac declararet. Quamquam in honoris societatem iidem cl. Monium (Mone) admitterent, qui proximo deinceps anno nobilissimi illius Belgarum Doctoris et inventa suppleverit et erro-

(1) *Aanleiding tot huisselijke Godsdienstoefening.*
(2) *Middennederlandsch.*

res nonnullos correxerit (1). Jam vero nec Bormansium fuisse nec Monium nobis apparuit, sed CLARISSIUM, qui primus, quamvis adolescens, hujus rei rectius, quam Viris contigisset doctissimis, perspiciendae viam aequalibus posterisque monstraret. Quodsi enim non omnia forte, quae hîc in censum veniant, viderit, de quo non judico; id certe, quod caussam continebat, id est revera *metricam* fuisse atque ad Prosodiae leges exactam, veterum carminum rationem, nec ipse ignoravit nec lectores ignorare passus est. Nos igitur, etsi Bormansii Moniique de honore nihil quicquam detractum volumus, omnes tamen, qui deinceps vetustae *Poëseos Nederlandicae* conscripturi sunt historiam, ut caveant rogamus ne diutius justissimâ illâ, quam diximus, inventionis laude destitutum maneat Clarissii nomen ac defraudatum.

Pag. 292, *annot.* 3, atque iterum *pag.* 337, Praeceptoris, *juvenilia* sua recensentis opuscula, scidulam presse secutus, eum ad *Horreum* aliquod symbolas contulisse narraveram, quod vernacule editum, *a pietate* nomen haberet (2). De cujus tamen operis nec ratione mihi constiterat nec caeteris auctoribus. Quo magis hîc benevolentia praedicanda est, quâ ex incerto certum me fecit Isaäcus Prins, sacrorum apud Amstelodamenses Antistes fidissimus, qui, optimae frugis in vario genere scriptis editis, ubi Voorstianae cernitur praestantia disciplinae, de Ecclesiâ Nederlandicâ bene meruit ac, quamvis grandaevus,

(1) De quaestionis cum historiâ tum ratione plura copiose et docte monuit, qui omnino consulendus est, rev. P. Leendertz G. f. (W. z.), in Ephemer. vernaculâ: *De Gids*, ad a. 1850, N°. 3, p. 269 sqq. Ubi de libro refert cl. W. J. A. Jonckbloet, *over middennederl. epischen Versbouw, Amst.* 1849. — Clarissii hâc in caussâ merita *raritas* obscurâsse videtur illius, quo doctam consignaverat disputationem, operis: *Schatkamer van Vernuft en Smaak.* Quo libro si quis forte uti cupiat, ad commodandum facilem me praebebo.

(2) Nederlandice liber dicitur: *Het godsdienstig Magazijn.*

merere pergit. Neque igitur Praeceptoris certe amicis ingratum me facturum esse confido, si eorum, quae ex Viro gravissimo cognovi, summam hîc reposuero. Quod memoravimus igitur opus, tesserâ notatum: *Veritati ac Pietati*, ac sedecim particulis menstruis divisum, annis 1787—1789, *Trajecti ad Rhenum*, apud Henricum van Otterloo (1), editum est. *Primus* hic libri *Tomus* (sic enim dicitur; quamquam in eo uno edendo substitisse videntur auctores) paginas complectitur 575. Posteriores, quae a. 1789 vulgatae sunt, particulae praefationem habent, cujus auctorem se profitetur S. d. V., id est, ut videtur, Simon de Visser, tum fortasse Clarissii Rheno-Trajectinâ in Academiâ condiscipulus, qui in pagis deinceps *Spykenisse*, *Ethen* et *Drongelen*, tandem, ni fallimur, in pago *Aalsmeer* sacrorum Minister fuit (2). Illud igitur, cui Moderator hic praefuisse videtur, opus pia continet meditata, epistolas, orationum sacrarum fragmenta, item qualiacunque quaedam carmina. Nonnulla hîc scripta exstant, juvenilem aliquam exuberantiam habentia grandioremque illum, qui Bellamii tunc amicis nonnullis placebat, stilum atque orationem. Hocce igitur *Horreo* plura continentur Praeceptoris nostri practica commentariola, quorum pleraque pleno ejus nomine notantur, una esse dicitur J. C. P. S., i. e. Joannis Clarisse, *Philosophiae Studiosi*. Omnes auctoris testantur in Deum Christumque pietatem, atque ingenii subinde igniculis distinguuntur, nec stilum tamen habent ad virilem maturitatem limatum ac Dogmaticen paullo magis scholasticam, quam postea ei placuisse novimus. Quae ne quis miretur, duodeviginti aut undeviginti annorum adolescentem fuisse, haec qui scriberet, auctorem perpendat oportet. — Quod reliquum est, quae hoc de libro, nunc fere ignoto illo, sed Clarissiani nominis commendationem habente

(1) De quo vid. *Memor. Clar.* p. 259.

(2) Cf. J. H. Brans, *kerk. Register der Predd. — van de Synodus van Z. Holland* etc. (Roterod. et alibi, 1802) p. 114. 134. Nec certo tamen scio, num quid forte meae huic de Viro ven. notationi desit.

eodem, narravimus, non nobis accepta referenda sunt, sed Viro potius, quem diximus, plurimum venerando ac litteratissimo (1).

Pag. 307 et *annot.* 1 *initio*, Praeceptoris sententiam memoravi, *Nederlandorum* usum laudantis, quo ea, quae sacro ex pulpito audienda tradit Antistes, rei accommodatâ voce vernaculâ, scite atque apte *comparatas ad docendum* appellant *orationes*. Quâ in re et illum et me (neque enim aliter sentio) consentientem habere cognovi Samuelem Mullerum, Theologum gravissimum, cujus in omni re *homileticâ* magna est auctoritas. Sed omnino me laudare oportuerat quae eâ de re hic ipse, *theologicis* in *Symbolis*, copiose et accurate docuerat (2).

Pag. 329, in *Addendis atque Emendandis*, ut binis jam locis relata supplerem, plura, quae *Censoris Censorum* in opere Clarissio vel certo vel probabiliter tribuenda sint, breviter memoravi. His vero omnino adjicienda esse Reiberi *Meditata* nonnulla practica et apologetica, postea mihi constitit. Horum enim interpretem ipse se professus est Theologus, eaque magni se facere luculenter ostendit. Singuli illorum loci (dicam enim, ut quis si forte, argumentorum gravitate allectus, ad legendi quaerendam opportunitatem impellatur) his distinguuntur inscriptionibus: *Deus* — *Codex sacer* — *Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus* — *Mundi creatio, sustentatio, gubernatio* — *Peccatum* — *Hominum per Christum instauratio* (3).

---

(1) *Eâdem pag.* 292. *v.* 5, pro voce *meditationes* scribere praestat *meditata*. Cui igitur mutationi ea, quae huc referuntur, periodi verba attemperanda esse sponte intelligitur. Atque alibi etiam si forte idem irrepserit soloecismus, lectoris eum emendet benevolentia velim.

(2) Vid. cl. S. Muller, in op. vern. *Godgeleerde Bijdragen*, *ad. a.* 1843, p. 579—608.

(3) Haec conversa exstant *Meditata* in Ephem.: *De Recensent*, *o. d. Recc.*

Tandem Theologi scriptorum brevi, quam *pag.* 336—344 consignavimus, notationi posthumum opus addatur, quod *post fata loquentem eum* informat ac repraesentat (1). Optimae frugis liber pulcherrimorum quorumque locorum, ex ineditis Auctoris orationibus sacris selectorum, largum effert proventum. Qui loci quod concinno ordine digesti sunt atque ad sua quique capita relati, *Editoris* curae debemus ac prudentiae, doctissimi F. H. G. van Itterson. Qui, quam pietatem erga Praeceptorem viventem ac morientem demonstraverat, eandem erga mortuum verbis factisque cumulavit. — In hoc singulatim opere edendo quâ diligentiâ versatus sit ac religione, testis, si quis alius, ego sum locuples. Cui multas Clarissii scidulas ineditas perlustrandi copiam fecit Viri venerandi humanitas (2). — De *praefatione*, quâ eleganter scriptâ librum ornavit, quominus multa dicam metus prohibet, ne quae nimis benevole de meâ qualicunque scripsit narratione judicii integritatem inflexisse videantur. Quocirca id unum affirmo, Clarissii de sacris concionibus earumque praestantiâ si quis accurate doceri velit, huic Ittersonii imprimis monita consulenda esse. — Sed quid est quod meum pluribus hîc exponam judicium? Omnes enim, quantum novimus, librorum Censores Nederlandici in iisque illi etiam,

---

Tom. XIV. P. II. p. 457—467, Tom. XVI. P. II. p. 1—12, p. 45—55. Cf. Clar. *Epit. Encycl. theol.* p. 429.

(1) Inscribitur opus: Joannes Clarisse *sprekende nadat hij gestorven is. Een leesboek voor het Christelijk huisgezin. Met portret. Arnhem,* 1850. XXVI pagg. Editoris continet praefatio; 438 pagg. ipse liber, nitide excusus ille atque eleganter.

(2) Neque igitur, in tantâ locorum selectorum praestantiâ tantâque Viri venerandi curâ, est quod solitâ hîc utamur, quam posthuma pleraque sibi scripta requirunt, excusatione:

»*Quoque magis faveas, non sunt haec edita ab ipso,*
»*Sed quasi de domini funere rapta sui.*"

(Ovidii *Trist. L.* I. *Eleg.* VII sub finem).

quos in multis ab Auctore atque Editore dissentire constat, de meliore notâ librum commendârunt ac fere sine exceptione laudârunt. Quo major mihi spes affulget brevi fore ut iterum opus edendi necessitatem Ittersonio lectorum frequentia imponat ac multitudo.

Ave Tu! pia Praeceptoris anima, atque ita ex ipso diu loquere sepulcro, ut, quod viventi Tibi nos debuimus, multi jam debeant mortuo!

DISPUTATIONES, MONITA, QUAESTIONES.

DISPUTATIO,

DE DEFUNCTORUM PROXIMIS ANNIS GERMANIAE THEOLOGORUM VEL CELEBRATÂ VEL NEGLECTÂ MEMORIÂ.

Neminem facile, qui nostra haec studia suo, id est maximo pretio aestimet, neminem certe Sacrarum Litterarum cultorem paullo humaniorem sine tristi aliquo animi affectu multorum magni nominis Theologorum, proximis his annis ex vitâ egressorum, obitum accepisse existimo. Nunquam enim aut rarissime factum esse puto ut, tam brevi temporis spatio, in unâ aliquâ Europae parte, tot ac tam nobiles, iique ingeniis ac studiis tam diversi, Theologi fato fungerentur, quot, *proximo hoc septennio,* sibi vidit ereptos *Germania.* De eâ unâ enim, cujus scripta nostris cum Litteris conjuncta, et alibi et in Nederlandiâ, a permultis legi solent atque in studiorum usus converti, qualicunque hoc agemus commentariolo. Militum quidem animos, quamvis feroces ac bellis efferatos, sodalibus, qui eâdem in acie eosdem adversus hostes depugnaverant, prostratis caesisque, vehementius subinde commoveri novimus. Nobis igitur, quorum mentes mitiora ac sanctiora studia ad majorem flectere ac componere lenitatem atque humanitatem par est, nonne dedecori esse ac turpe censendum est ita Sociorum oblivisci, ac si *soporiferae biberimus pocula Lethes?* Cum praesertim haec

eorum oblivio cum Ecclesiae, cui omnes, suâ quisque ratione ac modulo, servire conamur, amore non optime consistat. Totam enim illorum vitam cursumque nulla clarius atque efficacius, quam mortis hora repraesentat; quae, qui eorum fuerit in Christi Societate locus, quae auctoritas, quae ac qualia Societatis illius in salutem atque emolumentum vel fecerint ac dixerint, vel certe facere ac dicere voluisse censendi sint, ut recordemur admonet atque invitat. Divinitus enim a judicandi severitate atque iniquitate revocantem nos ac deterrentem Paullum audivimus Apostolum, cui quem praeferemus aut aequiparabimus *Theologum?* Qui: *ἡ ἀγάπη*, inquit, *οὐ λογίζεται τὸ κακὸν, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει* (1). Procul dubio igitur illiberale sit, ac *Paulli* ipsiusque adeo *Christi* menti repugnans, si quis divinis in rebus explicandis eam, quae nobis displiceat atque improbanda videatur, viam ac rationem sequatur, dummodo non aperte sacra profanet, illius candorem in dubium vocare ac sincerum veri amorem. Nam *quantis in tenebris* nobis recordandum est *hoc degamus quodcunque est volubilis aevi.*

Verum nupera haec Theologorum funera animo recolentem ac dolentem, haud facile dixerim utrum me magis communis fere luctus ac moeror adverterit, quem *horum* obitum parere comperiebam, an frigus atque indifferentia, quâ *illos* e vitâ migrâsse plerique omnes accipiebant aequales. *Alios* enim tam acerbe defletos vidimus, tam impense praedicatos, tantis multorum laudibus in coelum sublatos, ac si paucissimos sibi pares, superiorem neminem studiorum socium habuissent, nec multum abesset quin eodem, quo illi, tumulo ipsa conderetur *Theologia. Alios* vero, quorum, aliquot ante annos, par fuerat aut major etiam in nostrâ hâc doctrinâ auctoritas, quorum scripta iterum iterumque repetitis editionibus frequentata erant, et plurimorum publicis ac privatis judiciis ut aere perenniora erudi-

---

(1) 1 *Corinth.* XIII. 5. 7.

tionis monumenta celebrata; hos igitur ita ignobilem oppetiisse mortem comperimus, quasi, quod Theologiae in historiâ memoratu dignum esset, nihil vel fecissent unquam vel in lucem edidissent. Quod ejusmodi erat, ut diversam hanc eorum, vel viventium vel mortuorum, sortem cogitanti mihi sponte *Horatii* versus in mentem redirent:

» *Vixere fortes* ——— ———
» *Multi; sed omnes illacrimabiles*
» *Urguentur ignotique longâ*
» *Nocte, carent quia vate sacro* (1)."

Id est, ut nostram in rem Poëtae dictum convertamus, quia laudatore destituuntur, cui ipsorum res gestas librosque ab oblivione vindicandi cum voluntate sit facultas. Cur autem laudum suarum meritorumque praedicatore ii etiam ipsi carent, quorum laudes ante hoc unum alterumque decennium nunquam intermoriturae videbantur? Aliquid sine dubio, fatemur enim, hîc nuperrimae rerum civilium ac sacrarum perturbationi ac conversionibus tribuendum est, quae plene occupatos tenuerunt suspensosque multorum animos. Quarum igitur conversionum rapido cursu, veluti machinae athmicae vi quâdam, propulsis hominibus mortuorum manes salutandi tranquillitas deërat et otium. Verum hoc ad omnes pariter pertinebat, qui nuper defuncti erant, clariores Theologos; nec omnium tamen vitae describendae rebusque referendis obstacula posuit. Quid igitur? *Tempus*, varium et mutabile semper, laudes parit ac confert, *Tempus* adimit et aufert. Röhrius enim et Wegscheiderus, ut horum exemplo utamur, si eâ ipsâ tempestate rebus humanis erepti essent, quâ magno adhuc honore eorum florebat doctrina; nolite quaerere qualibus et quam honorificis exsequiis utriusque funus admiratores prosecuturi fuissent permulti

(1) *Horatii Carmm.* IV. 9. 25—29, ex ed. Doeringii.

et sectatores. Verum paullatim obsolevit atque antiquata est illa, cui patrocinabatur uterque, *Rationalismi* forma, quam olim unice *rationalem* multi vocabant, nunc contemtim *vulgarem*, quin *rusticam* dicunt plerique. Quid multa? Placitorum uterque suorum quodammodo superstes fuit; aut certe deflorescentia ea vidit atque aliis aliorum decretis locum cedere coacta. Atque hinc factum est ut, si eorum tumulis sincere illacrimârunt amici, quod eos fecisse facile credimus, hic tamen luctus et pauciores, quam exspectandum videbatur, in doloris communionem alliceret, nec ullos fere, quoad adhuc novimus, Duumvirorum illorum vitam accurate ac copiose conscribendi conatus pareret. Nec multo melius aliorum nonnullorum, quorum nuper elata sunt funera, nomini atque honori prospectum est.

Sed quando de *Rationalismo* sermo nobis incidit, primum videamus quos ei Coryphaeos in Germaniâ proximum abstulerit septennium. Et hos et caeteros vitâ recens egressos Theologos ita memorabimus, ut publice de iis dicta atque edita, quae quidem non nimis levia sint, quam brevissime notemus. Quorum tamen non pauca si nostram fugerint notitiam, et nostrae huic ignorantiae Lectores ignoscant, et aliis ex fontibus minus plene hîc dicta suppleant humaniter eos rogamus.

Rationalistae igitur hi fuerunt: CAROLUS THEOPHILUS (GOTTLIEB) BRETSCHNEIDER, JOANNES FRIDERICUS RÖHR, JULIUS AUGUSTUS LUDOVICUS WEGSCHEIDER, CHRISTOPHORUS FRIDERICUS AB (VON) AMMON, tandem HENRICUS EBERHARDUS THEODOXUS (GOTTLOB) PAULUS.

Quem primum dixi, BRETSCHNEIDERUS d. 14 Martii a. 1776 Gersdorfiae Schonburgico in agro natus erat. Post alia gesta Societatis Christianae munera, multos per annos in Ducatu Gothano *Superintendentis Generalis* dignitate usus est. Variae ac multiplicis, si quis alius, doctrinae Vir. Neque enim sola theologica studiorum diligentiâ atque assiduitate persequebatur, sed item historica, geographica, astronomica eaque omnia, quae

cum Historiâ Naturali conjuncta videbat. Nullam nisi temporis honestam ducens avaritiam, quamvis multis distractus munerum occupationibus, plurimos in vario doctrinarum genere libros legendi otium sibi quaerebat atque opportunitatem inveniebat. Verum, si multa aliorum scripta legebat, quam plurima quoque commentatus est ediditque ipse, dogmatica, exegetica, historica, practica, polemica. Quorum enumeratio *Vitae*, a filio editae, octo fere paginas implet (1). — Magnam autem conversionem, ante plurimos jam hos annos, Viri doctissimi Theologia suscepit; idque minus consuetâ sane ratione ac gressu. Plures enim, qui ineunte studiorum cursu liberioribus annumerabantur, hujusce seculi Theologi, postea pedem retulisse deprehenduntur, ac propius ad communia Christianorum placita probanda mentes appulisse. Contrariam vero viam ingressus Bretschneiderus, ubi primum Ecclesiae Lutheranae ac Reformatae Dogmaticen exponebat, in *orthodoxis* censebatur Theologis, certe ab iis non ita longe diversus abire putabatur (2). Quantum vero diversus ab illo, id est a se ipso, quo tempore *Pietismum*, quem *euangelicum* vocat, sic describere non verebatur, quasi stoliditatis atque insaniae socias haberet gravissi-

---

(1) Vid. liber: *Aus meinem Leben. Selbstbiographie von* Karl Gottlieb Bretschneider. *Nach dessen Tode zur Herausgabe bearbeitet von* Horst Bretschn. II *Lieferungen; Gotha,* 1851; pp. 312. Ubi memorata operum recensio exstat p. 196—204; — paginâ autem 213—312 permultae repositae sunt *epistolae*, quas ad Bretschn. celebratissimi quique dederant Viri, ne de principibus dicam Matronis. Quibus adjectis epistolis non parum operis pretium augeri videtur. Mihi certe volupe fuit hîc proditas legere epistolas F. V. Reinhardii multas, tum Humboldii, Eichstadii, multas item Böttigeri, Ammonii, nec nullas Röhrii, Principis Solmensis, aliorum. Sed *sua quemque trahit voluptas*.

(2) A. 1805 librum edidit, Francogallice etiam conversum: *System. Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe, nach den symbol. Schriften der ev. luth. u. reform. Kirche u. s. w.;* — a. 1814 et 1818 opus, bis Francogallice conversum: *Handbuch der Dogmatik der ev. Luth. Kirche u. s. w.* II *Bande*. *Prioris* operis quarta eaque ultima ed. prodiit *Lips*. 1841; — *alterius* quarta item editio *Lips*. 1838.

mas quasque et certissimas Christianorum doctrinas hic, quem vituperabat, Pietismus (1). Hoc enim atque universe posteriore vitae tempore *Rationalistarum*, in quorum principibus censebatur, placita ore scriptisque tueri et propagare conabatur. Est igitur quod laetemur longe melioris frugis alia ejus opera exstare, ad Auctoris memoriam posteritati commendandam egregie comparata. Veluti, magno studio ac constantiâ ab ipso editum, *Corpus Reformatorum*, quod XV Voluminibus *Phil. Melanchthonis opera, quae supersunt, omnia* complectitur (2); — item *Lexicon manuale Graeco-Latinum in libros N. T.* (3). Quibus fortasse addendus diu antea *Graece* editus *ac perpetuâ annotatione illustratus Liber Jesu Siracidae* (4); et si quae alia sunt in ejusdem laudis societatem admittenda.

Hic igitur magni nominis Vir, d. 22 m. Januarii 1848, ubi in eo erat ut aetatis annum *secundum et septuagesimum* compleret, subitâ tactus apoplexi, rebus humanis ereptus est. Ei Neudeckerus breviter parentavit et, alios ne memorem, Wuestemannus (5). Nam de *Vitâ suâ*, ab ipso conscriptâ, a Filio insigniter auctâ, supra jam monuimus. Quo vero de libro sic a Censore quodam relatum esse, ut in ipsum Auctorem eumque jam defunctum acrius inveheretur, nos quidem, quamvis a multis Bretschneideri placitis aversi, valde dolemus. Nec enim *orthodoxa* atque a Christo Domino illuminata Theologia mortuo docet insultare Leoni (6).

---

(1) Vid.: *Die Grundlage des evang. Pietismus, oder die Lehren von Adams Fall, der Erbsünde u. dem Opfer Christi u. s. w.*; *Lips.* 1833.

(2) *Halis Sax.* 1834— 1848, f. 4ta maj.

(3) *Lips.* 1824, iterum 1829, II Voll. 8. — Ego vero, commodioris usûs caussâ, Commilitonibus *tertiam* hujus Lexici editionem commendare soleo, quae, partim aucta, partim contracta, quartâ formâ ibidem exiit, a. 1840.

(4) *Ratisbonae,* 1806, f. 8va.

(5) Vid. Neudeckerus: *Allg.* (*Darmst.*) *K. Z.* 1848, N°. 38, et libellus, qui inscribitur: Car. Theoph. Bretschn. *memoria. Scripsit* E. F. Wuestemann; *Goth.* 1848. 4. Alia quaedam a Filio laudantur, l. l. II. 212.

(6) Censuram significo, admodum malevolam atque acerbam, auctore

Cum Bretschneidero multa communia habuit, quem alterum nominavi, J. F. RÖHRIUS; sive utriusque vitam externam spectaveris, seu placita ac sentiendi de universâ disciplinâ nostrâ rationem. Rosbachiae enim prope Naumburgiam, d. 30 Julii a. 1777, id est, ne solidis quidem septemdecim post Bretschneiderum mensibus, natus est Röhrius. Nec minus sane honorificâ ac splendidâ, quam ille *Gothano* in Ducatu, hic in *Vimariensi*, dignitate usus est ecclesiasticâ. In *supremo* enim *Concilio sacro Praesidis Vicarius* erat ac *primarius Aulae Concionator* et vero *Ducatûs Ecclesiarum Superintendens Generalis*. Ac memorato munerum Socio Collegaeque ne anni quidem dimidiati spatio superstes fuit Vimariensium hic Praesul. Obiit enim ejusdem anni 1848 medio mense Junio.

Bretschneidero quamvis et doctrinae varietate ac copiâ et librorum editorum multitudine impar esset, at eandem tamen, quam ille, *Rationalismi* caussam multos per annos constanter, nisi dicere quis malit pertinaciter, tuitus est defenditque. Quo consilio cum alia scripta vulganda curavit (1), tum *Ephemerides* theologicas, quae *religionis Antistitum* primum *Litteraturam*, postea *Bibliothecam criticam* sese complecti profitebantur (2). Quas ego Röhrii Ephemerides, a juventute inde,

Wiehle aliquo, quae exstat in Reuteri *allgem. Repert.* m. *Mart.* 1852, p. 196—203; ubi quot verba, tot fere vituperia. — Longe aequius ac cognitu dignius eodem de libro judicium tulerat modo antea nobis laudatus Neudeckerus, in: *Theol. Literaturbl.* z. A. K. Z. 1851, N°. 32. Quod tamen non ita dico, ut in omnibus docto huic assentiam Bretschneideri Amico.

(1) Fuit in iis, *emendata Sacra* celebrans, *oratio quaedam*, cujus editio, paucarum a. 1838 hebdomadum spatio, *duodecies* repetenda fuit. — Et ille Vir *illacrimabilis* fere obiit. Sic transit gloria mundi!

(2) J. F. Röhr, *Predigerliteratur, Cisae,* 1810—1814; — *Neue u. Neueste Predigerliteratur*, *ibid* 1815—1819; — *Krit. Predigerbibliothek*, *Neostadii ad Orlam,* 1820—1848. — Ubi postrema haec Diarii longaevi Series, editâ Tomi XXIX Parte 2, finem invenerat, scite ac vere Censor aliquis: »*Hujus* »*Diarii historia*," inquit, »*Rationalismi quodammodo historia est. Sibi suoque*

continenter legere solitus, saepe habui quod Rationalismi temeritatem dolerem atque audaciam. Nec raro tamen usu venit, ut non pauca melioris frugis monita atque animadversiones traditas invenirem, quarum summam meos in loculos retulisse non poenitebat. — Quod reliquum est, qui diu a multis, qui *liberales* se profitebantur, liberalitatis vindex ac veluti sacerdos et auspex habitus erat, postea acrem adversarium invenit, quem fortasse certaminis contra Orthodoxos socium sibi atque adjutorem speraverat, Carolum Hase, subtilis ingenii magnaeque doctrinae Professorem Jenensem (1). Mortuo autem Röhrio nemo adhuc, quoad novimus, obtigit, qui, vitâ rebusque accurate enarrandis, ad ipsius recordationem posteros alliceret et adjuvaret (2).

Nec Bretschneideri mihi manes irascentur nec Röhrii, utrique proxime J. A. L. WEGSCHEIDERI nomen apponenti. Hic enim diversâ quidem vitae sorte ac munere usus est, Theologiae Professor olim Rinteliensis, postea Halensis. Sed eadem universe, quae utrique, de Christi religione ejusque origine sententia ac professio. Cujus rei cum alia scripta fidem faciunt, tum imprimis vulgo notissimae, quas edidit, *Institutiones Theologiae Christianae dogmaticae; additâ singulorum Dogmatum*

»*vigori diu jam superstes fuerat, anteaquam anni* 1848 *turbis ac tempestatibus* »*plane succumberet. Ab adversariis enim non amplius legi solitum, ab amicis de-* »*stitutum, doctioribus de libris, quales paucos nunc efferebat Rationalismus, raro* »*referens, paullatim in interitum inclinârat.*" Vid. *theol. Literaturbl.* z. A. K. Z. 1850. N°. 40. — Operis continuationem, auctore L. Lange, Prof. Jenensi, vix ipsis placituram esse disciplinae *Röhrianae* amatoribus puto, nedum adversariis.

(1) Vidd. *theol. Streitschriften von* Dr. Karl Hase, *als Beilage zu dessen Hutterus rediv. u. Leben Jesu.* II *Hefte; Lips.* 1834. 1836.

(2) Viri scripta recensuit *Neue* Jen. *A. Lit. Zeit.* 1848. N°. 162. Cff. *Jaarb. voor wetenschapp. Theol.* (Traj. ad Rh. 1849) VII. 1. 176.

historiâ et censurâ. Quod opus, quamvis Latine scriptum, *octonis* frequentare editionibus Auctori contigit (1). Unde quo numero a multis habitus sit liber, et quam cupido plurimorum usu tritus, luculenter apparet. Nec quisquam facile in academicis erat Theologiae Doctoribus, cujus major diu fuerit apud Rationalismi fautores auctoritas, quam Wegscheideri. Quid, quod ab animi candore ac virtutibus ipsi etiam eum laudabant, qui placita jure repudiabant, Orthodoxi. — Quem, d. 17 Septembr. a. 1771, nascentem viderat in Brunsviciae Ducatu Küblingia, morientem eum, d. 27 Januarii a. 1849, Hala conspexit. Viro, ante hos paucos annos celebratissimo, qui de industriâ ac datâ operâ parentaverint, dicant, si forte sciant, lectores rogo, nesciens ipse.

Quem quartum in nuper defunctis Germaniae Theologis memoravimus, C. F. AMMONUS, d. 16 Januarii a. 1766, Baireuthiae natus erat. Hic, ante annum 1813, varia jam eaque valde honorifica munera gesserat, modo sacra, modo academica. Nunc vero, magno illi suffectus Fr. V. Reinhardio, Dresdam migravit. Quâ in metropoli vitae deinceps agendae tabernacu-

---

(1) Primum *Halae*, 1815; ultimum *ibid.* 1844. Opus et alii permulti censuerunt et, quod civium nostrorum in usum moneo, Borgerus, in *Bijdr. tot de beoef. en gesch. der Godgel. Wet.* IV. 878 sqq. Cf. Clarissii *Epit. Encycl. theol.* ed. 2. p. 474. — Germanorum permulta judicia, quorum longe pleraque admodum honorifica erant, memoravit W. D. Fuhrmann: *Handb. der theol. Literatur* (*Lips.* 1819), II. 1. p. 432 sq. Cf. ibid. II. 2. p. 912 sq.

Ad germanam quarti Euangelii originem defendendam multa bonae frugis monita Wegscheideri liber continet, qui dicitur: *Versuch einer vollst. Einleitung in das Evang. Johannis; Goett.* 1806. Cf. Fuhrmannus, l. l. II. 1. p. 288. Quamquam *non satis scepticum* sese demonstrâsse Auctorem hic arguit.

lum sibi collocavit; et aliis honorum titulis ornatus, et *primarius Aulae Concionator Saxoniaeque Regi a Consiliis ecclesiasticis ac consistorialibus.* In feracissimis procul dubio hic censendus est nostrae aetatis nostraeque disciplinae scriptoribus. Ab ipso enim edita multa exstant varii generis opera majora, tum plurimi minoris formae libelli atque orationes sacrae. Copiosam illi, immo *polyhistoricam*, nonnulli tribuendam putârunt doctrinam. Quâ quidem de laude nihil equidem detractum volo. Sed optandum sane sit ut magis sibi constitisset, nec opinionum varietate, arundinis instar, fluctuâsset tantâ Vir dignitate externâ tantisque ingenii bonis internis excellens (1). Uti enim saepe vitae stationes mutavit ac domicilia; sic modo in dextram se convertit aut certe inclinavit Theologorum concertantium aciem, modo in sinistram. Cujus inconstantiae culpam alii in nescio quam animi infirmitatem conjecerunt, alii in mutata temporum adjuncta rationesque. Quicquid sit, primis, quibus eum Dresda habebat, annis, multis admirantibus ex *sinistris*, ubi adhuc meruerat, castris in adversa *dextra* eaque extrema subito se recepisse videbatur. Cum praesertim, a. 1817, libellum edidisset, multorum tum animos advertentem, quo Seculo fide infirmo amaram a sese paratam esse medicinam profitebatur. Hîc enim id egit ut notissimis illis, a Clauso Harmsio nuper publicatis, *Thesibus* studiose patrocinaretur (2).

---

(1) Ad finem vergente a. 1835, id agebat Ammonus, ut, consociatâ cum Bretschneidero Röhrioque operâ, singularem aliquam conderet Ephemerida, cui *Berolinismi*, quem ignominiose dictitabant, cum crassioris tum subtilioris, proposita esset confutatio. Rem plane approbat Röhrius. Sed per Auctoris inconstantiam ne irritum fiat consilium sese timere, ad Bretschneiderum perscribit. Vid. hujus: *Selbstbiographie*, p 275. Amicis igitur si fides est, senex non magis, quam juvenis, sibi constitit. — *Jesuitismum* invidiosius, quam verius, ei Schleiermacherus objecit, quocum Harmsii *Theses*, de quibus mox, et Curiae Berolinensis *Agenda* ecclesiastica in certamen illum commiserant. Vid. prior, quem postmodum laudaturi sumus, de Amm. libellus (v. A. *nach Leben, Ans. u. Wirken*) p. 12.

(2) Luthers *Thesen mit* 95 *andern begleitet;* 1817. Repositae sunt hae *Theses* in libro: *Lebensbeschreibung von* D^r. Cl. Harms, *verfasset von ihm*

Verum ne quis putet ultimam hanc ei fuisse ac perpetuam opinionum theologicarum conversionem. Posteriore enim vitae stadio denuo in laevâ, quam olim deseruerat, Doctorum acie militantem eum viderunt aequales. Cujus immutati studii atque initiae militiae luculentissimum exstat monumentum, ab Ammono editum opus, vastum illud ac copiosum; cui hoc, si recte video, praecipuum propositum est consilium, ut ex historiâ demonstretur, tum demum in generalem universi mundi religionem excoli posse atque evehi Christi doctrinam, si quaecunque sibi propria ac priva habet, quibus a naturali distinguitur religione, ea deposuerit iisque sese exuerit (1). Rationalistis certe vehementer placuisse opus ex crebris apparet atque amplissimis laudibus, quibus passim illud eorum praedicârunt Ephemerides (2). A quibus quamvis longe dissentiam, omnes tamen mihi assensuros esse confido judices aequiores, constantiam si laudavero, quâ, ad extremum fere vitae longaevae halitum, in gravissimis obeundis muneribus indefesso perrexit animo. Nam anno demum 1849, post pronuntiatam pro sacrâ

---

selber; Kiel, 1851. Cujus libri, Nederlandice conversi a rev. M. Cohen Stuart, exstant p. 317 sqq. — Diu antea jam, Gron. 1818, *Theses*, nostram in linguam conversas, ediderat G. H. van Senden. Cujus Viri doctissimi mortem adhuc Patria luget. — Notissimus est Ammoni, Harmsii *Theses* tuentis, libellus: *Bittre Arzney für die Glaubensschwäche u. s. w.*

(1) Opus significo, quod dicitur: *Die Fortbildung des Christenthums zur Weltreligion. Eine Ansicht der höheren Dogmatik.* Cujus op. III priora Voll. primum edita sunt *Lips.* 1833—1835, f. 8; emendatius iterum *ibid.* 1836—1838. Tandem adjectum est Vol. IV, *ibid.* 1840.

(2) Priores Tomi apprime laudantur in *Allg. Hall. L. Z.* April. 1833, p. 457 sqq.; ubi quae, de mutatâ identidem Ammoni doctrinâ theologicâ, dicuntur nostris cum monitis conferri possunt; — tum *ibid.* 1836. N°. 67, *Ergänz. Bl.;* — porro ab ipso Bretschneidero, in *Theol. Literaturbl. z. A. K. Z.* 1833, N°. 105 sq. 1836, N°. 89. Ubi hoc de opere edito sese laetari dicit Censor; quippe quo in Saxoniâ etiam progredi Theologiam appareat, ubi ad annum usque 1830 ejusmodi lethargia obtinuisset, quae plerosque in Symbolices anni 1580 veluti lecto consopitos teneret. Impensius etiam iidem Tomi priores praedicantur, in Röhr's *Pred. Bibl.* 1838. XIX. 3, p. 393 sqq. Tomus autem IV[tus] laudatorem invenit, *ibid.* 1843. XXV. 1, p. 3 sqq.

concione orationem valedictoriam, rude se donari passus est Senex. Nec diu postea, d. 21 Maji 1850, quinque et octuaginta annos natus, Lipsiae diem obiit. Parentalium officio bini satisfacere conati sunt libelli; *alter* Anonymi, qui Ammoni vitam, sententias factaque, *alter* J. Pabstii, qui ipsius etiam characterem sese expositurum profitetur. *Illum* praedicandis atque amplificandis, *hunc* extenuandis ac minuendis Viri rebus meritisque modum excedere, plerique, me consentiente, existimabunt. Caeterum cum uterque breviter tantum ac rudiore penicillo externam ejus vitam delineaverit, optandum est ut plenius ea aliquando ac copiosius, idque sine irâ et studio, describatur. Ex cujusmodi narratione, si quae prodatur, nescio utrum uberiores fructus Psychologia captura sit, an nostri temporis Historia litteraria (1).

Sed alio tempore si alius fuit, atque huc et illuc incertiore saepe pede nutavit Ammonus; non ita profecto H. E. Th. (G.) Paulus, Leonbergensis Virtobergicus; quem vero, eodem fere jure, ab urbe, ubi multos per annos Theologiae Professor fuit ac Badensium Principi *a secretis Consiliis ecclesiasticis*,

---

(1) Quae hîc diximus confirmata videbis a docto Censore, in: *Theol. Literaturblatt z. A. K. Z.* 1851, N°. 73. Ubi tamen nollem Ammonum *Theologum* cum Humboldtio *Philosophiae Naturalis* principe comparâsset. Quod reliquum est, quos memoravi, libelli sic inscribuntur: C. F. v. A. *nach Leben, Ansichten u. Wirken. Ein Lichtbild aus der ev. Kirche, Lips.* 1850. 38 pp. f. 8 maj.; — Dr. J. Pabst, *Lebens- u. Characterumrisse von* C. F. v. A. *Ein Wort der Versöhnung im Kampfe der Parteien, Dresd.* et alibi, 1851, eâdem f. — Pauca etiam de A. vidd. in *Kunst- en Letterbode,* 1850. N°. 38.

Si qui forte elegantius ac luculentius, quam adhuc factum est, de Ammono scribere, aut certe accuratius eum cognoscere velint; hos plures consuluisse non poenitebit, ab ipso ad Bretschneiderum datas, epistolas, quas supra memoratae hujus *Vitae* Filius adjiciendas curavit.

Heidelbergensem dixeris (1). Natus hic erat anni 1761 ipsis Calendis Septembribus; nec antea ex vitâ egressus est, quam nonagenariam fere aetatem attigerat, atque omnibus fere aequalibus ac plerisque placitorum communione sibi junctis Theologis superstes factus erat. Etsi enim, annis gravatus corporisque decrepiti fractus infirmitate, per satis magnum jam tempus, in lecto decumbens vitae reliquias misere traxerat, die demum 10 Augusti a. 1851, Heidelbergae decessit. Atque hic Vir est, quem, sibi semper constantem, per dimidiati adeo seculi tempus, audaciorum Coryphaeum fuisse Rationalistarum vulgo notum est. Ne enim superius ejus attingam curriculum, qualem, ineunte hocce seculo, *historico* et *critico*, quem vocabat, *in Euangelistas* edito *Commentario*, sese demonstraverat, talem plane se mansisse probavit, ubi, post quinque circiter lustra, *Vitam Jesu*, quam quidem sibi informaverat ipse, exponebat, nec diu post priorum Euangelistarum *Enchiridion* emittebat (2). Et, quamvis vere *tempora mutari* dicantur et *nos cum illis*, minus tamen in Paulum hoc convenire, quam plerosque alios in

---

(1) Antea, ab anno inde 1789, Jenae primum Linguarum Orientt., deinde Theologiae Professor fuerat. Unde, a. 1804, Herbipolin (Würtzburg) migravit, theologicam denuo cathedram occupaturus. Ne de eodem dicam postmodum aliquamdiu Bambergiae Consiliario scholastico; Heidelbergam evocatus est a. 1811. Non Theologiae tantum, sed item Juris Doctor fuit. Brevissime haec memorans, Winerum imprimis secutus sum: *Handb. der theol. Lit.* ed. 2. p. 409.

(2) Alia ne memorem Pauli in eodem genere opera, haec imprimis ut conferant lectores rogo: *Philol. krit. u. hist. Commentar über das N. T.;* Th. I—III (*die dreï ersten Evangg.*); Lubeciae, 1800, iterum 1804; Th. IV (*erste Hälfte vom Ev. Joh.*) *ibid.* 1804. (Neque enim Commentarii in *Euang. Joann.* Pars altera unquam prodiit). — *Das Leben Jesu, als Grundlage einer reiner Geschichte des Urchristenthums;* Heidelb. 1828. (Opus copiosum, duobus Voll. III Partes, non exiguas illas, continens). — Tandem: *Exeg. Handbuch über die drei ersten Evangg.* III Theile; *Heidelb.* 1830. De quorum librorum, primi certe et ultimi, historiâ litterariâ operae pretium est consulere W. D. Fuhrmannum, libro modo antea laudato, II. 1. p. 264 sqq. et *Handb. der neuesten theol. Lit.* Iscrl. 1835. I. p. 326 sqq.

mortales, vitae docuit exitus. Nam et postrema scripta eundem, quem priora omnia, Auctorem arguunt, et testamentum, quo *Germanicis*, qui audiunt, *Catholicis* bonorum partem legavit, quantopere iis faveret, quos sibi placitorum similitudo conciliâsset, omnibus ostendit aequalibus.

Atque haec, quamvis pauca ac tenuia, de longaevâ illâ Pauli vitâ dicta sufficiant. Nam scripta enumerare nec, si velim, possem, quippe quorum multitudo varietasque ipsius fortasse Bretschneideri fertilitatem superaverit; nec, si possem, velim, quippe cujus recensionis ambitum institutae hujusce scriptionis brevitas non capiat. Nec quae de Viri, tot olim laudibus elati, quot postea vocibus vituperati, fatis atque indole resciscere cupieramus, nos adhuc, qui poterant, docuerunt. Quae vero hora ejus elatum vidit funus, eadem quanta temporum conversio exstitisset et quanta nonnullorum acerbitas esset clare demonstravit. Sepulcro enim, ni fallor, adstans Daniel Schenkelius, Theologus eximius, quamvis a Paulo plane dissentiret, defuncti tamen Collegae manes non plane insalutatos sibi dimittendos esse ratus est. Quo igitur in Collega agendi vim ac promtitudinem laudat et doctrinae copiam, tum industriam, candorem, in egenos beneficentiam. Quas quidem immeritas fuisse laudes nemo facile dixerit. Verum haec de Paulo dixisse Schenkelium, *Antistitum Seminarii Heidelbergensis Moderatorem eundemque Societatis Missionariae Badensis Oratorem* designatum, fuerunt qui aegerrime se ferre significarent ac publice reprehendendum putarent. Aliter certe ac paullo humanius Veteres, qui *virtutem in hoste* etiam *laudandam* praeciperent (1).

---

(1) Vid. *Evang. K. Zeit.*, 1851, N°. 96, collato *Allg.* (*Darmst.*) *K. Zeit.*, 1852, N°. 35. — Pauca de illo vidd. in op. laud. *Jaarb. voor wet. Theol.* IX. 3. p. 596.

His jam, quorum a plerisque aequalibus neglectum est nomen et abitus, continuo binos apponamus (quidni dicam: opponamus?) nostrae disciplinae Doctores, quorum memoriae, quod illis vulgo negatum vidimus, abunde ac liberaliter tributum est. DE-WETTIUM me dicere et NEANDRUM vix opus est ut moneam.

WILHELMUS MARTINUS ORTHOBIUS (LEBERECHT) DE WETTE, a. 1780, Ullae prope Vimariae urbem natus, a. 1810 recens conditâ Berolinensium in Academiâ Theologiae Professor dictus est. Quo munere, magnâ cum ingenii doctrinaeque laude, per novennium circiter functo nefastum exstitit Sandii, praecipiti audaciâ juvenis, qui Augustum à Kotzebue suos apud lares necopinatâ caede oppresserat, atrox et immane crimen. Hoc enim ubi commissum esse compererat Theologus, ferocissimi juvenis ad matrem inconsiderate scriptam dedit epistolam consolatoriam; ubi filii facinus eâ, nisi laudabat, certe excusabat lenitate, quae non lenia nec, proh dolor! plane immerita multorum judicia pareret (1). Quid quod haec ipsa epistola, Auctore invito publicata, tam vehementer Borussiae Regi displicuit regnique Administris, ut illius postmodum decreto munere mulctaretur academico De-Wettius. Quamquam alias accessisse caussas, occultiores illas, quae ad eum abigendum inimicos impellerent, multi suspicabantur. Relicto igitur Berolino, privatam aliquamdiu vitam egit; donec, a. 1822, ab Helvetiis Basileënsem in Academiam Sacrarum Litterarum Professor evocaretur. Atque hanc deinceps Musarum sedem multis eum varii generis officiis meritisque sibi obstrinxisse, testes habemus locupletes Hagenbachium, Schenkelium aliosque Viros gravissimos. Basileae igitur, ubi reliquae vitae tubernaculum posuerat, d. 16 m. Junii anni 1849, aetatis anno septuagesimo, placidâ morte occubuit.

---

(1) Ni fallor, *subjective laudabile* Sandii facinus dixerat, moestaeque matri talem hunc filium gratulatus erat.

Permultos hunc, argumenti cum dogmatici ac moralis, tum critici atque exegetici, libros scriptaque edenda curâsse in vulgus notum est, ac defuncti Auctoris nomen celebraturi Theologi, et Helvetii et Germani et Nederlandi, civium exterorumque in memoriam passim revocârunt. Quae prius utrumque genus complectebantur scripta Friesianae fere Philosophiae colore tincta sunt, atque ab eo sese profecta esse demonstrant, qui, non omnia quidem, sed multa tamen illius placita probâsset, ac suo quodam modo temperanda suoque ingenio conformanda et aptanda duxisset. Ineunte quidem juvenili aetate Scholae Kantianae Rationalismo aliquamdiu se senserat implicatum; verumtamen pectoris humani, sublimiora sibi quaerentis atque appetentis, sitim restinguere non posse praedicatum ab illâ *categoricum Imperativum*, postmodum perceperat. Mature igitur Joanni Frederico Fries intimâ conciliatus amicitiâ, *aestheticas* hujus *ideas* ad eum certe modum probavit suoque imbibit animo, ut Kantii placitis eas deinceps magis magisque praeferendas putaret. Iccirco, illo imprimis duce Amico, *ideali ratione ac fidente*, quam scite vocat Hagenbachius, philosophas res et theologicas intueri didicit ac judicare. Unde factum est ut pantheisticam, quam secundum Schellingium profitebatur Hegelius, *Naturae Philosophiam* vehementer improbaret atque aversaretur. Quid quod, Senatûs academici Berolinensis socius, quominus, Borussiae in metropolin evocatus, Collegarum numero aggregaretur Hegelius, suo intercedere conatus est suffragio atque auctoritate. Frustra quidem; sed ita tamen, ut quantopere sanioris Theismi caussam curae cordique haberet, luculento hoc probaret documento (1).

---

(1) De iis, quae proxime monui, plura dixit Hagenbachius, pulcherrimo in libello, quem inscripsit: W. M. L. de Wette. *Eine akad. Gedächtniszrede mit Anmerkk. u. Beilagen* (*Lips.* 1850); p. 21 sqq. Ubi, p. 69—72, dignum est quod ab omnibus perpendatur, non prius evulgatum, De-Wettii de Schellingio et Hegelio judicium. — Friesianam illius sentiendi rationem vernacule dicit Vir clarissimus: *Die ideal-gläubige Be-*

Critico, partim etiam exegetico, in genere quae edidit scripta, docta illa et ingeniosa nec pauca nova habentia, plane *scepticum* plerumque redolent Auctoris ingenium. A quo enim tempore juvenis *Pentateuchi*, historicum in Epos conversi, Moseam impugnârat originem (1), usque ad illos annos, quibus sextâ editione *Isagogen in Vet. Testamenti* (2), quintâ *Isagogen in Novi Testamenti libros* (3) senex repetiit, quot et quam acutis proditis conjecturis ac suspicionibus, plures libros sacros eorumve partes ab iis, quibus ab aevo tribui consueverant, Auctoribus vel certo, vel probabiliter, vel forsitan abjudicandos esse contendit! Multarum utriusque Foederis narrationum fides historica quibus non petita objectionibus! — Plures ab aevo fuisse Cri-

---

trachtungsweise. — Universe Hagenbachii relatio plura, quam quae profitebatur inscriptio, in iisque non pauca, quae cum recentissimâ Philosophiae ac Theologiae historiâ conjunctionem habent, attingit atque illustrat; Academiarum imprimis, ubi versatus erat De-Wettius, ratione habitâ.

Alterum etiam, ut hoc continuo moneam, de eodem editum exstat Hagenbachii opusculum, q. d. *Zur Erinnerung an Prof.* de Wette; *Bas.* 1849. Et hinc et aliunde multa hausit C. H. van Herwerden, C. H. f.; cujus elegans de Theologo Basileënsi commentariolum vid. in Ephem. *Waarheid in Liefde,* 1850, No. 2, p. 402 sqq.

Friesianam rationem in multis redolet De-Wettii opus: *Christl. Sittenlehre; Berol.* 1819—1823. III Tomis. Quod caeteris suis operibus a doctrinâ, subtilitate atque elegantiâ praeferendum esse ipse censuit Auctor. Vid. laud. Hagenbachii opusculum: *akad. Gedächtniszrede,* Supplem. p. 118.

(1) *Beiträge zur Einleitung ins Alte Testament; Halle,* 1806. 1807. II Tomis. Cf. *Diss. de Deuteronomio; Jen.* 1805.

(2) *Lehrb. der hist. krit. Einleitung in die kanon. u. apokryph. Bücher des Alten Testaments; Berol. primum a.* 1817, 6*tâ ed. ibid.* 1845. Septima editio, posthuma ea, prodiit *ibidem,* 1852. — Suis in operibus nullum limatius esse existimavit Auctor. Vid. memoratae orationis Hagenbachianae Supplem. l. l.

(3) *Lehrb. der hist. krit. Einl. in die kan. Bücher des N. T.; Berol. primum* a. 1826, 5*tâ ed. ibid.* 1848. — Ultimae praefationis praecipuas partes Nederlandice conversas reposuit Niermeyerus in Dresselhusii et suâ Ephem. *Mag. voor Krit. en Exeg. des N. T.* I. 146. Cf. ibid. p. 88.

ticos novimus, qui singulis veterum scriptorum locis, iis etiam, quibus nihil ad sanitatem aut integritatem deësse videretur, tentandis, mutandis, refingendis tam mirifice delectarentur, ut ab ipsâ adeo naturâ matre ad hanc corrigendi libidinem impulsos eos putares ac stimulatos. Non magis igitur de solidorum Sacri Codicis scriptorum origine aut veracitate dubitandi ac dubia proferendi pruritui cuidam interno ac cupiditati resistere potuisse videtur, de quo dicimus, Criticus. Ecce vero germanum tibi *Pyrrhonis* filium! De suis ipse dubitationibus, quas palam prodiderat, dubitare non facile desinebat. Nec raro, quae spuria aut minus vera esse suspicata erat utriusque Isagoges vel Commentariorum prior aliqua editio, ea, nisi tuebatur, certe intacta relinquebat, quae hanc aliquo temporis spatio excipiebat, nova editio. Quas tamen, quamvis inexspectatas, opinionum conversiones quis non aequior arbiter animi, ad verum inveniendum nunquam non nitentis, conatui tribuere malit, quam vagae mentis ac fluctuantis inconstantiae?

Etsi, tempore ac spatio exclusi, pleraque intacta relinquimus De-Wettii scripta; de *Commentario* tamen, sive brevibus potius Annotatis, quibus editis omnes deinceps *Novi Testamenti* libros illustravit, opere sub ipsum demum vitae finem ab Auctore absoluto, nonnulla nobis dicenda videntur (1). Neque

(1) W. M. L. de Wette, *kurzgefasstes exeg. Handbuch zum N. T.* Operis, quod *Lips.* a. 1836 edi coeptum est, ac proximis deinceps tredecim annis absolutum, pleraeque partes bis aut saepius repetitis frequentatae sunt editionibus. Quod brevissima haec ostendet tabella, quam iis, qui recentissimas quasque sibi comparare velint operis editiones, non ingratam fore speramus.

Tom. I. P. 1 in Euang. Matthaei, ed. tertia, a. 1845.
——— 2 ——— Luc. et Marci, ed. tertia, 1846.
——— 3 ——— et epp. Joann., ed. tertia, 1846.
——— 4 — Acta App., editio tertia, 1848.
——— II. P. 1 — ep. ad Rom. ed. quarta, a. 1847.
——— 2 — epp. ad Corinthios, ed. secunda, 1845.
——— 3 ——— Gal. et Thess., ed. secunda, 1845.

enim ullum, quod edidit, doctrinae monumentum frequentiore multorum usu tritum est, ac magis diversa peperit Censorum judicia. Profecto, nisi iniquus sis, paucissimos quibus Sacrarum Litterarum enarratio proposita est, libros esse concedes, qui, tam modico paginarum numero, tantam ac tam largam acute, ingeniose, docte monitorum messem ac proventum extulerint. Unde fit ut, si forte uberiores adeundi commentarios otio careas, hunc certe, sine ullo fere temporis dispendio, consulere possis. Non desunt quidem loci, quorum perspicuitati brevitatis studium offecerit, vel quorum interpretationem minus diligentem effecerit, aut mancam et inchoatam Auctoris reliquerit festinatio. Quem, sicuti *canes e Nilo bibere* ajunt, ita subinde scribendo properâsse putes (1). Verum idem tu fatearis oportet multos alios eosque plures Commentarii locos esse, in quos neutra conveniat reprehensio, quique obscurioribus etiam Librorum Sacrorum dictis, quantam a concisâ hâc commentandi brevitate exspectare potueris, lucem afferant, neque ullum tibi de Interpretis mente dubium relinquant.

Tom. II. P. 4 in epp. ad Coloss. Philem. Eph. Philipp., ed. secunda, 1847.
——— 5 ——— ad Tit. Tim. Hebr., ed. secunda, 1847.
——III. P. 1 ——— epp. Petri, Judae, Jac., a. 1847.
——— 2 — Apocalypsin, 1848.

Hâc ex tabellâ, vivente quidem Interprete, solum ejus in ep. ad *Romanos* Commentarium quater editum esse apparet. Quamquam in hoc singulatim multa et alii reprehenderunt et C. F. A. Fritzsche, in *allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* ad m. Julium, 1837, N°. 124 sqq. Verum, post Auctoris mortem, illius in *Joannis* etiam Euang. et epistolas Commentarium quartâ eâque valde auctâ editione repetiit B. B. Brückner, Lips. 1852. Quam quartam libri, ab Adversario profecti, editionem valde laudanti Hilgenfeldio (in *theol. Literaturbl. z.* [*Darmst.*] *A. K. Z.* 1853, N°. 10. 11) omnino mihi assentiendum esse videtur.

(1) Hoc inconsideratae festinationis vitium, quo factum sit ut pluribus ex interpretibus tumultuariâ operâ conflaretur Commentarius, nemo acrius ei objecit, quam Fritzschius, in *theol. Literaturbl. z.* [*Darmst.*] *A. K. Z.* 1837, N°. 129 sqq. Et ea, quam supra laudavi, et haec Fritzschii censura, quamvis in De-Wettium iniqua, permulta continet cognitu dignissima.

Sed multo acrius atque acerbius alii neglectam objecerunt interpretationis ἀκρίβειαν illam ac severitatem philologicam, quam nisi secutus sis et sequi te jactâris, vix aut ne vix quidem ab aequalibus Interpres habeberis. Veluti, Röhrii sub auspiciis qui scribebat, Censor aliquis crebro *Glassianismos* eum commisisse arguit, id est obsoletam postliminio reducere studuisse Glassii rationem, ac Schleusneri adeo repetiisse errores (1).

Vel sic tamen leviores hae videri possunt memorati Censoris reprehensiones, cum vehementiâ si comparantur ac supercilio, quo De-Wettianam explicandi Novi Testamenti rationem semel iterumque exagitandam sibi sumsit et vituperandam Fritzschius. Quem si audis, serviliter amplexum eum videmus emortuam illam Philologiam sacram, quam moribundam, exeunte proximo seculo, eruditionis inficetae machinâ adhibitâ, tueri studuerat Schola J. F. Fischeri. Cujus secutus ineptias (ita Adversarius), verba, tempora, modos, comparationis gradus, numeros temere miscet ac confundit. Hebraismis, quorum interiorem rationem ignorabat, frequenter abutitur; item liberioribus aut falsis adeo Alexandrinorum interpretationibus ac locis, quos male in auxilium advocat, parallelis. Nec minus graves alii esse deprehenduntur, quos eodem ex fonte hausit, errores ac vitia. Ac ne ea quidem desunt, quae ipsi adeo, quo Glassiana florebat Philologia, tempori displicitura fuissent. — Haec igitur et alia multa De-Wettianis in Novum Test. Commentariis crimina passim intendentem audimus Fritzschium. Cujus auctoritatem secuti, similia ei vitia frequenter objecerunt alii (2).

---

(1) Vid. Röhr's *krit. Prediger-Bibliothek* (1837) XVIII. p. 779—801. Ubi haud pauci recensentur loci, quos contorte explicavisse Fritzschium contendat De-Wettius, ipse vero laxe sit interpretatus.

(2) Vid. utraque Fritzschii, quam supra memoravimus, censura; ex quarum posteriore imprimis nonnulla h. l. excerpsimus. Cf. Anonymi rela-

Enimvero ex irâ potius, quam ex aequae mentis integritate, tanta haec exstitit **Fritzschii** sponte ferocioris in Interpretem acerbitas. A quo nimirum neminem magis, quam sese, petitum esse et lacessitum opinabatur, ubi hodiernos Novi Testamenti Explicatores *nasutâ* ferri dixerat *arrogantiâ philologicâ* (1).

---

tio in: *Allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* ad m. Martium 1843, N°. 40 sq. Ubi laudatur quidem De-Wettii in *Acta Apostt.*, Commentarius; sed ita, ut adhuc male eum praepp. εἰς et ἐν synonymas habuisse animadvertatur. Quamquam multo humanior leniorque ea censura est, quam quae eâdem in Ephemeride, ad a. 1838 m. Aprilem (*Ergänz. Bl.* N°. 28 sqq.) reposita erat. Hîc enim, in neutrâ, quae adhuc prodierat, Commentarii in ep. ad *Rom.* editione, philologicam, quae requireretur, subtilitatem atque ἀκρίβειαν quaesivisse Interpretem, severior contenderat judex.

Enimvero, ab his longe dissentientes, alii ab ipsâ etiam ἀκριβείᾳ philologicâ ac diligentiâ grammaticâ Commentarium laudandum putârunt. Cujus hanc, ab omnibus diu cognitam et agnitam, virtutem esse confidenter asseverantem audimus *Actuum* De-Wett. Censorem, in Rheinwaldii *allg. Repert.* ad. m. August. 1840, p. 97 sqq. Atque eâdem a dote Commentarii in epp. ad *Gal.* et *Thess.* a Münchmeyero praedicantur, in Reuteri *allg. Repert.* ad m. Nov. 1846, p. 97 sqq. — Quibus diligentiae philologicae laudatoribus plane assentit Interpretationis *Petri, Judae* et *Jacobi* epistolarum Censor anonymus, in Brunsii et Häfneri *neues Repert.* XV. 1. (1848) p. 1 sqq. Nec longe hinc discedit Vir doctus, qui de Commentt. in *Euangg.*, *Acta* et ep. ad *Rom.* retulit, in Ephem.: *Journal für Prediger*, ad m. Jul. et Aug. 1840, p. 41 sqq. Hic enim ex vulgatâ Fritzschii, quam posteriorem memoravimus, censurâ perversam hanc in opinionem multos inductos esse dicit, quod exegeticâ peritiâ ac facultate cum Winero ac Fritzschio nequaquam comparandus sit De-Wettius. »*Enimvero*," ait, »*universe* »*eandem, quam illi, hic sequitur interpretandi viam ac rationem; ibi tantum* »*diversus ab iis abiens, ubi de particularum ac de Modorum in verbis usu dis-* »*putat, atque ubi vim describit, quam in excolendo Novi Testamenti Hellenismo* »*Hebraica habuerit lingua.*" — Sic ille; cujus dicta dubites, utrum magis comparata sint ad Interpretum, quos confert, similitudinem probandam, an dissimilitudinem. Ea enim, quae dissimilia esse monet, cum per se gravia sunt, tum aliis cum interpretationis momentis, de quibus dissentitur, arcte conjuncta.

(1) Hîc omnino conferri velim, quae supra monuimus, p. 51. 52.

Quam igitur illatam sibi injuriam contumeliis reponendis ulciscendam putavit. Nos vero, qui studii pariter atque irae caussas procul habemus, nec, Pythiorum instar oraculorum, Seculi voces veneramur, non raro festinantius, quam verius, nonnullos N. T. locos Doctorem enarrâsse Basileënsem concedamus oportet; nec semper eâ, quam jure requirunt Aristarchi, curâ ac diligentiâ gravissimo, quod susceperat, in penso versatum esse. Verum verborum controversiam potius habere, quam rerum gravitatem, multa, quae ei objicit Fritzschius, iidem affirmamus. Nec raro, *nihil esse quin narrando possit depravarier*, ejus ostendunt reprehensiones. Nec vero digito locos ostendere nimis difficile sit, quos acutius ac subtilius *ille*, quam *hic*, explicaverit. Quid, quod de Novi Testamenti interpretatione ita bene meruisse mihi videtur De-Wettius, ut exemplo suo atque auctoritate juniores haud paucos Theologos ab eorum imitandis vitiis avocaret, qui, quo jactantius *rationales* se ferrent interpretes, eo longius subinde a sanâ ratione aberrarent. Sed hoc illaesis dico Fritzschii manibus, cujus quo majoris eruditissima facio, quibus nonnullas N. T. partes illustravit, opera, eo impensius dolui doleoque in De-Wettium, Tholuckium aliosque Viros doctissimos acerbitatem et iniquitatem.

Verum quamvis multa bona atque ad cognoscendum utilia hi contineant in *historicos* Novi Test. libros Commentarii; longe prudentius tamen ac felicius Auctorem in Apostolorum *epistolis* interpretandis versatum esse existimo (1). Neque enim, has

---

Quod et pusillanimem hanc evitandam curaverit arrogantiam philologicam et vagae interpretationis laxitatem; — id igitur in operis De-Wettiani virtutibus laudat Censor, in Tholuckii: *Literar. Anzeiger,* ad a. 1841, N°. 34 sqq.

(1) Caeteris illius scriptis praeferendam esse *Interpretationem N. T.*, atque in hâc ipsâ *Paullinarum* maxime laudandam esse *epistolarum* explicationem, statuit Vir doctus, in Ephem. *Godgel. Bijdragen,* 1850. 4. p. 574—586. Ubi Theol. Basil. operum traditus exstat conspectus.

ıbi explicabat epistolas, si quidem *isagogicis* discesseris a disuisitionibus, tam crebram nec tam paratam Virum ingeniosisimum corripiendi atque exagitandi opportunitatem inveniebat le, quem nullo vitae tempore conquiescere ejus animum sivisse ıonuimus, praeceps immoderati Scepticismi *Κακοδαίμων*. Qui unquam alias vehementius eum insectatus esse videtur ac proulisse, quam ubi a Strauszio recens edita *Vita Jesu* novas ubitandi certissimis de narrationibus illecebras veterum huic bjecerant Academicorum aemulo. Quibus vincendis irritamenis imparem eum reddidisse videtur ad ambigendum ac flucuandum sponte composita *natura*, quae, quâcunque tandem rte aut machinâ *expulsa, tamen usque redibat.* Nam ejusmodi st utrumque inter Scriptorem affinitas, ut ne disertissimus uidem aliquis Interpretis Advocatus coram Critices Areopago alumniae reum agere possit Censorem, qui, non ita diu post llius de libro referens, et alia et haec monuit. »*Nemo adhuc*," inquit, »Strauszii *de caussâ sententiam tulisse videtur, cujus animum vehementius commoverit illius opus ac concusserit, quam* De-Wettius. *Ab illo enim hic et quae de universâ dicit Euangeliorum indole, et quae de singularum, quas memoriae produnt, narrationum mythico charactere affirmat, duxit ac repetiit. Atque ejusdem ex exemplo ac fontibus et argumentorum informationem eum hausisse apparet, nec paucas, quibus ea explicat, locutiones. Nec tamen, ubi totam fere Euangelii historiam labefactandi atque in fabulas convertendi studium* Vitae Jesu *prodit* Auctor, *comitem illi sese dat sociumque moderatior hic Interpres.*" — Haec fere Censor, cujus omnis relatio, unde pauca tantum excerpsimus, quo plenius, quam attigimus, caussa cognoscatur, consulenda est (1).

Christi igitur in historiâ Strauszio nimis saepe tam credulum sese praebuit auditorem, ut optandum sane fuisset ne unquam hocce cum *Pyrrhone* ejusque cum libro eam, quam

(1) Copiosa haec exstat censura in Tholuckii *Literar. Anzeiger*, ad a. 1837, N°. 44—47.

diximus, notitiam contraxisset ac familiaritatem. Verum *Tubingensium*, omnia turbantium, audaciae non raro fortiter eum restitisse atque adversatum esse, non minus certis constat documentis. Veluti *Apostolicis* in *Actis*, ut uno hoc utar exemplo, non sui quidem dissimile demonstravit ingenium scepticum, sed multa tamen, a Bauro aliisque ad Lucae fidem elevandam temere allata, strenue repudiavit repulitque commenta (1).

Sed justo diutius nos jam Interpretis detinuisse in Novum Testamentum Commentarios, forsitan quis reputabit. Eo igitur nostra se convertat narratio, quo paullatim inclinâsse atque, extremo imprimis vitae tempore, se convertisse ejus animum, non dubiis accepimus vestigiis ac laetati sumus. Diu enim intimo Theologi in pectore animique veluti in ἀβύσσῳ (si Cartesii hîc uti licet locutione) Christi veneratio Christoque habita, quamvis tenuis atque infirma, fides aliqua delituerat. Quae vero ne claris sese proderet ac manifestaret indiciis mentis ea, quam descripsimus, indoles obstabat ac conformatio. Cujus dubitationibus novum identidem pabulum Seculi praebebat, quod gravissimorum quorumque doctrinae capitum affirmationem inter et negationem suspensum fere haerebat, inconstantia ac fluctuatio. Hunc vero Scepticismum atque hanc ὀλιγοπιστίαν ita tandem, non sine gravissimâ quâdam luctâ, superavit subegitque, quae paullatim praevaluerat, pia melioris mentis fides, ut jam unum suae aliorumque salutis auctorem Christum agnos-

(1) Prae caeteris hic docta consulatur et copiosa censura, quâ de Commentarii in *Acta App.* alterâ editione retulit F. A. Bornemannus, in *Neue Jenaische A. Lit. Zeit.* 1844, N°. 306. 307. Ubi et alia lectu dignissima traduntur, et Bornemanni perpendenda est adversus De-Wettium disputatio; qui *Lucam* quidem libri auctorem habuerat, sed ita auctorem, ut, a Capite inde XVI. 10, *Timothei* narrationem aliquam, nullâ parte nec ullo verbo mutatam, suum in scriptum reciperet atque insereret. — De tertiâ ejusdem Commentarii editione utiliter conferetur Brunsii et Häfneri *Neues Repertorium*, ad m. Februar. 1849. XVI. 2. 107 sqq.

cere ac profiteri non dubitaret. Cujus sensûs ac persuasionis evidentissimum testimonium ac documentum, proximo ante mortem anno conscriptam atque emissam, habemus Commentarii in *Apocalypsin Joanneam* praefationem. Ubi, postquam de juniorum Hegelianorum ac Demagogorum, Jesu religionem irridentium, audaciâ ac licentiâ conquestus erat, hanc veluti cycneam edidit vocem Theologus: »*Hoc unum,*" inquit, »*equidem* »*scio, nullo alio in nomine salutem esse repositam, nisi* Christi »*cruci affixi in nomine; atque hominum generi nihil quicquam* »*majus esse nec pretiosius, quam, quae in ipso manifestata est,* »*θεανθρωπίαν, ab eoque conditum Dei regnum* (1)."

---

(1) Sese conscriptam esse profitetur haec praefatio *Basileae, d.* 20 *Junii a.* 1848. — Eum in modum me commovit, fateor enim, ille, unde pauca excerpsi, hujus praefationis locus, ut facere non possim quin paullo pleniorem eum hic reponam. Sic igitur, vix unius anni spatio moriendi a tempore disjunctum, capitali ingenio doctrinâque Virum dicentem audimus:

»*Die Selbstvergötterung des römischen Antichrists erscheint mir ein Kinderspiel* »*gegen den gottesleugnerischen ungläubigen übermüthigen alle Zügel von sich wer-* »*fenden Egoismus unsrer Tage; und was ist eine leibliche Verfolgung des* »*christlichen Glaubens mit Feuer und Schwert gegen die auflösende junghegelsche* »*Dialektik, gegen die Schmeichelrede und Bethörung der sogenannten Freiheits-* »*liebe, welche aus der schlimmsten innern Knechtschaft entspringt und das arme* »*Volk zu innerer und äusserer Knechtschaft führt? Auf den Rath derer,* »*welche auf der Höhe der Zeitbildung zu stehen vorgeben und dafür gelten,* »*soll der Staat sich des christlichen Princips entschlagen und sich auf den Bo-* »*den der Gleichgültigkeit, wo nicht gar des Atheismus, stellen: welch ein Fort-* »*schritt — zu einer neuen noch nie dagewesenen Barbarei!*"

»*Nur das weiss ich, dass in keinem andern Namen Heil ist als im Namen* »*Jesu Christi des Gekreuzigten, und dass es für die Menschheit nichts Höheres* »*giebt als die in ihm verwirklichte Gottmenschheit und das von ihm gepflanzte* »*Reich Gottes, eine Idee und Aufgabe, welche noch immer nicht recht erkannt* »*und ins Leben eingeführt ist, auch von denen nicht, welche sonst mit Recht* »*für die eifrigsten und wärmsten Christen gelten.*"

His cum dictis gravissimis omnino conferendum est, biennio ante editum, Auctoris scriptum: *Das Wesen des Christl. Glaubens vom Standpunkt des Glaubens dargestellt; Basil.* 1846. Quâ de commentatione ac de universâ

In De-Wettii meritis laudandis, recte factis praedicandis, Scepticismo atque erroribus optimâ quâque ratione excusandis, in amabili imprimis animi candore admirando, tres consentiunt Viri primarii, Hagenbachius et Schenkelius et, quem non ultimum memorare oportuerat, Lückius. Quorum ipsorum scripta nostra haec modo antea jam laudavit vel narratio vel ei subjecta annotatio. Quibus in Triumviris, quod memorabile videtur, neminem esse novimus, cujus de universâ disciplinâ sacrâ sentiendi ratio De-Wettianis cum placitis majorem aliquam habeat convenientiam. Unde hoc certe apparet, plane singularem eum fuisse Virum, raris animi ingeniique dotibus insignem, quae cum viventi illi, tum mortuo praestantissimorum quorumque aequalium studia conciliarent ac voluntates.

Verum caeterorum etiam mihi mentio facienda est, quae quidem cognovi, scriptorum parentalium. Quorum in numero primum jam Willibaldi Grimmii, veterani Theologi Jenensis, memoranda est commentatio, quae et alia narrat, et de rariore quodam De-Wettii libello refert, a. 1806 Jenae hâc edito inscriptione: *Vindiciae auctoritatis, quâ Augustana confessio praedita est, symbolicae. Oratio solemnis, quam — in templo academico habuit* De-W. (1). — Grimmium excipiat

---

Doctoris Basileënsis doctrinâ quo aequius feratur leniusque judicium, omnino Danielis Schenkel consulendus est libellus, quem inscripsit: W. M. L. de Wette *und die Bedeutung seiner Theologie für unsere Zeit. Zum Andenken an dem Verewigten; Schaphusiae,* 1849. Qui de ultimo, quod memoravimus, illius scripto dogmatico copiose egit, p. 54 sqq. Schenkelii libellum nostram in linguam convertit atque adjectâ auxit appendice, qui nunc jam, eheu! fato functus est, H. V. Rombouts; Tielae, 1850. Scriptum laudanti, nec tamen cantâ sine exceptione laudanti, consentio Niermeyero, in suo ac Dresselh. op. *Mag. v. Krit. en Exeg. des N. T.* II. 2. 166.

Sed, quo plenius Viri Theologia cognoscatur, omnino etiam adeundum est commentariolum, auctore Frid. Lücke, q. d. W. M. L. de W. *Zur freundschaftl. Erinnerung; Hamb.* 1850 (item in Ullm. *u.* Umbr. *Stud. u. Krit.* 1850. 3. p. 497 sqq.) p. 35 sqq. Quem libellum omnium, quae Viro docto parentârunt, scriptorum elegantissimum dixerim ac praestantissimum.

(1) Vid. *theol. Literaturbl. z. allg. (Darmst.) K. Z.* 1850, N°. 70. Quo

Ewaldius, qui, nisi pluribus, binis certe *Annalium* suorum locis quid de Basileënsi sentiret Doctore libere atque aperte professus est. Quem vero, cum plura in eo vituperet, quam laudet, atque iccirco in gravem illius admiratorum reprehensionem incurrerit, vix aut ne vix quidem in laudatoribus numerare licet (1). — Sed non dubium in iis sibi locum vindicat **Eduardus Reussius**, qui de *Commentario in Apocalypsin* ita retulit, ut relationi multa subjiceret Auctoris in honorem monita (2).

Ex dictis luculenter apparet, quam multas easque quam disertas, quibus hujus prae caeteris Theologi lugeretur abitus, voces ac querelas Germania emiserit atque Helvetia. Sed nec nostra haec Patria, ubi illius in Novum Testamentum imprimis Commentarii frequenti plurium usu teri solent, vicinorum in luctu plane sibi silendum putavit. Apud nos enim, ne supra laudatum denuo nominem **Herwerdenium**, **Oosterzéus** et **Jentinkius**, tam accurate ac tantâ elegantiâ, iisdem uterque in Annalibus, Viri, de quo loquimur, cum laudes celebrârunt, tum errores in critico imprimis genere demonstrârunt, ut non minore jure Germanorum in sermonem utriusque converteretur commentatio, quam quo nostram in linguam **Schenkelii** conversa sunt parentalia (3).

Francogallia tandem quae publica de Basileënsium Doctore judicia tulerit, alii dicant velim. Neque enim tam accurate, quam oportuerat, in scidulis ea me enotâsse video. Quocirca in hoc uno jam acquiesco desinoque monito. Fuerat quispiam qui *rei Christianae Archivis* (sic enim notissimum aliquod di-

---

eodem loco a **Grimmio** laudata vidi qaue *de* De-W. *juvene* nuper dixerat **Stierenius**, ejusdem Ephem. a. 1850, N°. 12. Item memorat ac supplet **Hübschmanni** narrationem: *Nachrichten üb. die Familie de W.; Jen.* 1848.

(1) Vidd. **Ewaldii** *Jahrb. der bibl. Wissensch.* II. 1849, p. 10 sqq. et IV. 1851—1852, p. 15 sq.; ubi *Introitûs in V. T.* postrema censetur editio.

(2) Vid. *Allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* 1849, N°. 255 sq.

(3) Vidd. *Jaarboeken voor wetenschapp. Theologie* (*Utrecht*, 1850) VIII. 2, p. 337 sqq. VIII. 3, p. 506 sqq.

citur Protestantium Diarium), propter nimis honorifice laudatum De-Wettium, satis acriter litem intenderet. Huic vero ita plura reposuerunt Auctores, ut eam, quam ineunte hâcce disputatione sequendam commendavimus, judicii lenitatem cum sanae Christi doctrinae amore felici copulâsse connubio nobis certe viderentur. Nam et alia et haec profitentur:

»*Fortunatus ille*," ajunt, »*qui non tam diu, quam* De-»Wettius, *anteaquam in fidei Christianae terram perveniat* »*promissam, arida peragrârit humanae sapientiae deserta. Sed* »*fortunatus item homo, immo fortunatissimus, qui non minus* »*feliciter, quam ille, eam ipsam tandem aliquando attingat* »*terram promissam* (1)."

Quae pietas in Deum quaeque Christo habita fides De-Wettii in pectore diu cum iis, quae dixi, colluctata erat impedimentis, atque, exeunte demum terrestri Viri curriculo, luculenter omnium in conspectum venit ac cognitionem; ea ipsa AUGUSTI NEANDRI toti praefuit, ab ephebis actae, vitae moderatrix. Hujus et ineuntem ea duxerat adolescentiam, et universam deinde virilem ac senescentem in ipsamque jam mortem inclinatam regere perrexit aetatem. Huic illa comes adfuit et gubernatrix meditanti, scribenti, docenti, publice res agenti ac privatim. Ut eam *animi* non principium tantum, sed (ita si dicere licet) *animam* fere vocaveris. Non mirum igitur, si ab *illo* intuendo facile ad *hunc* contemplandum fertur oratio. — Nec vero, quamvis magna utriusque dissimilitudo fuerit, alia desunt comparationis momenta, quae, De-Wettii ubi nobis imaginem repraesentavimus, in Neandrum cogitandum sponte nos adducant. Eâdem enim Berolinensium recens natâ in Academiâ sic aliquamdiu Collegae fuerunt et ejusdem ambo sacrae disciplinae Doctores, ut utrius clarius esset nomen ac magis

---

(1) Vidd. *Archives du Christianisme*, 1850, N°. 10.

nobilitatum dubitares. Et vero nos, qui de nuper defunctorum Germaniae Theologorum vel celebratâ vel neglectâ memoriâ paucis narrare instituimus, eâtenus certe cum De-Wettio Neandrum, qui vix ultra anni spatium illi superfuit, comparare possumus, quâtenus utriusque obitus tam graves multorum luctus peperit, tam frequentes ac tam disertas plurium voces ad parentandi officium obeundum impulit, quam nullius facile cujusquam, qui nuper ex vitâ migraverit, Theologi.

Verum de Neandro, in cujus funere lugendo major etiam, quam in De-Wettio, aequalium apparuit consensus, utrum dicere magis mihi expediat, an silere dubitari potest. De tali enim hoc Viro si vel sileam vel aliorum judicia nude reponam, καλοκἀγαθίας omni sensu destitutus esse, aut certe ad tanta ejus merita frigere videar. At, si dicam, verendum est ne vel lectoribus non satisfaciam, vel mihi displiceam ipse. Etenim tam ampla fuit ac tam grandis multorum, qui optimum Virum praedicârunt, vox panegyrica, ut ne disertissimo quidem Oratori, nedum huic homini, superandi eos aut consequendi spem relinquerent. Nec vero ita mihi deësse velim ac displicere ut, magnis in Viris omnia sine exceptione laudans, *homines* eos fuisse, qui *suos quisque paterentur manes*, obliviscar, vel adeo, quod pejus sit, junioribus sacrae disciplinae cultoribus ad illorum errores potius, quam virtutes imitandas auctor sim. Quid faciam igitur? Simplicis usus orationis modestâ tenuitate, ita pauca ex multis narraturus sum, ut plurimum aliorum judicio me tribuere appareat, aliquid etiam fortasse, si licet, meae huicce aetati ac diuturnae Theologiae studiorum exercitationi.

Neander igitur, d. 16 Januarii a. 1789, Göttingae Judaeis ex parentibus natus est, atque octavo a natalibus die solenni ritu circumcisus, Davidis nomen accepit. Pater quidem, Emanuel Mendel, lucri, ex foenore imprimis comparandi, cupiditate gentilium nemini cedebat. Mater vero, Esthera Gottschalkia, magni illius Philosophi Mendelssohnii

consanguinea ac lectissima eadem matrona, rerum divinarum, quo ipsa ferebatur, studio pietatisque sensibus mature filii pectus imbuere conábatur. Cujus tenero in animo quae vestigia vel impresserit vel reliquerit Israëlitica institutio, nos ignorare dolemus. Puerum vero constat a matre Hamburgum deductum esse. Ubi illa, nisi legitimo divortio, at voluntariâ secessione a marito disjuncta, vivebat ac liberos ipsa suos (plures enim habebat) educandos curabat. Hîc igitur qui natu minimus erat filius, futurus ille Theologus, classici, quod *Joanneum* audiebat, Gymnasii, ac biennio fere post altioris Scholae academicae discipulis adscriptus, tantam ingenii demonstrare alacritatem ac tam raros in artium disciplinis progressus facere, ut praeclaram de illo spem, non vanam profecto illam, conciperent Praeceptores. Et in aliis jam classicae antiquitatis auctoribus assiduam collocavit operam, et in *Platone* singulatim habitavit. Cujus imprimis studium ad adolescentis animum *Christo* conciliandum valuisse, plures sunt qui tradiderint, nec ego plane negandum puto. Cum praesertim meliorum nonnullorum consortium accederet sodalium. Verumtamen plura hîc *animo* mihi tribuenda videntur, mature ad Deum converso, nec in Rabbinorum Judaismo sanctioribus explendis desideriis pabulum invenienti. Etenim *si quis volet Dei voluntati parere, cognoscet de doctrinâ, utrum ea sit a Deo, an ego meâ auctoritate loquar* (1). En ipsius gravissimum effatum Christi! Quod sane luculento, si unquam alias, exemplo comprobatum vidit Hamburgum; quo die (25 m. Februarii a. 1806), qui vix septimum et decimum aetatis annum expleverat, adolescens, Christo se sincere fidentem professus ac sacro tinctus lavacro, Christianorum coetui socium se dedit. A quo igitur laetissimo suscepti baptismi die dici voluit ac pleno nomine dictus est Joannes Augustus Wilhelmus Neander (2). Quo postremo, quod *familiae nomen* hodierna vo-

(1) *Joann.* VII. 17.

(2) Postea plerumque, brevius enuntiato nomine, sese dixit Augustum Neander.

cat consuetudo, sibi indito nomine, similitudinem eum quaesivisse, atque animo sese consociatum indicâsse traditum legi cum Wilhelmo Neumanno, cui plurimum debebat, Amico Linctique ipsius aquâ baptismi pio teste. Verum, eodem adsumto nomine, ἐν Χριστῷ νεόφυτον eum se professum esse existimaverim. Quicquid sit, ejus exemplum secuta mater, secuti, commodo quisque sibi tempore, et bini fratres et ternae sorores baptizandas sese Christianorumque sacris initiandas curârunt. Quarum sororum quae aetate media erat, haee fratris *Augusti*, cujus vita caelebs atque infirma valetudo semper alienae opis admodum indiga erat, cujusque animus nullâ rerum domesticarum curâ tangebatur, hujus igitur oeconomiae, per totam illius vitam virilem, plane singulari praefuit constantiâ, fide, benevolentiâ. — Atque hîc sane divinam venerari oportet Providentiam, quae, quo felicius lectissimi quique Viri Regni coelorum caussae servire possint ac prodesse, saepe optimarum quarumvis Mulierum ministerio utitur ac religione. Neque enim, nisi Neandro et illa, quam diximus, pia Mater obtigisset, et constantissima haec vitae socia atque adjutrix amantissima Soror, fuisset ipse, quem omnes admirati sunt, NEANDER.

Haec quidem, utpote vulgo minus nota, paullo accuratius narranda putavi. De proximo juvenis curriculo pauca haec lectoribus in memoriam revocare suffecerit. Aliquot, posteaquam Christo nomen dederat, hebdomadibus Halensem petit Academiam; ubi Juris disciplinam, cui ineunte stadio destinatus erat, cum Theologiâ, pectori suo res divinas appetenti magis arridente illâ, brevi commutandam putat. Atque hîc nullius tam studiosus auditor fuit Doctoris, quam Schleiermacheri.

De caussis, quae Christianae religioni conciliaverint adolescentem, multa fabulati sunt Judaei. Quórum vero calumnias strenue refellit Van-Gilsius, Theologus Amstelodamensis; cujus postmodum accuratius a nobis laudabitur elegantissimum de A. N. commentariolum.

Cujus exegeticas si laudabat Scholas, at longe impensius eas praedicabat, quibus rationem ac consilium, quo in Historiae Ecclesiasticae studio versandum esset, diserte atque acute, ut solebat, exponentem illum audierat. Atque hujus adeo magni Doctoris auctoritate monitisque factum est, si fide dignos audieris hujus temporis testes, ut ad historicam prae caeteris nostrae disciplinae partem indefesso studio persequendam, nec vero tritâ adhuc, sed longe diversâ quâdam suâque ratione, excolendam efficaciter impelleretur juvenis ingenium. Quamquam in eam potissimum, quam postea secutus est, inquirendi ac docendi viam per suam maxime institutionem adductum iri discipulum, ne ipse quidem tunc augurari poterat Praeceptor (1).

Verum, ejusdem jam anni 1806 mense Novembri, oppressae a Francogallis Academiae Halensi eique, quem caeteris omnibus praetulerat, illius Doctori, invito quamvis animo, valedicere cogitur Neander. Hinc igitur abactus, proximi triennii majorem per partem, *Georgiae Augustae* civis, Sacris Litteris operam dare perrexit; in ea imprimis ferreâ incumbens industriâ atque assiduitate, quae Ecclesiae cum historiâ atque iis, qui dicuntur, Patribus antiquissimis conjuncta erant. In his enim legendis atque excerpendis et dies nec raro, quamvis infirmo renitente cor-

---

(1) Hâc in narratione prae caeteris secutus sum, a quo tamen in paucis discessi, C. K. Klingium, Ebersbachiae in agro Virtobergico sacrorum Antistitem; cujus omnino consulendum commendo copiosum atque accuratum commentariolum, q. d.: A. N. *Ein Beitrag zu seinem Lebensbilde*; in Ullm. u. Umbr. *theol. Stud. u. Krit.* ad a. 1851. 2, p. 459—538. Cum Klingio continuo conferatur J. L. Jacobi, cujus minime omnium negligenda est commentatio (*Zur Erinnerung an* A. N.), in Schneideri, *Deutsche Zeitschrift f. christl. Wiss. u. christl. Leben,* ad a. 1851, N°. 20—22. Alii postmodum laudabuntur.

Quod reliquum est, quae, praeëunte Klingio, de A. N. monui, alia, quam quae ipse suspicabatur Doctor, Schleiermacheri ex disciplinâ haurienti ac sibi vindicante; haec igitur quae supra, p. 101, 102, de illius in omnem partem dispersis diximus disputationibus plane confirmant.

pore, majores aliquas noctium partes, immo solidas subinde noctes consumere non dubitabat. Atque eodem tempore Historiae vel Ecclesiasticae vel Civilis Doctores Heerenium audiebat et Stäudlinium et eum, quem maximi quidem faciebat, nec tamen in omnibus sequebatur, Planckium. — Göttingâ saepius Hamburgum excurrens, et aliis cum Viris doctis piisque interiorem contraxit notitiam et, illius civitatis in viciniâ, Wandsbeckiae cum Matthia Claudio. Quorum colloquia ac monita sponte in pietatem proclivem ejus animum ita commovebant, ut ex *platonico*, qualis adhuc fuerat, plane *euangelicus* redderetur Dei cultor; cujus jam pectus per unius Christi amorem incalesceret, ac reliquo deinceps vitae tempore nunquam non ageretur. Ac nunc igitur Schleiermacherianae Philosophiae, a quâ paullatim aversiorem se sentiebat, subtilitati divinam Euangelii simplicitatem longe praeferre discebat (1).

Göttingensi huic Neandri triennio academico, quod discendo non magis triverat, quam privatim instituendis Amicis, finem anni 1809 imposuit autumnus; quo, post institutam honorifico admodum exitu probationem, Hamburgensibus adscribebatur sancti Ministerii Candidatis. Aliquamdiu tum in disciplinam sibi traditos instituendos curat pueros atque adolescentes. Aliquot item, datâ opportunitate, pro sacrâ concione pronuntiat orationes. Verum, non diu Hamburgi commoratus, proximo jam exeunte anno, quo liberiore animo in Christi societatis inquirere posset res ac fata, Heidelbergam properat. Cujus quidem Academiae primum privatis in Doctoribus, mox extraordinariis in Professoribus locum obtinet ac dignitatem. Verum Heidelbergae magis ostensus, quam datus, a. 1813 Berolinum evocatur, ordinariam Theologiae cathedram occupaturus. Atque

(1) Denuo hîc consulatur Klingius l. l., imprimis p. 514. Cujus narratio ex parte per ea confirmatur, quae de Schleierm. et Neandro, una Berolini habitantibus, referentem audimus Lückium, laud. libello: W. M. L. De Wette, *zur freundsch. Erinn.*, p. 19, 20.

hanc ipsam per septem et triginta, qui vitae reliqui erant, annos sic ornavit, ut docendo ac doctrinae monumenta edendo tam constantem sibi Studiosorum amorem ac venerationem conciliaret, ac tam claram nominis celebritatem consequeretur, quam paucissimis vel nostrae vel cujusquam disciplinae contingere solet Professoribus.

Sed quo pluris ipsum faciamus, et quo interius in ejus operum rationem atque indolem nos insinuemus, quali et animo fuerit et corpore perpendendum est. Jam de piâ illius Deumque ac Christum venerante mente et nos supra jam pauca monuimus, et omnes magno consensu testimonium edunt, qui cognitum eum habuerunt aliisque cognoscendum dederunt, quamvis studiis diversi, Viri docti. Mihi igitur de Neandro cogitanti sponte in mentem recurrebat, quod in eum apprime convenit, Lucae de *Barnaba* Apostolo dictum: *Vir bonus erat Sanctique Spiritûs et fidei plenus* (1). Atque ille, si quis alius, nisi modestia obstitisset, ad suum describendum animum his Paulli Apostoli verbis uti potuisset ac testificationibus: *'Εμοί το ζῆν Χριστός. "Ο δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. 'Η γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς* (2). Profecto igitur *pectus esse, quod Theologum faciat*, hoc, ad suum ipsius pectus respicienti, profiteri ac pro vitae studiorumque tesserâ usurpare licebat Neandro.

Sed talis hic ac tam praestabilis illius animus dictu difficile est, quam infirmum ac quam caducum incoleret corporis habitaculum. A cujus morbis atque iterum iterumque recurrentibus doloribus, toto fere vitae tempore, non tentatum se sentiebat, verum depressum ac cruciatum. — Tzschirnerum quidem, cujus etiam ipsius magnum in Theologiâ historicâ nomen est, postremis aetatis annis tam gravia perpessum esse pectoris im-

---

(1) *Actt. App.* XI. 24.

(2) *Philipp.* I. 21^a. *Galat.* II. 20^b. 2 *Corinth.* V. 14.

primis atque abdominis mala memoriae proditum est, ut, post inspectum ac dissectum mortui cadaver, per omne illud temporis spatium agendo ac publice dicendo sufficere potuisse ac durare misere affectum corpus, vehementer Medici mirarentur Anatomes periti (1). — Verum qualis Tzschirneri, diu vegeti ac robusti Viri, aliquot per annos sors fuit ac miseria; talis Theologi Berolinensis ab ineunte inde adolescentiâ, totum per dierum cursum, ad extremum usque fere pectoris halitum. Huic vero, novissimis vitae annis, ad caetera corporis jam exhausti mala ea oculorum accessit infirmitas et tantum non occaecatio, quae laboriosissimum in edendo pergere plane vetaret Auctorem, quod diu inchoârat, *Historiae Ecclesiasticae* opere immortali. Sed ne nunc quidem requietis quicquam sibi concedendum putabat, in semet ipsum tam durus, quam in alios lenis homo atque indulgens. Nam hoc potissimum afflictissimum tempus, alienorum oculorum vicario usus officio, ad retractanda repetitisque editionibus emendanda convertit et alia, quae olim vulgârat, scripta et Monogrammata historica. Sic igitur et antea et nunc imprimis, summâ virium contentione molesto dolorum sensui renitens, tam debile hocce mentis habitaculum animo servire atque ad imposita sibi divinitus pensa obeunda ministrare cogebat invitum. Nec vero sibi potius, quam Dei, cujus omnibus in aerumnis paternam venerari didicerat benignitatem, auxilio praesentissimo suam hanc tribuebat, quam *Stoicam* fere dixeris, constantiam ac perseverantiam.

Tam diuturnae huic afflictae valetudinis infirmitati atque aegritudini solam tandem medicinam attulit, tam constanti huic fortis animi cum corporis malis luctationi finem nox demum imposuit, quae *tertium decimum inter et quartum decimum diem m. Julii a.* 1850 media intererat. Haec enim Senem (nam,

---

(1) Consulatur, non sine Viri, quem celebrat, miseratione nuper a me relectus, libellus elegantissimus: *Mittheilungen aus des vollendeten Superintendenten,* Dr. H. G. Tzschirner, *letzten Amts- u. Leidensjahren u. s. w. von* J. D. Goldhorn, *Prof. der Theol.;* Lips. 1828.

non animo quidem, sed corpore plane senex erat) secundum et sexagesimum aetatis annum agentem, rebus eripuit humanis, ac, tali absumto capite, longe lateque diffusum Europae doctiori luctum peperit ac dolorem. Cujus quidem doloris primi interpretes docti homines exstiterunt ac diserti, quorum voces lugubres atque orationes ipsas Viri desideratissimi continuo cohonestandas curârunt exsequias. S. Rauhium dico, Theologiae Licentiatum, cujus amanter scriptum commentariolum qualis ac quam difficilis illius fuerit ex vitâ exitus exponit; tum Frid. Strausziam, Car. Imm. Nitzschium, Theologiae Professores, F. W. Krummacherum, Sacrorum apud Berolinenses Interpretem. Quorum, vel Amici defuncti in aedibus, vel propter sepulcrum, vel Academiae in aulâ habitae ac conjunctim editae exstant orationes (1).

---

(1) Quae hi dixerant Quatuorviri, in unum coacta fasciculum, atque inscripta: *Zum Gedächtnisz* A. Neanders (Berol. 1850), — Nederl. conversa, hoc titulo vulgata sunt: *Ter gedachtenis van* A. N. *Met een voorwoord van* H. J. Royaards (Traj. ad Rh. 1850). Quâ praefatione gravissimus hic noster Collega de Theologi Berolinensis, quocum olim coram notitiam contraxerat, indole meritisque, breviter quidem, sed accurate exponit. — Rauhii scriptum item repositum est in Schneideri *Zeitschrift f. christl. Wissenschaft* etc. ad a. 1850, N°. 29.

Sed eodem hoc in opere menstruo plura exstant a variis auctoribus ejusdem Theologi in honorem scripta. Quorum praecipua hîc breviter memorare juvat. Jacobii quidem omnium locupletissimam commentationem supra jam laudavi. Sed praeterea haec ibidem prodita notentur: Anonymi carmen, l. l.; — Hermanni Rossel, jam defuncti juvenis, et narratio et carmen, ad eundem a. 1850, N°. 30; — memorati jam Licent. Rauhii, Praeceptorem N. tanquam *Dei amicum* pingentis, parentalia; *ibid.* N°. 31, 32; — relatio quaedam, cujus auctor dicitur Thomas, V. D. M. ibid. N°. 33, — Julii Mülleri programma, quod de harmonicâ *scientiae* ac *vitae*, quâ cerneretur, conjunctione, venerationis, quâ eum omnes prosequerentur, praecipuâ caussâ, consulendum est, ad a. 1851, N°. 22.

Alia nunc mittimus aut in posteriorem aliquem locum rejicimus. Verum quoniam hîc de ultimâ Neandri vitâ egimus, conferenda commendo quae, huc spectantia, narravit Hefele; in (*Tüb. cathol.*) *theol. Quartalschrift*, 1850. XXXII. 2, p. 334; — item Anonymus, in *Darmst.* A. K. *Zeitung*, 1850, N°. 21, 22.

Quamvis diversis docendo ac scribendo profuerit sacrae doctrinae partibus Theologus hic Berolinensis; unam tamen fuisse, quam prae caeteris excoleret atque omnium maximis demereret officiis, *Societatis Christianae Historiam*, inter omnes constat, qui aliquid hîc judicare possunt, Viros doctos. Quocirca ab hâc potissimum parte illius spectanda sunt ac laudanda merita. Ipsum igitur si propositi sui testem audimus Neandrum, ita eam, quam diximus, informandam ac tradendam suscepit historiam, ut luculentissimum, unde Christianae religionis vis appareret et efficacitas, argumentum ea nobis ministraret ac documentum; — ut experientiae ac pietatis Christianae Schola eadem esset perpetua; — ut disciplinam denique contineret, quae ad omnes, quorum non occlusae sint aures, auditores *οἰκοδομῆς* et institutionis et salutaris admonitionis vocem converteret ac perferret, nullo non seculo perceptam ac propagatam. Hoc enim, inquit, mature jam vitae meae studiisque propositum fuit consilium. En gravissimam ipsius professionem, quam opportune disputationis, ubi ejus in hoc genere merita subtiliter et accurate exponit, in capite posuit Hagenbachius (1). Neque illo profecto vitae suae consilio excidisse, nec ei, quod animi per conformationem et fatorum per adjuncta divinitus sibi impositum putabat, officio defuisse censendus est Vir bonus ac magnus.

Proximo tempore qui eâdem in palaestrâ strenue versati erant, Spittlerus et Henkius aliique, *Pragmatici* quidem, suo quisque modo, dici poterant Historici. Neque enim rerum in Ecclesiâ gestarum caussas, opportunitates effectaque inquirere

---

(1) Hujus disputatio, quam de meliore notâ commendare non dubito, et unde nonnulla meos in usus me convertisse profiteor, *de* A. N. *in Hist. Eccl. meritis* luculenter exponens illa, in laudatis exstat *theol. Studien und Kritiken*, ad a. 1851, P. 3, p. 543 sqq.

His jam scriptis, Clarissium etiam tantum Neandri his verbis tribuisse video, ut Latine conversam eorum summam reponendam putaret, *Epit. Encycl. theol.* p. 366.

ac lectoribus tradere neglexerant. Verum, in terram potius inclinatis, quam in coelum sublatis, oculis, ad inferiora vel videnda vel suspicanda perspicaciores sese prodiderant, quam ad sublimiora contuenda atque admiranda. Acuti quidem erant ac copiosi in Sacerdotum astutiâ, Principum Regumque dominatione, plebis stupiditate, atque universe in Clericorum ac Laïcorum erroribus, vitiis, simulatione, stoliditate reprehendendâ ac subinde ridendâ. Verum quam hebetes ut plurimum aut socordes certe sese praebebant, ubi fidei pietatisque vis ac magnanimitas aestimanda erat et laudanda, quae, Deum quaerens unum Christumque Conservatorem, coeli tantum sanctitatem appetens ac beatitudinem, terrae voluptates atque illecebras generose spernit ac contemnit!

Hujus ipsius autem pietatis in praestantiâ ac fructibus contemplandis iisque et ad imitationis aemulationem commendandis, et ad Christi, hominum animos consolantis atque emendantis, honorem convertendis ita totus erat Neander, ut externa illa ac politica minus studiose persequeretur historiae momenta et adjuncta. Eorum quidem, quos diximus, Historicorum judicio mortalium tantum artibus ac machinationibus temere conflatum aedificium videri poterat Ecclesia. Hujus vero piae menti ut *Dei regnum* informabatur; cujus quae fata, quae vis salutaris, quae aliquando, Christo Rege moderante, futura esset amplitudo honosque, luculenter praedixisset ipse. Hoc enim *granum sinapis* illud esse, Domini vaticinationum videbat Interpres aliosque ex historiâ perspicere volebat, quod, quamvis exiguum, *ubi adolevit olerum est maximum;* ac *fermentum* idem esse, quod in farinae massâ latet abditum, *donec tota fermentetur* (1).

Cum in vitâ communi versantes, tum historiae testes consulentes, alios offendimus, qui, et in hominum animis, indole factisque, et in rerum vel civilium vel sacrarum cursu atque

---

(1) Vid. *Matth.* XIII. 32, 33.

eventis, *optima* quaeque, id est laudabilia et fausta, cupidius videant, animadvertant, inquirant, sperent; — alios contra, qui iisdem in hominibus ac rebus *pessima* quaeque, id est turpia et infortunata, studiosius intueantur, quaerant, suspicentur, augurentur, reformident. Illos nos vulgo dicimus *Optimistas*, hos *Pessimistas*. Quamquam antiquis Romanis non magis haec erant nomina cognita, quam Leibnitiana, unde hausta sunt, disciplina.

Illorum Optimismo studiis propiorem fuisse atque animi inclinatione conjunctiorem Neandrum, quam *horum* Pessimismo, cum indoles ostendit, tum scripta comprobant. Quorum numerum ac varietatem cum non capiat hujus conspectûs brevitas, paucis tamen de iis videamus, quas edendas curavit, hominum illustrium *Vitis* ac majoribus historiae *Monogrammatibus*. His enim scriptis atque editis non paucos, quos Ecclesiae memorant Annales, magnae famae Viros ita describit pingitque, ut in ipsum, quo singuli vixerunt, seculum cognoscendum insinuemur atque animis et cogitationibus veluti praesentes transferamur. Quod ubi agit, nativâ quâdam sibique propriâ gratiâ ac simplicitate, ex temporum, quibus hâc in terrâ degerunt, sentiendi agendique ratione ac consuetudine illorum cum virtutibus ac bene factis lucem petit laudemque, tum erroribus vitiisque veniam parat atque excusationem. Quâ ex animi propensione ac studio factum est, ut non Mysticis tantum atque Haereticis magis faveret, quam, post Gothofredum Arnoldum (1), nobiliorum Historicorum quisquam fecisset; sed acer-

(1) Opus significo: *Kirchen- u. Ketzer-historie, durch* Gottfr. Arnold; primum *Lips.* 1696, tertium *Scaphusiae,* 1740—1742, III Tom. f. max.

Heterodoxorum fere patronum post alios eum vocavit Clarissius, *Epit. Encycl. theol.* p. 341. De opere autem, quod multorum olim in Auctorem odia concitârat, a medio inde Sec. XVIII, benignius judicare inceperunt Moshemius aliique. Sed qui et Arnoldum et Neandrum accuratius cognoscere velit, prae caeteris omnibus Augustium, Archaeologiae Christianae Statorem illum, consulat, in opere: *Beyträge zur Geschichte u. Statist. der Evang. Kirche,* P. III, p. 706 sqq. Unde, aliquot ante annos, plura

rimos etiam Christi religionis adversarios veteres tam benevole ac tam indulgenter judicaret, ut ne lenissimos quidem, si forte in vitam reduces, aequis animis haec ejus judicia laturos fuisse Ecclesiae Patres existimem.

Universae hujus, quam Monogrammata sequuntur, nec majus illud *Historiae Ecclesiasticae* opus deseruit, narrandi ac judicandi rationis primam eamque luculentam testem advoco, quam, aliquamdiu ante commentatam, vix tres et viginti annos natus emisit, *vitam* Juliani. Imperatoris, inquam, quem *Apostatae* famoso nomine atque atro carbone Gregorius notavit Nazianzenus, notârunt plerique omnes Orthodoxi. Cujus vero virtutes eâ laudavit aequitate Historicus, quam eum in Christianos, Juliani aequales, ipsosque ejus consanguineos paullo iniquiorem reddidisse nonnulli forsitan putabunt (1). — Noli tamen dubitare, quin Viro religionis amantissimo nec a Mysticorum studiis alieno, longe magis sanctus arriserit ac placuerit Bernardus. A multis hunc non ignoras angustae mentis Monachum habitum esse, nec ab insaniâ valde remotum Fanaticum. Quid vero hîc Neander? En tibi, quo Claraevallensis hujus Abbatis memoriam celebravit, librum subtilissimum (2). Modo *medii*, quod dicimus, *aevi* proprium privumque tibi recludit ingenium. Modo Viri, qui, quodcunque vellet,

---

me excerpsisse non poenitet. Neque enim quemquam novi, qui eâdem diligentiâ utrumque, quem dixi, comparaverit Historicum. Etsi vero a multis praestantiae historicae dotibus laudibusque Arnoldo longe praeferendum esse Neandrum verissime doceat, vereor tamen ut studiosissimis quibusque hujus admiratoribus in omnibus satisfecerit Augustius.

(1) *Ueber dem Kaiser* Julianus *und sein Zeitalter. Ein hist. Gemälde;* Heidelb. 1812. Anglice conversum est opus.

(2) *Der heil.* Bernhard *u. s. Zeitalter;* Berol. 1813. Altera eaque valde emend. editio prodiit Hamb. et Gothae, 1848. Conff. quae monuimus, *Mem.* Clarissii p. 265 sq. — Alteram editionem secutus est R. P. Verbeek; cujus interpretatio Nederlandica, II Tomis Roterod. 1850 emissa, a fide atque elegantiâ passim laudata est. Priorem, a. 1843, Anglica expressit interpretatio.

fortiter volebat, sic tibi *animum* aperit, ut abditissimos quosque ejus recessus cernas et penetralia. Quâ duplice quasi clavi adhibitâ, i. e. et aevi et hominis studiis perpensis, non magis te Bernardi magnitudo latebit, ardenti profecta ex Christi amore, quam seculo potius, quam ipsi, tribuenda pusillanimitas. — *Gnosticorum* doctrinis ac commentis quid obscurius habet, quid magis reconditum tota, quâ late patet, Dogmatum Historia? Quo impensius hujus Historici cum eruditio admiranda est, tum constantia, quae in Cimmericas illas veluti tenebras ita sese demisit atque ita eas illustravit, ut *animantes* certe lectoribus pellucerent opinionum, quas profitebantur, *ideae* ac principia (1). — Sed novis identidem Monogrammatum muneribus Christi Societatis historiam locupletare pergebat Auctor indefessus. Vix triennio enim interjecto, spissis *Gnosticismi* ex vepribus ac dumetis in laetiores nos hortos deducit ac viridaria. A Basilide ac Valentino ad Joannem gressum facit Chrysostomum. Nec vero hujus magis fata enarrat ac res gestas, virtutes atque eloquentiam, quam Ecclesiae, cujus ornamentum erat, quarto seculo atque ineunte quinto in Oriente florentis, fidissimi Pictoris instar, imaginem in chartae veluti tabulâ delineat (2). — *Memorabilia* praetereo, quamvis praestabilia, *ex religionis vitaeque Christianae fastis hausta;* quibus aliquanto post editis ad illorum studium non doctos tantum, sed cultiores quosvis allicere volebat homines. Cui consilio assequendo eo magis accommodatum esse hoc opus censendum est, quo plura re et veritate *memorabilia* de Viris haud paucis tradenda curat, quos Christo habita fides et se ipsis

---

(1) *Genetische Entwickelung der vornehmsten Gnostischen Systeme;* Berol. 1818.

(2) *Der heilige* Johannes Chrysostomus *und die Kirche, besonders des Orients, in dessen Zeitalter;* Berol. 1821. 1822. II Tomis. Operis, quod in praecipuis Auctori deliciis erat, tertia, eaque multum emendata et Introitu aucta, editio *ibidem* prodiit, a. 1849. Nederlandice conversus liber, auctore D. Koorders, prodiit Roterod. 1852. II Tomis. Quae laudatur interpretatio.

majores redderet, et ad alios in Domini societatem aggregandos efficaciter impelleret (1). — Nec vero, quando de Gnosticorum, quae acute declaraverit, decretis pauca diximus, Antignosticum plane intactum relinquere possumus; cui palmari operi Tertulliani proposita est cognitio. Arduum sane ac difficile pensum, ad deterrendos accommodatius, quam ad alliciendos, quamvis doctos atque exercitatos, *Vitarum* Narratores. Carthaginiensium enim illius Episcopi si dura erat atque inficeta et intellectu difficilis, Africana potius quam Latina, lingua et oratio; facilius tamen hanc expedieris, quam *animum*, altissimos habentem recessus, ubi magna, nec vero sibi constantia, volvebantur; quam *placita*, quorum haud pauca *oxymora* vere vocaveris, sanae mentis ac sapientiae semina dictorum, quae primo intuitu inepta videntur, involucris occultantia. Quas profecto ejusmodi esse apparet difficultates, quae ab uno quamvis erudito homine removeri nequeant omnes. Verum in iis minuendis et quodammodo certe superandis neminem facile meliore successu versatum esse, quam Neandrum, peritissimi quique consentiunt harum rerum arbitri (2).

Haec igitur, quam brevissime recensuimus, majorum in hoc

---

(1) Dicitur opus: *Denkwürtigkeiten aus der Geschichte des Christenthums u. des Christl. Lebens;* Berol. 1823—1828. Tertia eaque emendata editio, ex quâ nonnulla sublata sunt, olim a Tholuckio aliisque collata, alia vero substituta, Hamb. et Gothae vulgata est, a. 1845. 1846. III Tomis. Nederlandice primam ed. convertere inceperat G. N. Munting; tertiam, optimo successu, passim probantibus librorum Censoribus, nostram in linguam convertere incepit V. F. J. Boonacker; Roterod. 1847.

(2) En pleniorem libri inscriptionem: *Antignosticus, Geist des* Tertullian *u. Einl. zu dessen Schriften, mit archäol. u. dogmenhist. Untersuchungen;* primum Berol. 1825, tum alterâ, ex parte retractatâ, editione, ibid. 1849. Quâ de ed. prae caeteris consulendus Car. Jos. Hefele, in (*Tübing. Kathol.*) *theol. Quartalschrift,* XXXII. 2. (1850) p. 334 sqq. Qui multa quidem pulcre et recte dicta laudat; multa vero, quae abesse non debuerant, desiderari conqueritur. Sed quam miserâ corporis atque oculorum imprimis conditione utebatur, librum ubi retractabat, Auctor!

genere Monogrammatum, quibus tredecim annorum (1812—1825) spatio editis, ad graviora etiam aggredienda sese praeparârat Vir eximius, pulcherrima series exstitit ac catena. Neque enim breviora memorare possumus, etsi suâ laude non defraudanda, varii argumenti commentariola ac disputationes, vel illo temporis intervallo vel postea evulgatas. Eodem autem, quo *Antignosticum* emisit, anno 1825, copiosum illud édere incepit doctrinae monumentum, quod, etsi, eheu! inchoatum manserit, tamen ad Auctoris nomen posteritatis admirationi commendandum vel solum suffecturum fuisset; *Religionis atque Ecclesiae Christianae historiam universalem*. Cujus operis V voluminibus, X Partibus seu Tomis, gravissimae narrationis telam, a Reip. Christianae exordiis ad tertii et decimi seculi exitum fere, id ést ad Bonifacii VIII Pontificatum Maximum, ipse deduxit Historicus (1). Cui, quominus recentiora item ac recentissima tempora complecteretur, non sane voluntatem defuisse, verum corporis, oculorum maxime, debilitatem obstitisse, supra jam monuimus. Quo magis ex posthumis illius scidulis XI^mum^ certe Tomum nuper à Schneidero depromi potuisse laetandum est, atque ita *Concilii Basileënsis* tempus jam attigisse narrationem (2).

Jam si hujus potissimum operis praestantiam copiose laudare aggrederer singulasque ejus virtutes praedicare instituerem, inepte me loquacem proderem. Hoc enim agenti ne quis objiciat verendum sit, quod Atheniensium nescio cui Rhetori,

---

(1) Quae enim paullo plura jam commentatus erat, ea edere non potuit.

(2) Dicitur opus: A. N. *allgem. Geschichte der Christl. Rel. u. Kirche;* Hamb. 1825—1845. XI^mum^ Tomum, posthumum illum, edidit Schn. *ibid.* 1852. — Nederlandice conversum opus bini edere inceperunt Viri doctissimi, primum quidem H. J. Spijker, Amst. 1827, Rot. 1830; postea W. C. Mauve, Roterod. 1848 sqq. De utrâque dici potest interpretatione, quod de posteriore testatur Ephem. *Waarh. in Liefde,* 1852. 3. 573: »*Perspicuitate longe superat archetypum interpretatio.*" — Britannice etiam conversum est opus.

qui pulcram esse Homeri *Iliadem* demonstrare se velle jactabat, lepidum aliquem reposuisse ferunt hominem. »*Ecquis,*' inquit, »*est, qui non pulcram esse Iliadem contendere au-*»*deat?*" — Quid enim? Nonnulla huic eruditionis ac pietatis monumento ad summam artis historicae perfectionem deësse, paullisper concedamus. Esto igitur, Neandrum, qui universe vitae sanctitatem magis advertebat ac studiosius sectabatur, quam cultam elegantiam, eum stili orationisque gratiâ ac venustate, nonnunquam etiam lucidâ perspicuitate, ab aliis subinde superari Historicis. In fontibus, unde hauriendum erat, indagandis atque inquirendis quamvis magnam vitae partem rarâ consumserit diligentiâ ac constantiâ; vel sic tamen Gieselero paucisque aliis, quoad criticam hujus disquisitionis partem, non plane sit aequiparandus. Tum in rerum civilium, quae Ecclesiae cum fatis conjunctae erant, comparatione atque explicatione non tantum, quantum Spittlerus atque, huic qui praeferendus est, Planckius, curae posuerit atque operae. Christianorum *animos* potius nobis cognoscendos dederit et conspiciendos, *Aesthetices* non admodum curiosus, Auctor, quam hymnorum pictarumque tabularum, quibus utebantur, elegantiam et templorum, quae aedificabant, cathedralium magnificentiam. — Tandem, etsi a partium illo studio, quo duci non raro atque abripi se passus erat Gothofredus Arnoldus, universe alienissimus esset longe doctior hic ac solertior ejus Aemulus; vel sic tamen hunc ipsum quoque, cui acrior forsitan sentiendi, quam ratiocinandi facultas erat, ubi cum *Heterodoxis* ac *Mysticis* litigantes videbat ac conflictantes *Orthodoxos,* paullo benigniorem atque aequiorem *illis* sese, quam *his,* judicem praebuisse, ponamus ac concedamus.

Haec igitur, quae ab aliis alio modo ac tempore allata, a nobis in unam aliquam collata sunt summam, non improbabiliter disputari largiamur. Quamquam multa in contrariam partem reponi posse non minus certo constat. Sed si vel vera et indubia esse omnia me peritiores forsitan judicaverint arbitri;

tamen hi, qualescunque tandem sint, operis defectus longe majoribus illis compensantur, quae cunctis Auctoris hujus argumenti scriptis vindicavimus, iisque plane singularibus bonis ac virtutibus. Atque integra adeo et illibata semper haec operi laus constabit honosque, quod, quam testem temporum esse novimus, Historiam, eam vitae Christianae tanquam Magistram atque Admonitricem propius, quam quisquam adhuc fecerat, auribus nostris audiendam admoverit, clariusque et facilius salutarem ejus vocem animis nostris percipiendam praebuerit (1).

Vereor fere ut nonnullorum in reprehensionem incurrerim lectorum, quod nullam dum *Vitae Jesu*, ab hoc Theologo conscriptae, mentionem fecerim. Cum praesertim hic ejus liber, quinque jam editionibus frequentatus variasque in Europae linguas conversus, tot, quot paucissimi alii, eosque doctissimos invenerit laudatores (2). Enimvero jam nunc, Viri praestantiâ

---

(1) Quando plures jam, qui de Neandro egerunt, supra memoravimus, Viros doctos, non committendum est ut optimae frugis commentationem negligamus, quae, Auctore J. van Gilse, reposita exstat in op. *Jaarboeken voor wetenschapp. Theol.* (Traj. ad Rh. 1851) IX. 2. p. 249—308. Haec enim commentatio modeste quidem inscribitur: *Aliquid de* A. N.; verum non *aliquid*, sed permulta potius continet cognitu dignissima.

Necdum Ottonem Krabbe memoravimus, Theologiae Professorem Rostochiensem, qui hâc inscriptione libellum edidit: A. N. *Ein Beitrag z. seiner Characteristik;* Hamb. 1852. Pp. 175. Quem valde laudatum vidi a T. Colani, in eâ, cujus Editor est: *Revue de Théologie;* ad a. 1852, Jul. 63 sqq.

Tertium h. l. lectorum in memoriam Scriptorem revoco Willibaldum Beyschlag; cujus nequaquam negligendum mihi videtur de A. N. commentariolum, repositum in Krafftii et Goebelii *Monatsschrift. f. d. evang. Kirche der Rheinprov. u. Westph.*, ad m. Septembr. 1850, p. 125 sqq.

(2) *Das Leben* J. C. *in seinem geschichtl. Zusammenhang u. seiner geschichtl. Entwickelung dargestellt.* Prima ed. Hamb. 1837; quarta, quam ultimam ipse curavit Auctor, ibid. 1845. Post illius mortem quinta vulgata est, ibid. 1852. Quo ipso anno Parisiis Francogallice conversum opus, II Tomis, edidit P. Goy. — Et haec interpretatio valde laudatur, et Nederlandica,

captum ac detentum, nimis longe positos mihi fines me egressum esse, majore forsitan jure objicient alii. Quocirca et illi caussam cognoscant et hi velim. Quoniam igitur amplissimo ex argumento pauca tantum delibare poteram, nihil de eo *Exegetâ* dixi, nihil de *Apologetâ*, quem vulgari ac proprio vocamus usu, nihil de *Doctore* publico et *academico*. Et alia ejus scripta intacta reliqui et gravissimum ac jure celebratum opus, quo ad Christi Societatis originem atque incunabula spectanda nos ita adduxit, ut cum alia cognitu digna doceret, tum de Apostolorum imprimis, *Petri*, *Joannis*, *Jacobi*, maxime vero *Paulli*, charactere et indole non pauca scite atque utiliter mo-

---

quam diu ante curaverat J. Meijer, Theol. Doct. et Antistes Beetgumensis; Groning. 1840. 1841. II Tomis.

In multis, quae publice proditae sunt, operis censuris hac mihi, variis de caussis, prae caeteris memorabiles visae sunt. Relatio in *Waarh. in Liefde* ad a. 1839. 2. p. 361—425. Ubi libri argumentum copiose admodum atque universe accurate explicat J. Busch Keizer. — Binae aliae in *Studien u. Kritiken,* ad a. 1840. 3. p. 711—735, item p. 736 sqq. Ubi impense librum laudantes audimus J. C. Osiandrum et Dan. Schenkelium; sed ita, ut neuter Auctoris Scepticismum historicum plane probare videatur. — Quibuscum in multis Censor consentit, in Tholuckii *Lit. Anzeiger,* ad a. 1841, N°. 42 sqq. Quamquam et ordinis concinnitatem subinde desiderari hic arguit, nec criticorum Schleiermacheri placitorum amorem libro profuisse significat. Tum, doctissimum hunc si audis ac subtilissimum judicem, ad Domini vitam illustrandam locorum, temporum, morum consuetudinumque accuratam rationem non habuisse Historicum, valde dolendum est. — Nec consuluisse quemquam poenitebit L. Peltium, in Reuteri *allgem. Repert.* ad m. Januar. 1849, p. 26 sqq. Quamquam de Euangg. ἀκριβείᾳ ac veracitate honorificentius me sentire, quam Peltium, non est quod diffitear.

Brevioribus in libri censuris binae Nederlandicae memorandae sunt, quarum altera, auctore J. J. van Oosterzee, exstat in op. *Jaarb. der Wetensch. Theol.* II. 2. p. 430 sq.; — altera, auctore Anonymo, in *Godgel. Bijdr.* ad a. 1841, p. 379 sqq., stili atque orationis in conformatione multa hic reprehendenda putat.

Sed et hic et caeteri omnes, quos consulere mihi contigit, libri Censores ejus vitia per bona ac virtutes abunde compensari, quin longe superari consentiunt.

neret. Quibus ex monitis et Theologiae proficere possunt et Anthropologíae ac Psychologiae studiosi. Haec enim libri elegantissimi, quo *de fundatâ ac gubernatâ ab Apostolis Christi Ecclesiâ* disputatur, praecipua laus esse censenda est (1).

Verum utut utiliter ac feliciter in aliis sacrae disciplinae partibus versatus sit, nullam tamen tam praeclare excoluit, nullam tantis demeruit officiis, quam *Ecclesiae*, constitutae jam ac Christo Rege perpetuo conservatae, *Historiam*. Hâc potissimum in Historiâ regnavit. Hujus neminem quemquam meliore jure Vindicem dixeris ac Statorem. Caetera igitur aliis persequenda relinquens, hujus imprimis Interpretem ac Magistrum eum commendandum existimavi ac celebrandum.

Nec tamen de *Vitâ Jesu*, ab eo conscriptâ, quid sentiam prudentioribus judicandum permittere nolo. Multa sine dubio liber continet, ad Christi et historiam illustrandam et divinam sapientiam explicandam eximie comparata. Atque iis imprimis

---

(1) *Geschichte der Pflanzung u. Leitung der Christl. Kirche durch die Apostel. Als selbstständiger Nachtrag zu der allg. Geschichte der Christl. Rel. u. Kirche;* Hamb. 1832. II Tomis. Primam hanc editionem et aliae exceperunt et quarta, Hamb. 1847. Quae ita sese auctam profitetur, ut eorum, quae de *Lucae* fide historicâ recentissimi disputârant Critici, ratio jam sit habita. Nec vana haec professio est. Nec paucas enim strenue refellit Bauri dubitationes captionesque. Item epistolae ad *Ephesios* Paullinam adversus De-Wettium defendendam suscipit originem. Vel sic tamen ita subinde Scepticum agit ipse, ut nonnullis *Lucae* narrationibus fidem habendam esse negare videatur. Quo illius de Scepticismo nonnulli etiam conquesti sunt, qui libri dotes ample laudabant, Censores. Mihi imprimis lectu digni esse videntur Klingius (Theol. Prof.), in *N. Jen. allg. Lit. Zeit.*, ad a. 1842, N°. 301 sqq. (cui tamen, hocce opus caeteris Neandri scriptis praestantius etiam habenti, minime assentio). — Deinde Anonymus, in Brunsii et Häfneri *neues Repert.* ad m. Jul. 1847, p. 1 sqq. — Tum L. Peltius, in Reuteri *allg. Repert.* ad m. Januar. 1849, p. 26 sqq. — Porro J. F. van Oordt, J. G. f., cujus valde copiosa relatio reposita est in op. *Waarh. in Liefde*, 1842. 2. p. 331—405.

Nederlandicam libri interpretationem supra jam laudato debemus J. Meijero; Gron. 1844 sq. II Tomis. Cujus operam valde laudat Censor, in *Godgel. Bijdr.* 1845, p. 357 sqq.

haec ad insigne cognitionis incrementum profutura confido, quibus, ad libri lectionem accedentibus, de Euangeliorum fide ac veracitate certo jam constiterit ac persuasum sit. Num vero eosdem plane usus iis praestitura sit narratio, quorum animi objectionum jam laqueis capti sunt et irretiti, non inepte quis dubitet. — Sane non omnia possumus omnes. Nec Socrati, quamvis praestabili Philosopho, turpe censendum est, si sui temporis Sophistis, de quâcunque re oblatâ in utramque partem disputare solitis, subinde minus argutus minusque callidus esse deprehendebatur. Nec Neandri manes violabimus ac memoriam, si magis accommodatum ei fuisse ingenium statuerimus ad Dei sapientiam et optimorum quorumque hominum pietatem, in Christi Societate elucentem, explicandam atque in omnium admirationem commendandam, quam ad Strauszii, Hennellii, Brunonis Baueri captiones discutiendas objectionesque refellendas. Quibuscum certamen commissuro in Critico non magis sane ingenii acumen, non magis doctrinae lumen, quam circumspectio ac prudentiae cautio requiritur. Cujus ipsius cautae prudentiae nulla certior lex est nec magis indubium postulatum, nisi quod cavere jubet ne quicquam, quo abuti quodque ad bonam, quam tuemur, caussam enervandam contorquere possint, adversariis temere concedamus ac largiamur. Hanc vero prudentiam, quamvis multas historiae euangelicae partes praeclare tuenti, Theologo comitem adfuisse ducemque perpetuam, tam confidenter, quam vellem, affirmare non audeo. Alia enim ne memorem, non satis me perspicere fateor, quos testes tam saepe, quam eum concedentem videmus, levioribus etiam in rebus tradendis a vero aberrâsse putemus, quo jure aut quibus argumentis eos, graviora quaeque Domini facta ac verba memoriae prodentes, certâ atque indubiâ fide dignos esse demonstrare possimus.

Verum de optimâ ac tutissimâ, quâ sacra defendenda sit historia, viâ ac ratione multos a me dissentientes habebo hujus temporis Theologos. Quos tamen omnes mihi assensuros esse confido, ardentissimis hoc a Deo O. M. precibus petenti, ut

omni tempore Christi Societati Doctores obtingant, non tantum rerum divinarum cognitione, sed Domini amore imprimis atque in Deum hominesque pietate NEANDRI praestantiam atque imaginem referentes (1).

Sed haec nunc quidem hactenus. De aliis non paucis (nam, eheu! multi sunt) qui nuper ex vitâ migrârunt, Germaniae Theologis de eorumque vel celebratâ vel neglectâ memoriâ proximo nobis agendum erit, nisi quid accidat, harum Chartarum Libro.

---

(1) Memorabilis Gaussenii, notae illi Genevensium Scholae theologicae praefecti, oratio est, quâ plures Theologiae tirones esse conqueritur, Helvetios, Francogallos, Britannos, qui ex Germaniâ, ubi studiis operam dederant, in patriam quisque suam reduces, errores, pristinarum Scholarum ex contagione Neandri in animo haerentes, sectari malint, quam generosae illius adversus Rationalistas luctae ac certamini socios se praebere. Vidd. *Archives du Christ. au* XIX *Siècle*, ad a. 1851, N°. 1.

Eâdem in Ephemeride, eundem ad a. 1851, N°. 5 et 7, multa reposita sunt, unde litem cognoscas, Merlium d'Aubigny inter et Comitem Agenorem de Gasparin de quaestione agitatam, utrum *biblicus*, qualem vocant, id est Sacrae Scripturae pie colens auctoritatem, Theologus dicendus esset Neander, nec ne. Quod *ille* strenue defenderat, *hic*, levissimis usus argumentis, infitias iverat. Quâ in caussâ agendâ rei Christianae amantiorem, quam Theologiae peritiorem illustrem hunc sese demonstrâsse Comitem, eo magis dolendum est, quo pluris ejus in Francogalliae Protestantes merita facienda sunt.

MONITUM,

CICERONIS NON EXPLICANS, SED INQUIRENS, DE REBUS DIVINIS SENTENTIAM.

Si forte magni *Philosophi* nomen atque honorem solus ille tueri posse censeatur, qui vel nova prorsus suopte ex ingenio decreta depromserit, vel certe novis plane argumentis aliorum placita commendanda curaverit; multos sine dubio in nobilissimâ hâc laudis palaestrâ se superiores habebit Cicero. Quem plerumque a Graecorum ore hîc pependisse novimus, eorumque in hoc genere inventa exposuisse potius, quam amplificâsse. Verumtamen longe majora illius ac perenniora in eam, de quâ dicimus, doctrinam merita fuisse constat atque officia, quam multorum aliorum, qui, absurdissimis quidem quibusque pariendis ac venditandis placitorum commentis, novarum se Scholarum auctores jactaverant, sed cum primum novitatis iis gratia qualiscunque decessisset, deflorescentia ea viderunt atque antiquata. Tullius enim omnium primus fuit, qui Latinâ linguâ subtiliter atque accurate argumenta tractare philosopha cives doceret et exteros. Primus idem, qui in pleniorem Graecae Philosophiae notitiam Romanos adduceret, hujusque apud eos et incenderet studium et facilitaret. Haud paucis enim commentatis atque editis scriptis, nobilissima quaeque Graecorum

placita eâ declaravit perspicuitate atque elegantiâ, quam nulla superare posset mortalium linguae facundia. Quid, quod vel maxime jejuna, si quae subinde persequebatur, argumenta iis eum conspergentem videmus Atticae facetiae atque urbanitatis salibus, quibus singularis aliquis his ipsis lepos conciliaretur ac venustas. Nec paucis, quâ Philosophiam ornavit, scriptis elegantem eam *dialogorum*, ex Socratis potissimum Platonisque Scholis repetitam, indidit formam, quâ fieret, ut ad Philosophorum, quos colloquentes inducit, consessus admissi nobis videremur disputationesque. Atque eo majoris haec aestimanda sunt ejus merita, quo plures scitu dignissimas, quae ad Graecorum potissimum sapientiae historiam pertinebant, notitias, quoque uberiorem praeclare sapientibus a Viris dictorum copiam sua per scripta solus ab oblivione vindicavit, atque ad nostram adeo propagavit aetatem ac cognitionem. Quid multa? Nemo vixit unquam Romanus, cujus exemplum atque auctoritas ad Europae cultioris studia Philosophiae concilianda ac devincienda majorem vim habuerit ac magis diuturnam efficientiam, quam Cicero ille, cujus libros ipsae conscripsisse videntur Musae vel Gratiae (1).

Sed ad illud jam gressum faciamus argumentum, quod non explicare quidem, sed breviter tamen cum lectoribus inquirere nos velle, supra professi sumus. Sicuti igitur universâ de Phi-

---

(1) Ne quis, Tullii amore abreptum, nimis ample de ejus meritis me dixisse putet, Krugii hoc audiat, Viri litteratissimi, in quem nulla ejusmodi conveniebat suspicio, testimonium disertissimum: »*Er hat zur Verbrei-* »*tung und Erhaltung des philosophischen Studiums in Europa mehr als irgend* »*ein Römer beigetragen. Denn wer mag berechnen, wie viel europäische Köpfe* »*durch seine so viel gelesenen Schriften zuerst zum Philosophiren angeregt wor-* »*den.*" Vid. illius *algem. Handwörterbuch der philos. Wissenschaften*, voce Cicero. — Nobilissimos, qui de Tullii *Philosophiâ* egerunt, scriptores idem laudavit Krugius, in libro: *Geschichte der Philosophie alter Zeit, vornehml. unter Griechen u. Römern*; ed. 2 (Lips. 1827) p. 383 sq.

losophiâ, sic quoque de omnium difficillimâ ejus parte, cum *Naturae Divinae* qualiscunque proposita est cognitio, quantum Veterum ignorantia permittebat, optime meritum esse Arpinatem, nemo facile negaverit. Multa enim, quae huc referebantur, Sapientum vel effata vel disputata, nisi eorum cognitionem magno huic deberemus Viro, aut omnino ignoraremus, aut certe minus plene perspecta habuissemus. Ubi tamen, ne illius abutamur auctoritate, minus certa atque explorata esse tenendum est, quae dicentes informat alios, quam quae ex suâ ipse tradit personâ. Sed Divinâ de Naturâ quid ipse senserit Tullius, anceps est ac multorum disputatione et dissensione nobilitata quaestio. Neque enim paucis, ubi hoc argumentum attingebat, vel epistolarum vel orationum imprimis locis, id potius spectâsse videtur, ut caussae, quam nunc forte agebat, serviret, quam ut aperte quid sentiret ipse profiteretur.

Sed nonne quaerendi finem faciunt tres illi, quos *de Naturâ Deorum* scripto mandavit, Libri pulcherrimi? Facerent sane; nisi incertos nos redderet ac suspensos operis ratio et informatio. Quam copiose enim ac quam luculenter et Epicuri et Stoicorum et Academicorum arduo hoc de argumento sententias a singularum deinceps, quas dixi, Scholarum discipulis exponendas curat; tam modeste ac tam caute, suâ nusquam fere interpositâ voce, lectoribus integram facit disputata judicandi facultatem.

Ipsa quidem operis clausula si quam forte quaestioni lucem afferat; est haec tenuis sane atque ambigua. »*Haec cum essent dicta*," sic ipse Cicero (1), »*ita discessimus, ut* Vellejo" (cui Epicuri sententiam exponendam dederat) »Cottae" (qui, multa sociis objiciens, Academicum egerat) »*disputatio verior, mihi* Balbi" (qui Stoicorum partes tuitus erat) »*ad veritatis similitudinem videretur esse propensior*." — En ipsius dictum Tullii, quo tertius isque ultimus concluditur operis Liber. Hîc igitur nonne admirabilem illam, quam Libro

(1) *De Nat. Deorum*, L. III. C. 40.

secundo consignaverat, Lucilii Balbi de Divinâ Providentiâ disputationem approbare censendus est? Vellem sane. Sed quid magis dubitanter enuntiari potuit? Neque enim *veriorem*, ne *veri* quidem *similiorem* Stoici sibi visam esse orationem affirmat, sed *ad veritatis similitudinem propensiorem*. Quod non ornatius et auctius dicitur pro simplici verisimilitudine. Quae Wyttenbachii erat interpretatio (1). Omnium cautissimo enim quo uti posset enuntiato, probabilitatis, quâ sibi Balbi haec Cottae illi praeferenda videretur disputatio, tenuissimum aliquem gradum esse ac veluti mensuram significat. — Nec multo certiores Marci Tullii de mente Quinti Fratris dicto reddimur, quod plures cum h. l. contulerunt interpretes. Ubi, illum compellans atque ad locum laudatum respiciens, *satis defensam a* Lucilio (Balbo) *religionem* affirmat; *cujus disputatio Tibi ipsi*," ait, »*ut in extremo tertio scribis, ad veritatem* »*est visa propensior* (2)." Hîc quidem non sine aliquo pristinae vocis quodammodo acuendae consilio factum putaverim, ut, quod antea ad *veritatis similitudinem propensius* nuncupatum erat, id jam, paullo majorem probabilitatis gradum indicante enuntiato, *ad veritatem propensius* vocaretur. Verum hinc certe apparet ultima illa Libri tertii verba, quodammodo mutata illa (3), tanquam serio enuntiata suamque de religione sententiam aperientia, Quinto Fratri repetenda tribuisse Marcum Ciceronem.

Sed quid est, quod his in dictis explicandis ac conferendis operam ponamus? Ecce enim! ejusdem *de Naturâ Deorum* operis primo ex Libro alius nobis locus objicitur, qui non Stoicis, quod illâ ex clausulâ suspicabamur, sed Academicis potius hîc favisse Philosophum, demonstrare videatur. Locum significo, ubi non sibi, sed Cottae *Academico adjutorem*

(1) In annotatione, Creuzeri horum Librorum editioni subjectâ.

(2) *De Divinat.* L. I. Cap. 5.

(3) *Haec ipsa* repetiisse Quintum Fratrem, non accuratissime denuo dicit Wyttenbachius.

venisse Ciceronem, Vellejus affirmat Epicuraeus. »*Ambo enim*" (Cotta ac Tulli!) »*inquit arridens, ab eodem* Philone" (Doctore Academico) »*nihil scire didicistis* (1)." Quo quidem se venisse consilio negantem audimus libri Auctorem, sed tam leniter negantem, ut, nisi meus me fallat sensus, *nihil scientibus*, id est omnium rerum ignorantiam professis, Philonis se discipulis annumerari, nec aegre ferre videatur nec valde mirari (2).

Cum igitur eo potissimum in opere, cujus argumentum apertam ab Auctore sententiae declarationem requirere videretur, tam dubitanter eum ac tam ambigue loquentem audiamus, fieri possit ut quis, quasi Philonis etiam ipse ex disciplinâ profectus sit, quod ad quaestionem solvendam pertineat, *nihil se scire* profiteatur. Age tamen, utrum forte *aliquid*, quod, nisi certum, at probabile sit, hîc *scire* possimus, paucis inquiramus.

Ac primum quidem non audiendos esse, qui Epicuraeum eum fecerunt, J. M. Gesnerum aliosque, plerique, ni fallor, mihi assentient lectores. Quanto sane spatio a coelis remotam esse novimus terram, tanto distabat a Gargettii istius, quem asseclae vocabant, Senis levitate ac placitis voluptariis Tullii gravitas sensuumque altitudo. Neque enim ullam facile *vel* refellendi *vel* in risum vertendi ejus opiniones opportunitatem omittit. A quo posteriore consilio num longe absit ipsa illa, quam Vellejo tribuit, oratio videant acutiores. Eam enim ad alienandos ab Epicuro, quam ad conciliandos ejus placitis lectores mihi certe accommodatiorem videri non diffiteor.

Sed quid obstat quominus, Petavium, Moshemium, Ernestium aliosque secuti, Academicum eum credamus, qui revera, quod affirmantem audivimus Vellejum, Cottae

---

(1) *De* N. D. Lib. I. Cap. 7.

(2) De Philone, quo dilectissimo Praeceptore usus est Cicero, imprimis consulendus est J. A. C. van Heusde, in optimae frugis dissertatione: M. T. C. *φιλοπλάτων. Disquis. de Philos. Ciceron. fonte praecipuo* (Traj. ad Rh. 1836), p. 73 sqq.

venerit adjutor? Haberet sane quo se nobis haec commendaret sententia, si nulla alia consulere possemus doctrinae Tullianae monumenta, quam tres, quos attigimus, *de Naturâ Deorum* Libros. Verum alibi saepe ita dicit ut, academicae illius plane oblitus *inscientiae*, fidem, quâ Divinam agnosceret Naturam, sincere profiteri videatur. Praecipua illius, quae hîc in censum veniant, dicta et alii recensuerunt et diligentissime B. P. van Wesele Scholte, cujus de hoc argumento dissertatio (1) prae caeteris consulenda est. Mihi vero, brevitatis hoc potissimum in Monito valde studioso, unum tantum alterumque locum memorare suffecerit. Nullam sane nec enuntiationis ambiguitatem habet, nec mentis dubitationem dictum prodit pulcherrimum, quod in extremo legimus *de Divinatione* Libro secundo. Ubi: »*Esse praestantem aliquam*," inquit, »*aeternamque* »*Naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi,* »*pulchritudo mundi ordoque rerum coelestium cogit confiteri* (2)." Ad eandem autem, quam dixi, fidem confirmandam quantum mortalium in agnoscendo Dei Numine consensui tribuendum duxerit, luculenter nos *Tusculanae* docent *Disputationes*, ubi: »*Firmissimum hoc afferri videtur*," ait Auctor, »*cur Deos esse* »*credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit* »*immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. — Om-* »*nes esse Vim et Naturam Divinam arbitrantur. — Omni autem*

(1) Vid. ejus *diss.* Praes. Wyttenbachio defensa, de *Philos. Ciceronianae loco, qui est de Naturâ Divinâ;* Amst. 1783. Hanc, quae rarior nunc est atque ab elegantiâ et copiâ commendanda, dissertationem singulatim memorandam existimavi. — Alios vero, quos paucos mox ex multis nominabo, scriptores accurate Creuzerus laudavit, in eruditissimâ ad Cic. *de Nat. Deorum* L. III. C. 40 annotatione. Quocirca mihi, ad finem opusculi properanti nec semper annotatorum multitudine scripta onerare volenti, in vagâ minusque plenâ eorum laudatione acquiescere permittes.

(2) Hoc cum loco omnino conferenda sunt quae de mundi ordine ac pulchritudine, ad Divinam agnoscendam Naturam nos impellente, dicta exstant in *orat. pro Haruspicum responsis*, Cap. 9 (si germana haec est oratio) et *pro Milone*, Cap. 30.

»*in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est* (1).« Quae ne quis Epicuri potissimum ex disciplinâ hausta putet, plane similia et alios et Socratem, quem in paucis magni faciebat Tullius, docuisse perpendat. — Nec vero qualem et corporum tenuitate quanto superiorem sibi Deum informaverit, dubitare nos sinit, ubi, memorabili imprimis ejusdem libri loco: »*Deus ipse*," docet, »*qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi non potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali* (2), *omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno* (3)." Tandem, quam benignâ ac quam providâ curâ nos et nascentes et viventes et hinc migrantes idem prosequatur Pater supremus, pulcherrimo hoc exponit effato: »*Non temere nec fortuito*," inquit »*sati et creati sumus. Sed profecto fuit quaedam Vis, quae generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod, quum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis et perfugium putemus* (4)." — Sic igitur in fide, Dei benignitati habitâ ac sapientiae, dulcissimae immortalitatis spei atque exspectationi praesidium quaerit et nutrimentum.

Nemo profecto, qui haec aliaque multa pulcre ac pie a Ci-

---

(1) I. 13. 30. Quo tamen ex loco, brevitatis caussa, intermedia nonnulla omisi.

(2) Id est, recte docente, in *Clave Cicer.*, Ernestio, libera a partium mistione et conjunctione. *Mortalis* autem dicitur haec *concretio*, vel quoniam cum moriendi necessitate conjuncta, vel quoniam mortalibus nobis propria est.

(3) *Tuscc. Disputt.* I. 27. 66. Quem locum *pulcherrimum ac plane Platonicum* vere dicit in annot. Kühnerus. A quo sic editas esse (tertiâ vice *Jenae*, 1846) *Tuscc.* has *Dispp.* s. *Quaestiones* affirmo, ut nullam meliorem noverim neque utiliorem veteris cujusquam Auctoris editionem. — Si quis forte Theologiae cultor non omnia legere possit Ciceroniana, his certe ex *Disputt.* Veterum Philosophiae cum praestantiam tum defectus cognoscat velim. — Quam multa hîc praeclare dicta exstant, ad animum salutari pabulo nutriendum accommodata!

(4) *Tuscc. Dispp.* I. 49.

cerone disputata perpenderit, ejusmodi eum Philonis discipulum fuisse contendet, qui Academicorum dubitationibus captionibusque subtilem Stoicorum pro Dei cultu tuendo argumentationem plane confutatam putaret atque enervatam. Quis enim non videt, quae pauca ex multis attulimus ejus dicta, quam magnam haec habeant cum memoratâ Balbi oratione sententiarum convenientiam? Nec tamen, secundum Middletonum aliosque, in rerum divinarum Philosophiâ Stoicos potissimum eum secutum esse dixerim. Nusquam enim *Pantheismum* illum *psychologicum*, qui praestabilem Zenonis misere inquinabat doctrinam, Tullii in scriptis regnantem videmus. Ac longissime sine dubio Zenonis a discipulis hic recedebat, ubi cum pio Dei cultu nulla non portenta, ostenta, auguria, prodigia aliasque multas conjungebant superstitiones. Quod luculenter Libri demonstrant *de Divinatione*. Quorum *priore* cum copiose Stoae commenta illa tuitus esset Quintus Frater, *altero* strenue eum refutat Marcus errorisque convincere conatur.

Quid multa? Sicuti aliis haud paucis in doctrinae capitibus, ita in rerum potissimum divinarum disquisitione, Socraticus plane, vel Platonicus potius dicendus est Cicero. Unum enim Platonem caeteris omnibus praeferebat Philosophis. Hunc unum admirabatur atque in oculis ferebat, et libentius studiosiusque, quam quemquam alium, sapientiae ducem sequebatur. Hujus potissimum ex fonte pulcherrima quaeque, quae admirati sumus, placita hauserat ac sententias. Quod, ut quisque accuratius Platonicis cum dialogis Tullii scripta contulerit, ita luculentius confirmatum videbit. Cum Platonis autem de Deo decretis cum nec pauca nec levia prudentissimi quique communia haberent Stoici, ea quoque eodem complexus assensu Cicero, ad *illa* tuenda placita ac confirmanda, prudenter *horum* argumentis utebatur ac subtilitate.

Sic fere Tullianae de Deo doctrinae cum fontes, tum ra-

tionem ac praestantiam describendam putârunt, in minoribus tantum non plane consentientes, docti illius Interpretes, Cudworthus, Scholtenius, G. S. Frankius, Creuzerus aliique. Quorum uberioribus cum animadversionibus breviora haec mea monita contulisse lectorem, ut spero, non poenitebit. Sed, haec si recte vel ab illis vel a nobis disputata sunt, jure quodam tuo ex me quaeres, anceps illa dubitatio, quâ in opere *de Naturâ Deorum* huc et illuc nutantem vidimus Philosophum, quâ tandem ratione et cum dictis concilianda sit et explicanda. Quod nescio utrum paullo clarius, quam adhuc factum sit, exponi possit ac debeat. Sic igitur, ut paucis rem complectar, statuendum puto; utrum recte, viderint alii. Tullii de rebus divinis placitorum *argumentum* ac *materia* quodammodo quidem Stoica, sed majore etiam jure Socratica dici poterat ac Platonica; verum *forma* ac *ratio* plane Academica erat. Neque enim Deum et esse et mundo singulisque hominibus Curatorem benignissimum ac Moderatorem praeësse, certâ eâ atque indubiâ sibi fide persuaserat Cicero, quâ nixus nostrum optimus quisque in summi illius Domini ejusdemque Patris curâ ac benevolentiâ spem reponit ac fiduciam immotam. Non sane tam felici huic esse contingebat Philonis aliorumque Academicorum discipulo. Ab his enim, gravissimis quibusque de rebus in utramque partem disputare solitis, ita vel institutus erat vel jactatus, ut subinde firmâ mente consistere non posset, ac miserâ illâ animi nutantis conditione uteretur, quâ concussum pulcherrime cecinisse novimus Claudianum (1):

» *Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,*
» *Curarent Superi terras, an nullus inesset*
» *Rector, et incerto fluerent mortalia casu.*"

Similem enim non raro dubitationem suspensum tenuisse atque incertum Ciceronis animum, et alia nos docent supra

(1) *In Rufinum,* Libri I initio.

allata ejus dicta, et quae ineunte monet *de Naturâ Deorum* Libro primo. Ubi, postquam *perobscuram* vocaverat eam, quam tractaturus erat, *quaestionem*, ad hanc ipsam respiciens, *prudenter Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse* profitetur. Ab hac enim, quam honorifice vocat, prudentiâ non alienum eum fuisse ipsum satis apparet. Plerumque tamen ejus in pectore, ad sensuum pietatem ac sublimitatem conformato illo, melior ea praevalebat mens et ratio, quae Academiae feliciter se expediret laqueis argutiisque. Ac nunc igitur, quantopere ad veritatem propensa esset ac quam magnam a probabilitate commendationem haberet Socratica de rebus divinis doctrina, tam clare perspiciebat, ut, *a pulchritudine mundi rerumque coelestium ordine* admonitus, *esse praestantem aliquam aeternamque Naturam* palam profiteretur, *suspiciendam eam hominumque generi admirandam* (1).

De *praestanti* autem hâc *aeternâque*, quam pio cultu venerabatur, *Naturâ*, Socratis exemplo, ita statuisse videtur, ut, quamvis multos esse Deos inferiores putaret, *unum* tamen agnosceret, omnium rerum naturarumque principem, *Deum supremum*. Ab hoc ipso enim *Deo supremo praeclarâ quâdam conditione generatum esse hominem* diserte affirmat ac profitetur (2). Neque enim dubiam reddere nec incertam hanc ejus

---

(1) Iterum vid. supra laudatus locus, *de Divin.* II. 72.

(2) *De Legg.* Lib. I. Cap. 7.

Utrum *unum* esse Deum crediderit Cicero, nec ne, in utramque partem disputârunt Viri docti; *affirmantibus* aliis, veluti Cudworthо, in *System. Intellect.* p. 669; Zimmermanno, in diss. *de Theologiâ Ciceronianâ, Opuscc.* T. II. p. 1112; van Wesele Scholten, l. l. p. 41; — *negantibus* aliis, in quibus Moshemius est, ad Cudworthi l. l. — Mihi hîc quoque Socratis auctoritatem secutus esse videtur, cum *Polytheismo* ita *Monotheismum* conjungentis, ut plures quidem Deos esse existimaret, sed qui *uni* alicui subjecti essent atque obedirent *Deo supremo.* Quae sententia et in Platonis locis nonnullis praesidium habet, et Xenophontis in *Memorabb.* Lib. IV. Cap. 3. § 13; ubi caeteris a Diis, beneficia nobis impertientibus, omnium supremum illum, qui universum ordinet contineatque, Deum diserte distinguit Socrates. Confer, qui nobis assentitur, Krugium, *Gesch. der Philos. alter Zeit,* p. 165.

fidem censenda est, quam cum optimis quibusque comn habebat aequalibus, *Deos* saepe, quasi plures essent, nun di consuetudo. Quamquam non magis hîc, quam in c doctrinae capitibus, semper eum sibi constitisse, veher dolendum est. Saniores enim Anaxagorae, Socratis tonisque de Deo doctrinas si continenter ac constanter rabili illâ tuitus esset eloquentiâ; quam immortaliter de ci quorum aliquando ab interitu servavit Rempublicam, anim râque felicitate Cicero ille meriturus fuisset, quo nullu quam majorem tulit nec sanctiorem hominem antiqua Ro rum civitas!

QUAESTIONES (1).

A.

QUAESTIONES CRITICAE ET EXEGETICAE.

I.

Quam, praeëuntibus Winero, Fritzschio aliisque Viris praestantissimis, nunc magis, quam olim, sequimur, ad *accuratas* Grammatices leges exacta ac *severa*, Sacras Litteras interpretandi ratio, est haec ita magni facienda atque excolenda, ut ad illarum cum honorem tuendum tum sanam doctrinam cognoscendam et vindicandam prudenter adhibeatur.

II.

Cavendum est pulcherrima haec ac laudatissima ratio ne in ejusmodi abeat degeneretque *fastum* et *rigorem grammaticum*, qui sapientissimos quosque ac sanctissimos Viros inepta dicere cogat atque insulsa. Quod sanae Hermeneuticae praeceptum si multi negligere pergant aequales, timendum est ne, sicuti *laxa* illa ac *vaga*, quae ineunte hoc seculo viguit, interpretandi via per suam pessumdata est licentiam omniaque miscentem temeritatem, ita nunc regnantem *Accurationem* grammaticam inquinet

(1) Spero fore ut proximo Chartarum Libro paullo ampliorem, quam nunc licebat, hujusmodi *Quaestionibus* locum dare possim.

ac posteritatis in contemtum adducat Codicem Sacrum non liberaliter interpretandi, sed singulas potius ejus litteras vocesque premendi ac torquendi inepta consuetudo.

III.

Qui plerisque in rebus accuratae interpretationis severitatem sectantur atque ab hoc potissimum studio laudari volunt; hi non raro ita sibi repugnant ipsi, ut, nullâ urgente necessitate, *orationis inconsequentiam*, sive ἀνακολουθίαν, sacris objiciant Scriptoribus. Quod ne miremur, facticiis iis aut certe non sine exceptione veris, quas recentes condiderunt Grammatici, regulis legibusque non semper satis respondere S. C. orationem, nobis perpendendum est. Illae igitur quo magis inviolatae maneant atque intactae regulae legesque, vitiosam hanc esse aut certe non recte decurrere S. S. orationem contendunt.

IV.

Scitum ac verum De-Wettii, quod Schenkelius (1) reposuit, monitum est, ubi: »*Per nullam*," inquit, »*opinionum Judaicarum nec dictorum Rabbinicorum comparationem in divinam vos insinuabitis religionis Christianae indolem ac rationem. Neque enim quisquam adhuc ex morte vitam intellexit nec cognovit.*"

V.

Eorum sententia, qui, *Ep. ad Rom.* IX. 5b, *doxologiam* invenisse sibi videntur, si vel per nullas alias confutaretur rationes hermeneuticas, a *Psychologiâ* certe condemnatur. Neque enim tam inepte scripsit atque absurde Paullus, ut, eodem enuntiato atque eodem veluti pectoris orisque halitu, et acerbissimam, quâ comprimeretur, aegritudinem ac moerorem lectoribus significaret et, adjectâ summi gaudii nuntiâ ac teste

---

(1) In libello supra laudato: W. M. L. de Wette *u. die Bedeutung seiner Theol. für unsere Zeit;* p. 10.

voce laetissimâ, illi ipsi veluti insultaret acerrimo suo dolori. Cf. *sect.* 1—3.

VI.

Eâdem in Epistolâ, XII. 11[c], unice vera vulgata est lectio: *Τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες.* Quod enim voci *Κυρίῳ* multi testes substituerunt *καιρῷ;* fieri potuit ut ex male intellecto lectio nasceretur scripturae compendio. Verum, undecunque illius repetenda sit origo, sententiam certe fundit, et per se Paullo indignam, et ab hâc potissimum contextâ oratione alienam. Neque enim *tempori* callide *servient*, qui, proxime praegresso ex monito, sunt: *τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί· τῷ πνεύματι ζέοντες.* Nec est quod nimis vagum hoc loco aut indefinitum habeamus dictum: *τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες;* dummodo per proxime praecedentia generale hoc definiri statuamus praeceptum. Id igitur nos jubet Apostolus, ut, *studio impigri*, *ferventes animo, Dominum colamus.*

B.

QUAESTIONES MISCELLAE ET HISTORICAE.

VII.

Catholicismo, qui dicitur, *Romano* vincendo plane impar est *Rationalismus,* nec minus impar *Mysticismus.* Solus illi superior est eumque aliquando, Christo Rege, superabit verus ille *Protestantismus*, qui omnium hominum placitis atque edictis Unius Sacri Codicis testimonium anteponit et auctoritatem. Quam igitur summam ejus auctoritatem qui labefactat, ipsum enervat Protestantismum. Qui vero, in Diariis, Ephemeridibus aliisque, qui omnium manibus teruntur, libellis, vel historiae sacrae dubiam reddere student fidem, vel opinatos Scriptorum Sacrorum errores, dissensiones, pugnas maligne jactant ac veluti per triumphum agunt; hi igitur sanctae Protestantium caussae longe gravius inferre se sciant detrimentum, quam ulla un-

quam facere potuerint vel Bellarmini vel Bossueti vel Möhleri vel aliorum infesta nobis opera controversa.

VIII.

Tam superstitiose, nostro imprimis hocce tempore, *Mariam* praedicant *Ultramontani*, quasi *Matrem* illam habuisse CHRISTO magis honorificum sit, quam Huncce Filium *Mariae*. Sed quo vehementius *Virginis*, quam absurde vocant, *Deiparae* cultum urget ac commendat vitio creatus eorum *Catholicismus*, et quo studiosius Christo Domino humanam ejus colendam substituit Matrem, eo propius ad *Ethnicismum* accedit, atque eo certiorem sibi parat interitum. — Si qui vero sunt *Protestantes*, qui, quo dulciore pabulo *aestheticum* permulceat alatque *sensum*, eo magis vel laudandum putent vel certe excusandum Mariae hunc cultum; videant illi, nonne cultiore etiam cum *Ethnicismo* eadem vel laus communicanda sit vel excusatio. Neque enim ullam unquam *Mariae* tam pulcram exstitisse novimus imaginem, quam Phidiae fuerit *Minerva.*

IX.

Nostrae hujus Patriae recentissimas res eique a ROMÂ immissas calamitates quam accurate cognitas haberent et quam vere judicarent *Ecclesiae Scoticae generalis Pastores ac Seniores*, luculenter Viri demonstrârunt venerandi, et alia nuper et haec ad *Nederlandiae Reformatorum* perscribentes *Synodum generalem:* »Pontificem Romanum," inquiunt; »*modo eo vecordiae progressum esse audivimus, ut non timuerit intra nobiles Provincias Vestras castra metari, easque, quasi Babylonis suburbia, Satrapis suis regendas dispertiri.*"

ADDENDA ET EMENDANDA.

PAG. 15 ET 16, ANNOT. 1.

Pauca h. l. Praesulum Francogallorum de litibus notavi, vel secum invicem vel cum Veuillotio aliisque acriter concertantium. Ad haec igitur supplenda pertinent quae Brunsii in *Diario Berolinensi* (1) ad hunc ipsum annum, N°. 19 et 32, tradita exstant. Priore quidem loco et alia produntur et binorum *Mandata* Praesulum, quibus a legendo Veuillotii Diario prohibentur Catholici. Altero vero loco Pariensium Archiepiscopi *Mandatum* exstat; quem quae adversus *Universi* Ephemerida decreverat antiquare Papae Romani coëgerat epistola encyclica, Romae data d. 21 Mart. 1853.

PAG. 105.

De Schleiermacheri *cum* J. Chr. Gaszio *epistolarum commercio* cum agebam, nullam adhuc publice proditam me cognovisse monueram hujusce libri censuram. Postea vero accurate de eo referentem legi T. Colanium (2). Qui quidem quae de Gaszio dicit, cujus vix ultra Silesiae fines cognitum

(1) *Berl. allg. Kirchenzeitung.*

(2) In Ephem., cujus praeëst editioni: *Revue de Théologie*, VI. 3, ad m. Mart. 1853, p. 179—189.

fuerit nomen; haec ex iis, quae breviter nos (p. 107. 108) monuimus, facile corrigentur. Caeterum de hujus indole, ex epistolis elucente, plura dicit nostris cum animadversionibus eodem ex fonte haustis, plane concinentia. Atque harum epistolarum de argumento ac pretio universe assentientem me habere Virum acutissimum laetatus sum. Quamquam paullo severius, quam ego faciendum putaveram, de Schleiermachero judicantem eum audimus. Cujus familiariter dictis eum subinde abusum esse, erunt fortasse nonnulli qui conquerantur. Quicquid sit, ut meis cum animadversionibus Colanii hanc conferant relationem rogatos volo lectores.

Nec alteram comparâsse eos poenitebit censuram, quae, quum etiam ipsa serius mihi innotuerit, hîc breviter memoranda est. Monita significo, quae Hagenbachii in Diario, Reformatorum Ecclesiae Helveticae destinato (1), prodita sunt, ac fortasse ipsum illum auctorem habent Virum clarissimum. *Praefatione* ubi pretium laudat historicum, iisdem fere, quibus ego, gravissimus hic Censor verbis utitur ac locutionibus. Atque universe permulta dicit, quae cum per se memorabilia sint, tum ad lectores libro conciliandos valde accommodata.

PAG. 134—136.

Ubi de Pauli, Theologi Heidelbergensis, curriculo atque obitu pauca dixi, adhuc plane ignotum mihi erat opus, quo ejus vitam narrâsse postea demum comperi Reichlinium Meldeggium, Philosophiae in Academiâ Heidelbergensi Professorem eundemque memorati Theologi, quocum de universâ disciplinae nostrae ratione plane consentiebat, Amicum familiarem. Quod sane opus, si tot, quot profitetur Editor, epistolas continet, ad Paulum a clarissimis quibusque datas Germaniae Viris, non ad illum tantum, sed ad hos quoque plenius cog-

(1) *Kirchenblatt für die Reform. Schweiz*, 1853, N°. 4—8.

noscendos utilissimum erit. Verum librum legere nondum mihi contigit (1).

---

(1) Titulus est: H. E. G. Paulus *u. seine Zeit, nach dessen liter. Nachlasse, bisher ungedrucktem Briefwechsel u. mündl. Mittheilungen dargestellt von* K. A. *Freiherrn* von Reichlin-Meldegg *u. s. w. Erster Band;* Stuttg. 1853. Alter operis Tomus propediem editum iri dicitur.

PRIMI CHARTARUM THEOLOGICARUM LIBRI

CONSPECTUS.

CHARTAE THEOLOGICAE.

CHARTAE THEOLOGICAE,

IBRORUM CENSURAS ET DOCTRINAE SACRAE MISCELLA CONTINENTES.

AUDITORUM IMPRIMIS, QUI SIBI FUERUNT VEL SUNT,

IN USUS EDIDIT

HERMANNUS BOUMAN,

THEOLOGIAE DOCTOR

ET IN ACADEMIÂ RHENO-TRAJECTINÂ PROFESSOR.

LIBER SECUNDUS.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JR.

1857.

Ex officina Typographica GIEBEN & DUMONT.

NARRATIO.

NARRATIO

DE

HERMANNO JOHANNE ROYAARDS,

CHRISTI SOCIETATIS HISTORICO.

Si quis forte praeclaris Viris parentandi officium iis so-m incumbere putet, quorum sit operâ ab oblivione illorum ndicanda memoria; mihi nunc certe de Royaardsio cere liceat, atque in iis acquiescere, quae, recenti ejus ›itu, pro concione commoto dixi animo ac conquestus ım (1). Nec vero, si unum hoc aut praecipuum hujus-odi scriptionibus propositum esset consilium, ut bene me-torum, quos lugemus, hominum nomini suus constaret ɔnos, cujusquam vox aut praedicatio hic magnopere requiri deretur. Quot enim et quam praestantia nobis reliquit a edita doctrinae monumenta, quae, tametsi de Auctore leant omnes, ad ejus nomen posteritatis admirationi com-endandum vel sola sufficerent! Nec sane ne a posteris

(1) In or. funebri, quae, Collegae imagine ornata, inscripta est: *ɜerrede ter aandenking van* H. J. R. *Met een voorberigt en eenige aan-ːkeningen; Traj. ad Rh.* 1854. — In subjectâ annotatione ea solum ımmemorata sunt Royaardsii scripta, quae indoctorum etiam ho-inum lectioni ac studiis commendanda videbantur.

praeclari Theologi *vita* ignoretur ac *fata* nobis verendum est. Quae ignoratio ne ex aequalium culpâ exsisteret ac negligentiâ, laudabili admodum instituto, suâ quisque narratione proditâ, curârunt Kistius (1), Scholtenius (2), Oosterzéus (3). Quorum *ille* ab ephebis intimâ Royaardsio junctus fuerat familiaritate; *hi* ejusmodi ejus Discipuli, quibus, in permagno Auditorum numero, praestantiores habuerit nullos. Nec minus diserte illius decessum et Vinkius (4) luxit et Mulderus (5) et De-Wallius (6) et Lokius (7) et, quem Theologorum nostratium Nestorem non ultimum dicere oportuerat, Broesius (8). Ne alios memorem, qui datâ ipsum celebrandi opportunitate pulcre sunt usi, Viros laudatissimos (9).

---

(1) N. C. Kist, *ter nagedachtenis van* H. J. R.; in het *Nieuw Archief voor Kerk. Geschiedenis, inz. van Nederland,* T. II. p. 401—474. — Jam antea breviorem defuncto de Amico relationem idem ediderat Vir cl., primum in *Ephem. eccles.*, tum seorsum, *Sylvaeduc.* 1854.

(2) J. H. Scholten, *levensberigt van* H. J. R.; in de *Handd. van de Maatsch. der Nederl. Letterk. te Leiden;* ad a. 1854, p. 50—70 *Vitarum.* — Scriptorum Royaardsii notationem, utili instituto, suae uterque narrationi quum Kistius subjecit, tum Scholtenius.

(3) J. J. van Oosterzee, H. J. R. *Necrologie;* in de *Jaarboeken der wetenschapp. Theologie,* Tom. XII. P. 1. p. 173—186.

(4) H. E. Vinke, *toespraak bij het graf van* H. J. R.; Traj. ad Rh. 1854.

(5) G. J. Mulder, *Orationum,* quas a. 1854, Magistratum academicum depositurus, habuit, p. 59 sqq.

(6) J. de Wal, *redev. voor de Maatsch. der Nederl. Lett. te Leiden; Handd.* 1854, p. 11; ubi cum Royaardsio apte comparatur, non diu postea defunctus, Den-Texius, J. U. Prof. Amstel.

(7) J. J. Loke, *aanspraak bij de Protest. Maatsch. ter bevordering van welstand,* 1854, p. 1 sqq.

(8) W. Broes, *Prof.* Kist *en wijlen Prof.* R., *met de lofrede des eersten;* in het (Amst.) *Maandschrift voor den beschaafden stand;* 1855, N°. 2, p. 106 sqq.

(9) Conf. etiam Censor, in Ephem. *Waarheid in Liefde;* 1854. 3. p. 604—606; — R. C. H. Römer, in Eph. *Godgeleerde Bijdragen,*

Quorum quidem quum nomina memorantem, tum vere dicta recordantem, non multum abest (fatebor enim) quin me illius poeniteat, quod nuper professus sum, consilii (1), paullo plenius, quam orationis sacrae limites permittebant, Collegae de rebus meritisque exponendi. Atqui hoc ipsum *Collegae* nomen est ac diuturna *collegii* necessitudo, quae vel parentandi officium mihi imponere videatur, vel animum certe quiescere non sinat, donec Viri meritissimi ejusdemque mihi carissimi Hominis manibus, pro meâ etiam virili parte, justa persolverim. Etenim quartus et trigesimus hic agitur annus, ex quo in eandem hanc, eodem fere tempore, delati sumus Rheno-Trajectinam Academiam, aetate quidem me minor ille, ingenii acumine corporisque robore major, sed sanctae ejusdem disciplinae Professores ambo nominati. Longum autem hoc, quod a medio anno 1823 nobis, eâdem in palaestrâ versantibus, temporis abiit intervallum non majore muneris ac permultorum de rebus academicis consiliorum communione conjunctos nos tenuit, quam amicitiae constantiâ atque integritate. Cujus certe amicitiae de ratione ac diuturnitate *um* aliquando, mihi superstitem factum, vere et amanter ud discipulos atque Ecclesiae socios testimonium esse ediirum sperabam ac confidebam. Ante Royaardsium enim ihi hinc abeundum fore, et plerique omnes, qui nostrum rumque cognitum habuerunt, augurabantur et mihi persuasimum erat. Verum aliter Deo O. M. visum est, supremo ae nostrum cujusque ac mortis Arbitro. Quo igitur inspectato in rerum exitu, si forte alterutra sit incurrenda

---

55. 1. p. 60—62. — Item, his jam scriptis, ad me perfertur *Vita* yaardsii, accurate atque eleganter narrata a Viro, de Ecclesiae triae historiâ optime merito, B. Glasio, in opere: *Godgeleerd Ne-land*, h. v. Hujus *Vitae* locos si quando laudabo, seorsum factae itionis rationem habiturus sum.

(1) Memor. orat. s. praefatione.

reprehensio, ineptus videri malo narrator, quam amicus obliviosus atque adversus optimum Collegam ingratus. Nec sane is erat Vir, quem extulimus, praestantissimus, de quo quamvis multa vere dicta sint, alia narrandi, vel ad cognitionem jucunda, vel ad imitationem utilia, facultas homini deesse possit ac copia, cui tot per annorum lustra tanta, quanta paucis, cum illo fuerunt communia. Accedit, quod apud exteros longe notior hic erat ac celebratior, quam plerisque nostratibus contingere solet Theologis. Iccirco curandum esse videbatur, ne sola fere vitae illius testis nostra exstaret lingua, atque ut eo etiam, qui omnium eruditorum communis est, sermone *Latino* qualecunque certe aliquod illius rerum ac laudum summarium consignaretur. Quo facilius et quo plenius, cujus nobiscum viventis merita suspexerunt Germani, Helvetii aliique illius defuncti cognoscere possent virtutes. Caeterum ita hujus commentarioli consulturus sum brevitati, ut quae Collegae fata ab aliis satis luculenter tradita videbo, ea vel plane praeteream vel brevissime solum attingam. Qualis fuerit ac quam praestabilis *Ecclesiae*, *Nederlandicae maxime*, *Historicus*, id ex nostrâ hâc narratione paullo clarius et alii intelligant velim Lectores, et Vos, qui horum studiorum Duce illo usi estis ac Moderatore, Commilitones!

Ut universae Royaardsii vitae laeta multa contigerunt ac prospera, sic tam faustâ natalium sorte usus est, ut, ab ineunte jam aetate, ad demerendam magnis aliquando officiis Christi Ecclesiam destinâsse eum videretur ac praeparâsse Deus O. M. Trajecti ad Rhenum enim, in cultissimo Patriae meditullio, doctrinarum studiis affluente illo, d. 3 m. Octobris a. MDCCXCIV natus, paratissimas quasque sponte sibi oblatas videbat utilia quaelibet et pulcra discendi opportu-

nitates. Sed si quidem, quod scite monuerunt veteres, *fortes creantur fortibus*, ac *maxima puerorum dos parentum virtus est*, hi potius, quam locus natalis aut alia fortunae bona, nobis memorandi sunt. Patrem igitur habuit Hermannum Royaards, Theologiae hâc in Academiâ multos per annos Professorem gravissimum; quo ipso, ante haec sena et quod excurrit lustra, per sesquiennium Collegâ uti mihi contigit. Cujus merita et alii de industriâ celebrârunt, nec ego datâ opportunitate, sicuti par erat, memorare neglexi (1). Huic igitur clari nominis Theologo conjux erat, quae filium ei peperit natu minimum Hermannum Johannem, Schoreria (2), ex nobilissimâ quidem ac patriciâ in Zelandis gente orta illa. Verum, quod passim narrantes audivimus aequales, magis, quam genus et proavi, lectissimam Matronam pulcherrimae quaeque, quae muliebre ingenium ornant, virtutes nobilitabant ac singularis in Deum Christumque pietas. Quorum igitur tam praestantium Parentum sapientiam atque erga liberos amorem nihil magis curae cordique habuisse, quam ut ad καλοκἀγαθίαν, Christiano homine dignam, mature filii pectus informaretur atque excoleretur, certissimis nobis constitit hominum ac rerum testimoniis. Atque amantissimae illae eorum curae ac monita noli quaerere, quam faustum habuerint ipsisque laetum exitum. Etenim, quum bonae mentis igniculos ostendebat teneri jam pueri animus, tum, quod Poëta dixit, *vim insitam promovere culturam*, luculenter hic apparuit. Verum, age, ad *Virum* eumque *Historicum* spectandum properantes, de ineunte ejus aetate brevissime defungamur. Postquam igitur puerilibus artium linguarumque recentiorum initiis imbutus erat, patriae

(1) Minus vulgo nota quaedam de eo narravi, *Hist. Acad. Gelricae*, Tom. II. p. 380. Plures, qui de eo dixerant, laudavi, *Memor.* Joann. Clarisse, p. 25, 26.

(2) Johanna Henrietta Schorer.

urbis, quod ab *Hieronymo* dicebatur, Gymnasio classicis linguis iisque, quae earum cum cognitione conjunctiores sunt, doctrinis instituendus traditur. Ubi quum optimos sibi datos videret ac doctos Praeceptores, ita sexennium fere eorum Scholis operam dedit, ut dignissimum iis sese discipulum praestaret. Quo ex Gymnasio, post decursum laudabiliter spatium, anno 1811 honorifice dimissus, Academiae Rheno-Trajectinae civibus, theologicis in studiis versaturus, adscribitur. Nam pusioni jam id in votis fuerat, ut Sacris aliquando religionis Antistiti sibi operari contingeret. Cujus vero desiderii pietati grave videbatur impedimentum objicere loquelae organorum asperitas quaedam ac durities, quae plura illi vocabula nec paucos litterarum sonos pronuntiatu difficiliores reddebat. Quod ipsum de rei exitu suspensum habuisse ac sollicitum Patrem, Virum cautissimum, narrantes olim audivi hujus amicos. Sed, quâ erat ab ephebis constantiâ filius, nitendo, linguam exercendo, os ad difficiliora pronuntianda cogendo atque assuefaciendo, monitrice usus atque exercitationis moderatrice optimâ Matre, tantam hanc paullatim superavit difficultatem. Adeo verum esse et nunc jam apparuit et reliquâ deinceps Amici vitâ, quod ille ait: *labor improbus omnia vincit.*

Sed eo redeat narratio. Christi Societatis igitur commodis quum vitam viresque consecrare decrevisset, *Theologiae caussâ* Academiae in alumnis nomen suum consignandum curavit, ejusque studiis naviter persequendis solidum fere tribuit septennium. Quorum quidem studiorum cursum retardavit aliquamdiu atque intercepit, quo tempore, Elbae ex insulâ redux, Europae Tyrannus huic quoque ipsi Patriae ferrum minitabatur ignemque, generose suscepta, perseveranter exanclata *militia voluntaria.* Verum et tunc quas forte horas non sibi unice militaria vindicabant officia, eas

Litteris tribuit recolendis; et quum primum Palladi plane redditus erat, amissi (sed quam honeste amissi!) temporis jacturam adstrictâ redemit industriâ viriumque contentione. Jam si primus ego de Collegâ scriberem, jure possem academicam ejus vitam in exemplum proponere, omnium imitatione dignissimum juvenum theologicorum. Non minus vere profecto, quam *de adolescentiâ* Ruhnkenii, *in exemplum propositâ adolescentibus Batavis bonarum Litterarum studiosis*, olim dixisse novimus Wyttenbachium (1). Verum, quando alii, Kistius imprimis, Scholtenius, Glasius, quot et qualia ornamenta illius habuerit juventus accurate retulerunt, malo in universâ rei notatione acquiescere, quam eorum dictis amplificandis disertus videri. Quum praesertim quorum maxime Praeceptorum exemplum atque institutio ad ejus animum *Historiae* singulatim amori ac studio conciliandum valuerit, commodiore aliquo loco simus expositurí.

Quam laudabiliter juvenile illud percurrerat spatium, tantum decoris attulit, quo ejus metam feliciter attigit, dies XII m. Martii a. MDCCCXVIII. Quo die, quam commentârat, pro Theologiae Doctoris gradu consequendo *disputationem* publice defendit *inauguralem de alterâ Pauli ad Corinthios epistolâ et observandâ in illâ Apostoli indole et oratione* (2). Ubi quid maxime spectaverit, luculenter exponit *Praefatio*. Heusdium enim audiverat Auctores Graecos more suo, id est simpliciter et eleganter, explicantem, ut in ipsam eorum aetatem veluti transferrentur Studiosi. Unde ad Theologiam profectus, eandem Sacri Codicis legendi viam sequi conatus erat. »*Juvabat*," inquit, »*in* Pauli *maxime*

(1) Ipsissima hujus verba hîc reposui, quibus habitae a se orationis argumentum indicat, *Vitae* Ruhnkenii praefatione incunte.

(2) Traj. ad Rh. 1818, 152 pp. f. 8 maj.

»*Epistolis tractandis, ex antiqui aevi moribus et conditione* »*eas interpretari; atque, uti in classicis agere instituеram scrip-* »*toribus, ipsius auctoris inde cognoscere ingenium, animum,* »*item orationis dotes et virtutes. Quod mihi studium dici non* »*potest quantam fere tribuerit et voluptatem et vero utilita-* »*tem.*" — Quod igitur agens, tandem etiam ad *alteram ad Corinthios Epistolam* legendam, meditandam, animo quantumpote imbibendam accesserat. Quâ in Epistolâ, inquit, »*sensus suos omnes et affectus et studia ita Paulus effudit, ut* »*in nullâ magis.*" Ex illâ igitur quum plenius etiam, quam aliunde, cognosci posse videretur Apostolus, de eâ ita disputare instituit, ut et de universâ Epistolâ ageret et de Auctoris singulatim, quam ea pingeret, indole ac de orationis, quâ ejus sensa enuntiaret, dotibus et praestantiâ.

Paullo copiosius haec ex *praefatione* vel narravi vel, ipsis Collegae verbis usus, reposui, quo magis appareret, quam mature *Platonicum* ei fuerit vel, si mavis, *Heusdianum* ingenium, quo ad *homines* maxime *hominum* in scriptis spectandos sponte ferretur. Habeat sane festinationis, quâ edenda esset, neque enim nego, nonnulla indicia juvenilis haecce commentatio. At ejusmodi tamen eam esse affirmo, quae, si id agere voluisset, in *historicâ* potissimum ac *psychologicâ*, quam vocant, Sacrarum Litterarum interpretatione operae pretium fuisse facturum Auctorem evincat ac demonstret.

Binis post mensibus, legitimâ probatus disquisitione, *sanctissimi Muneris Candidatis* laudabiliter adscribitur atque honorifice. Quorum tamen in numero non diu fuit ipsi, incertâ spe jactato, haerendum. *Meerkerkiae* enim, in Hollandiae Meridionalis *Alblassensi* tractu, haud ignobilis pagi, id temporis Toparcha Van-Nessius, quoties novus ibi requirebatur Sacrorum Antistes, de eo eligendo Heringam, Elisae filium, eumque solum consulere consueverat. Quod

nunc etiam, vacante denuo cathedrâ, pro more facere non dubitat. »*Quid vero quaeris?*" Patrono roganti sine haesitatione reponit Heringa, »*neque enim meliorem quemquam* »*invenies Candidatum nec potius commendandum, quam* »Royaardsii, *Collegae mei, Filium juvenem.*" Huic potissimum eum suffragari vehementer mirari Van-Nessius. Neque enim, quae binos inter, quos dixi, Theologiae Professores Rheno-Trajectinos non ita pridem intercessissent inimicitiae, poterat ignorare. Verumtamen, quo obsequio in ejusmodi rebus Heringae morem gerere solebat, quem commendaverat ille, mox nominandum curat (1). Quibus igitur nobilissimis usus suffragatoribus, d. 14 Febr. proximi anni 1819, muneri solenniter inauguratur (2), ac *Meerkerkensibus suis*, quos diu etiam postea amanter dicere consuevit (3), Pastor impertitur fidissimus. Summâ enim fide, diligentiâ, religione pii Antistitis officia eum obire conatum esse, certorum constat testium auctoritate (4). De quorum veracitate neminem dubitaturum confido, qui qualem et quam strenuum postea in nullâ non, quam susceperat, administrandâ provinciâ se gesserit Amicus, paullo accuratius cognoverit. Quid quod, quo melius *catechumenorum* sibi cederet institutio, eorum in usus suo Marte novum aliquem commentare eum non piguit libellum elementarium, quo *historiae biblicae* initia perspicuâ traderentur brevitate. Quem tamen libellum,

(1) Quod certissimâ fide narrare poteram, nunc quidem non reticendum duxi; quippe quod quum Theologo veterano honorificum esset, tum Juveni ad praeclara quaevis succrescenti.

(2) *Textûs* ei loco Christi dictum erat, *Matth.* IX. 37[b]: *Messis quidem multa est, sed operarii pauci.*

(3) V. ejus *or. inaug. Rheno-Trajectina*, a. 1823, prope finem.

(4) Hujus rei testis nobis locupletissimus est Scholtenius, qui a. 1838—1840 ejusdem Meerkerkiae Pastor fuit. Quem igitur omnino confer, p. 53.

quamvis meditate scriptum, publici juris faciendum non putavit *ipse;* quid alii de eo facerent aut licitum sibi putarent non multum curans.

Nec vero *Meerkerkiae* solum, quamvis dilecto, coetui sibi prospiciendum esse putavit Vir solertissimus, sed Ecclesiae patriae temporis sui studiorumque fructus modeste esse offerendos. Ne enim de unâ alterâque dicam, quas haec extulit illius statio, disputatiunculâ exegeticâ (1); non mediocrem florenti jam nunc ejus nomini laudis accessionem uberior peperit commentatio *de Daniëlis Libri ingenio ac pretio;* quam aureo suo praemio dignam esse censuerunt suisque in operibus honorifice edendam *Societatis Haganae pro defendendâ Christi religione Moderatores* (2). Esto enim, quod nuper Van-Gilsius monuit, Theologus Amstelodamensis (3), quas dubitationes illius Libri habet origo, eas Royaardsium non magis diluere potuisse, quam, qui postea scripserunt, Hävernickium et Hengstenbergium. At nullus harum rerum aequus arbiter et ne ipse quidem, cujus merita magni facio, Vir clarissimus, in iis, quae, ante haec septem lustra, a Juvene disputata legimus, ea requiret, quae hodiernae huic Criticae Sacrae sive luci seu qualicunque conditioni plane sint adaptata. Id unum, ne defuncti Collegae justo desimus honori, lectoribus in memoriam revocare juvat, eos, qui tunc vel optimum suffragii jus habere putabantur, Censores commentationem quum ab historiae sacrae exteraeque cognitione, tum a cri-

(1) Vid. scriptorum H. J. R. index, apud Kistium, l. l. p. 463.

(2) Libri haec inscriptio est vernacula: *Proeve over den geest en het belang van het Boek Daniël. Eene bijdrage tot handhaving van de eer des Bijbels; Hagae*, 1822. (In *novis* laud. Soc. *Opp.* ad a. 1821).

(3) Vid. *Bijb. Woordenb. voor het Christ gezin, uitgegeven door* Veth, Moll *en* Domela Nieuwenhuis (*Amst.* 1852 sqq.), v. Daniël.

à facultate, exquisitissimis quibusque laudibus ornandam istimâsse. Nec vero ita jam obsolevisse puto disputatiom, quin sanioris Critices legibus melius attemperata reriantur multa, quae ad Libri, de quo quaeritur, fidem toricam confirmandam affert, argumenta, quam pleraque, ibus, ad eam labefactandam ipsumque Prophetam *Daniëlem* thicam in personam convertendum, et alii et Lengerus (1) usi esse deprehenduntur.

Verum qualecunque de diatribe judicium hodierna ferat tica; eo minus illius hic mentio plane omittenda erat, o expeditiorem Auctori superiorem ad locum aditum ravit. Quod quomodo factum sit, paucis nobis narrandum . Quo tempore (annus erat 1822) omnium approbatione ebrari inceperat, quam diximus, *de Daniële* commenta-, binae fuerunt in Academiâ Rheno-Trajectinâ cathedrae eologicae, quae novum utraque sibi requirerent aut promo quoque tempore requisiturae essent Professorem. Alram adhuc tenebat Gabriël Van-Oordtius, Senex, lem *mitem* jure dicere poteras *sapientiâ Laelium.* Hic enim lae publicae negotia cum piâ ac doctâ quiete commutare idem cupierat. Ac frustra jam a consilio exsequendo m avocare studuerat Heringa aliique Amici. Huic igitur ccessor quaerendus videbatur, quem nullo cum Theologo ieno-Trajectino conjunctum teneret disciplinae necessitudo. lalem, postquam oblatum honorem deprecatus erat Vanengelius, Vir clarissimus, Curatores Boumannum innerunt, qui in antiquam Episcoporum sedem ejusque

(1) Vid. Cäsar von Lengerke, *das Buch Daniël verdeutscht u. gelegt; Regiom.* 1835. Quo de libro copiose retulit Hitzigius, Eph. *Studiën u. Kritiken*, 1837. 4. p. 923 sqq. Ubi laudat uberius um de eo a se dicta in *Annall. Heidelberg.*

moenia ne pedem quidem unquam intulerat. His vero missis, plura de alterâ sunt dicenda, quae mox vacatura esset, cathedrâ. Hanc Hermannus Royaardsius ornabat, mente strenuus adhuc, sed pedibus laborans idem, gravissimâ podagrâ captis. Verum, si vel animi vigorem corporis vires aequâssent, quomodo et a quo ei succedendum foret providendum fuerat. Instabat enim proximi anni 1823 vernum tempus, quo septuagesimum aetatis diem anniversarium celebraturus erat, adeoque ex Academiae institutis rude donandus senio non magis, quam meritis venerabilis Theologus (1). Sed si Van-Oordtio quis sufficiendus esset, diu dubitatum erat atque incerto exitu deliberatum; non item quis Royaardsio Patri. Huic enim omnium quum exspectatio, tum honorifica existimatio Successorem eundemque Collegam (neque enim cathedrae plane valedicturus erat), dudum *Filium* destinârat Hermannum Johannem. Quem in oculis ferre, cui uni suffragari Heusdium, cujus magna tunc apud Curatores erat auctoritas, noverant omnes. Huic ipsum etiam favere, qui post ejectos exteros Academiae Stator merito habebatur, Heringam, ex ejus mihi constitit, quas ab eo huc evocatus accipere consueveram, litteris familiaribus. Quamquam eum sponte jam academica studia commendabant, docta illa atque indefessa, quae, ne quid deësset, laudatissima terminârat *disputatio inauguralis*. Quibus omnibus commendationis veluti momentis cumulus jam accessit, de quâ diximus, *Danièli* tributa commentatio. Quâ strenue ac subtiliter Sacri Codicis honorem tuendi non studium magis probâsse videbatur, quam singularem facultatem. Quid mirum igitur, si hunc potissimum idoneum censuerunt Curatores dignumque, cujus institutione ac praeceptis Juvenes imbuerentur, Ecclesiae olim ministraturi?

---

(1) Septuagesimum aetatis annum complevit H. R. d. 7 m. Aprilis 1823.

Ne multa. Eodem fere tempore, quo septuagenariam Royaardsio Patri completam aetatem gratulabantur Amici, Regis ei decreto Successorem Filium esse datum, Parenti non imparem, laeti compererunt. Doluerunt quidem, ad quorum moderandum coetum ac docendum evocatus erat, *Scidamenses.* Nec tamen erat, quod gratum eum semelque oblatum Patris dilectissimi locum accipere neque igitur datam ipsis fidem exsolvere posse indignarentur. Caeterum unum hoc minus exoptatum laetâ in re Collegae accidit, quod, non *ordinarius* continuo dictus *Theologiae Professor*, ad docendam *extra ordinem* sacram disciplinam designatus esset. Quae vero postmodum depulsae sunt nubeculae. Sic enim regium interpretandum esse decretum apparuit, ut, quaecunque *ordinarii* Professoris iura erant et officia, ipsi ea tributa esse censerentur. Quo *Concionatoris* singulatim *academici* (sic enim vulgo vocant) provincia referabatur. Neque enim admodum sibi ingratum fore dissimulârat Vir apertus, si, superiorem evectus in cathedram, sacrâ ex cathedrâ Christi doctrinam interpretandi non jure quidem defraudaretur, at certo statoque officio, quod in praecipuis haberet vitae deliciis, solveretur.

Quibus igitur feliciter compositis, proximi m. Junii (1823) d. 20 solenniter inauguratum eum vidimus, ac pulcherrimâ habitâ, de quâ mox, oratione munus auspicantem audivimus. Quae solennia, quum primum aestivae nobis abierant feriae, Scholae exceperunt, non mediocri cum Studiosorum approbatione apertae atque applausu. Secutae sunt orationes sacrae, quarum virili cum sapientiâ conjunctus calor juvenilis ac δεινότης cupide audientium multitudinem iterum iterumque Oratoris in admirationem rapiebat (1). Affatim

---

(1) De *sacris* Collegae orationibus satis copiose dixi, *parentali in oratione*, p. 29—32, item p. 37. Ubi priori loco subjecta annotatio

omnia ea secuta sunt, quibus, non lege solum requirente, sed animo sponte impellente, strenue perfuncti, publici Doctores, a doctrinâ parati, aetate vegeti, corpore ac mente firmi, Academiae splendorem, discipulis utilitatem, suo ipsi nomini laudem parare solent ac claritatem. Et si quid forte honori adhuc deësse videbatur academico; id novum supplevit atque adjecit Regis augustissimi decretum, quo, non ita diu post Patris decessum (1), *Theologiae Professor ordinarius* dictus est Amicus. Quod si ipsi, jam nunc famâ florenti, non multum novi decoris attulit; at nobis, ipso triennio post auditam priorem, alteram audiendi elegantem ejus orationem acceptissimam dedit opportunitatem. Sic enim tunc quidem et hîc et in aliis usus ferebat Musarum sedibus, ut novum, si quis in Professorum quempiam collatus erat, honoris titulum nova celebraret illius oratio.

Sed non sola Pallas fuit Rheno-Trajectina, qnae quanti Virum faceret optime de se meritum, et nunc et postea

---

eas recenset, quas, vel uno in Fasciculo conjunctim vel singulas seorsum, edendas curavit. Quibus vero ne quid desit, una haec est addenda, ibi praetermissa: *Akad. dankrede, over Ps.* XXIII, *geh.na de terugkomst der vrijw. Jagers, Utr. Studenten, uit het leger, bij de godsd. opening van het Akademiejaar; Utr.* 1831. — Quod reliquum est, de sacrarum ejus orationum ratione ac pretio, nullum magis idoneum advocare possum testem, quam Oosterzéum, laud. *Necrologiae* p. 175 sq.

Sacris a concionibus si discesseris, sola, quae ediderit, paraenetic ac practica scripta cognovi, commentariola, non comtemnendo numer publicata in Opere, quod Moderatore J. E. Voet van Campen est editum: *Dagboek ten gebruike bij den bijbelschen Almanak;* L. B. 18[illegible] sqq. Quae, etsi accurate ac singulatim indicare non possum, hîc tamen non plane praetermittenda videbantur.

(1) Defuncto d. 15 m. Januar. 1825 Seni pie parentavit Filius, Collega noster, habitâ atque editâ, quâ Patris imaginem nativis depinxit coloribus, oratione sacrâ de 2 Corinth. V. 1; Traj. ad Rh. 1825.

ullo non vitae illius tempore, quâcunque poterat occa-
ə, luculenter demonstraret. Eodem potius illo deco-
o hâc cum Academiâ aemulari Patria videbatur et
ita Civitas universa. In externis enim hominum docto-
, quae multi cupide appetunt, honoris ornamentis haec
me censeri novimus: equestrium ut Ordinum distin-
ıtur insignibus; ut in nobilissimas quasque artium doc-
rumque Societates, magis etiam ut in *regia* illarum,
ıae sint, *Instituta* coöptentur vel allegantur; porro ut
s a Sodalitiis opera sua commentationesque iterum ite-
ןue aureis videant praemiis ornatas; tandem ut ad Re-
, Principum, Magnatum familiaritatem admittantur ac
lavia. Quorum ornamentorum unum aliquod aut pauca,
rte nacti, Croeso ditiores, antiquo Persarum Rege bea-
s sese reputant nonnulli. Royaardsio autem tot
;erunt ejusmodi decora, tot vario in genere honoris sig-
ıtiones, quot nescio an nostri ordinis hominum, in hâcce
əm Patriâ, nemini cuiquam. Nec tamen unquam inani
animum efferentem eum, quantumvis honoratum, me
se affirmo. Ego enim, si quid novi ornamenti vel de-
in eum collatum esse compereram, vel coram vel
tâ familiariter epistellâ, ut Collegam oportebat, ei rem
ılari consueveram. Sed, nullo unquam ejusmodi objecto
io, *sublimi ferientem sidera vertice*, ut Poëta ait, eum
di, et ne vehementiore quidem exsultantem laetitiâ.
)er enim gratulationis vocibus ea reponentem audii,
Viri sapientis, nec fastidiose talia spernentis, nec justo
ris facientis, moderatione digna essent ac magnanimitate.
ərum etsi *virtutis umbram* esse *honorem*, raro tam lucu-
, quam illius sorte ac vitâ, confirmatum vidimus exem-
infinito plura tamen ad domesticam ejus fundandam atque
ndam felicitatem binae contulerunt, quas deinceps con-
t, nuptiae faustissimae. Anni enim 1825 verno tempore

Henricam Johannam uxorem duxit, Both-Hendriksenii illius filiam, quem Nederlandica Protestantium Ecclesia diu Patronum lugebit propensissimum ac constantissimum. Quam ipsam *virginem lectissimam* (sic enim jure eam vocavit Heringa (1)) Filio junctum iri impense laetatum esse novimus Royaardsium Patrem. Quam quidem exoptatissimam conjugem quum, post septennium et quod excurrebat, tristissimo longe funere extulerat, aliquamdiu quidem viduam egit vitam, nec semper tamen amisso carere potuit, quod seculi deliciis longe anteferebat, gaudio domestico. Quod igitur ut tandem aliquando recuperaret, ineunte anno 1836, altera sibi matrimonii vota contrahenda putavit cum Sarâ Mariâ Swellengrebel, gente nobili, Parente utroque, Christianae pietatis exemplis illis, dignissimâ Filiâ. Nec unquam prudenter capti Collegam poenituit consilii. Quae enim uxoris, quam diu luxerat, defunctae familiaritate usa erat, haec ejus virtutum aemulam se probavit filiorumque, quibus morte avulsa erat illa, Matrem optimam, et Conjugis in utrâque sorte fidissimam vitae Sociam.

Jam igitur, quem desideramus, Collegam et Puerum spectavimus et Juvenem et Virum, in eo collocatum honoris fastigio, quo ut adscendant raro contingere solet doctis ho-

(1) In *annott. ad orat. de Auditorio Acad. Rheno-Traject.* (Traj. ad Rh. 1826), p. 242.

minibus. Pauca solum, ex multis, quae memorari potuerant, veluti delibavimus, sed quae instituti brevitati sufficere videbantur. Nec vero est quod eâ, quâ exorsi sumus, ratione telam ad finem usque pertexamus inchoatam. Nam singula deinceps Viri fata, vel prospera vel adversa, per vitae annos digesta, accurate ac plene memoriae prodiderunt alii. Quibus igitur, quas ex relatione quisque suâ meritas tulerunt, laudes integras relinquere malo, quam cum eorum quoquam suavitatis ac copiae de palmâ contendere. Verum nullâ re magis, quam subtiliter atque eleganter enarrandâ *Christi Societatis historiâ* variisque ejus partibus illustrandis, nobilitatum esse Royaardsium nemo nescit, harum rerum non plane ignarus. Quocirca hujus scriptionis cum consilio maxime convenire videtur, ac cum Auditorum, quibus hîc etiam prodesse conamur, utilitate apprime conjunctum esse, ut quâ viâ ac progressione ad gravissimum *Historici* munus obeundum *formatus* sit ac *praeparatus*, et quam praeclare hujus nominis honorem tuitus sit paullo distinctius inquiramus.

Hinc igitur ut ordiamur, ad talem eum, qualem cognovimus, informandum ac fingendum Historicum, ipso moderante Deo O. M., solito plures concurrerunt atque amice conspirârunt caussae et opportunitates (1). *Patrem* habuit, non a theologicâ solum celebratum eruditione, sed eundem, quanta *Historiae* in nullâ non disciplinâ vis esset atque utilitas optime perspicientem. Cujus rei documentum edere juvat tam ignotum, quam praesenti conjunctum cum narratione. Novitius aliquis erat Doctor academicus, utriusque aliquamdiu Collega Royaardsii, qui in *Theologiâ Naturali*, quae nupero Theologorum compacto docenda ei incumbebat, vehementer se laborare illo coram Sene conquereretur. Cui hic, *παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως:* »*Quin Tu*", inquit,

(1) Cf. omnino Oosterzéus, l. l., p. 177.

»*vel ab initio vel omnino* historice *potissimum tractando, quam* »*loqueris, disciplinam, et Tuo prospicis et Discipulorum com*»*modo atque utilitati?*" Quâ Veterani voce ac monito vel maxime impulsus, Novitius in eam deductus est viam, quam iniisse nunquam eum poenituit, ut *Philosophiae de Deo* quae fuerint initia, qui progressus, quae seculorum per decursum fata, Commilitonibus ordine exponere institueret. Talibus igitur monitis si hominem recens cognitum augendum putavit Herm. Royaardsius, quâ non operâ Filio dilecto idem eum studium ab ephebis sectandum commendâsse putabimus? — Porro paterna ad monita non mediocre momentum accessisse videtur Dorn-Seiffenii per institutionem, quem Hieronymiano in Gymnasio aliis cum Viris doctis Praeceptorem habuit. Hunc enim in populorum hominumque rebus gestis quum inquirendis, tum memoriae prodendis vitae tabernaculum posuisse constat, atque ita discipulis eas tradere solitum esse, ut narrandi facilitate, perspicuitate, suavitate puerorum, non plane stupidorum, omnium caperet animos atque huic studio devinciret.

Tum, academicam ingressus palaestram, binos, ne de caeteris quid dicam, sibi Duces vidit oblatos *Historicos πολλῶν ἀνταξίους ἄλλων*, De-Rhoerium et Heusdium. De-Rhoerium enim *Jus Naturae* tradentem audierat, ejusque Scholarum *nunquam suo ex animo deletum iri memoriam* palam affirmavit (1). Hunc autem primum fere fuisse novimus, qui ad populorum leges et instituta collustranda *Historiae* facem adhibendam esse nostros quidem cives accuratius doceret, nec nisi adjutrice *Philosophiâ* hanc ipsam

(1) Sic H. J. R. in libello: van Heusde, *als Geschiedkundige en als Paedagoog tot de Godgeleerdh. geschetst* (Traj. ad Rh. 1840); p. 17. Et de praemissâ ad Kistium *epistolâ* et de utrâque, quae opusculo continetur, *oratione* relata vidd. in *Vad. Letteroeff.* 1840. 1. 621 sq.

lucere posse facem iis ostenderet (1). — Sed, si minime contemnenda hujus institutioni nostri debuerunt Amici studia; infinitum quantum Philippo Guilielmo van Heusde. Huic enim, iis imprimis, ubi illum habebat Auditorem, temporibus, incredibilis quaedam apud ingenuos quosque Juvenes academicos fuit auctoritas. Huic uni, prae caeteris tantum non omnibus, plane singularis aliqua erat eos et sibi et disciplinae, quam in deliciis habebat, conciliandi solertia et facultas. Royaardsii singulatim animum qualem rapuerit in admirationem, ex ipso audiamus, de defuncto nuperrime Magistro et alia et haec professo: »*A quo primo tempore* »*ejus intravi Scholas*," inquit, »*triginta fere mihi abierunt* »*anni. Virum valde suspiciebam, quem Academiae nostrae* »*ornamentum esse ex Patre cognoveram. Quid esset, quod* »*continuo illius potissimum Scholis me devinciret, tunc quidem* »*ignoravi. Sed tamen quam vehementer pellerer ac commo-* »*verer persentiscebam. Per octo paene deinceps annos, ju-* »*cundo admirationis sensu tactus ac permulsus, in ejus degi* »*auditorio. Atque hoc vel maxime apud me valuisse ut theo-* »*logicis praepararer studiis, postea etiam intellexi. Illius igi-* »*tur institutio ac conversatio nullo non tempore mea moderari* »*studia perrexerunt. Suam mihi impertivit amicitiam; ac qua-* »*lis, postremis maxime viginti hisce annis, mihi fuerit Amicus,* »*nunquam obliviscar.*" Haec de Heusdio atque intimâ, quâ cum ipso conjunctum se sentiret, disciplinae necessitudine commoto animo dicentem audivimus Royaardsium (2).

---

(1) De De-Rhoerio plura diximus in opere: *Geschiedenis der voorm. Geldersche Hoogeschool en hare Hoogll.* II. 372. — Ex iis, qui ibi laudati sunt, Scriptoribus hîc quidem imprimis in censum venit: van Heusde, *over* C. W. de Rhoer, *gekenschetst bijzonder als Geschiedkundige;* Traj. ad Rh. 1821.

(2) Et ea, quae retulimus, et alia eodem pertinentia vidd. in Amici libello, modo antea laud., pag. 4.

Unde, *illo* ignoto, qualis *hic* fuerit cognosci non posse facile apparet.

Erat sane Heusdius, si quis alius, *Historicus*, qualem hodierno usu *pragmaticum* vocare consuevimus. Hujus singulatim est, quod *homini, quod rationis est particeps*, Cicero tribuit, nescio an nimis ample, at diserte et copiose. Homo enim, Tullium si audis, »*consequentia cernit, caussas re-*»*rum videt earumque progressus et quasi antecessiones non* »*ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus ad-*»*jungit atque annectit futuras*" (1). Rerum igitur olim gestarum caussas vel remotiores vel propiores inquirere, earum opportunitates indagare, nexum declarare, sequelas et effectus exponere; en praecipuum illius, quem diximus, Historici munus et officium! In eo igitur totum fuisse Heusdium constat inter omnes. Haec illi vita erat; haec vel maxima vitae suavitas ac deliciae. Verum hic ejus *Pragmatismus*, quo certius ad speratum perveniret cognitionis exitum, peculiarem aliquam viam sequebatur sibique propriam rationem; quam plenius tibi Viri magni discipuli declarabunt, quam hisce sacris non initiatus ego. Primum certe, Socraticae ac Platonicae disciplinae germanus hic Alumnus, in iis, quae Reges civesque olim perpetrâsse eorum referunt Annales, *hominem* imprimis ipsum spectare jubebat atque *humanae naturae*, per varias res varie affectae atque huc et illuc inclinatae, diversi generis commotiones. Sed magnas imprimis ejus in doctrinâ partes *studia gentium* agebant, quarum tempora ac sensim progressas aetates cum diversâ singulorum mortalium aetate comparabat, vel puerili illâ, vel juvenili, vel virili, vel, si forte, senili. Quâ maxime ex

---

(1) *De Off.* I. 4; quocum loco recte Heusingerus ac Beierus simillimum conferunt locum *de Fin.* II. 14, ubi, quod hîc *homini*, ejus tribuitur *Rationi*.

comparatione populorum eorumque, quibus continebantur, hominum indolem, fata, facta, tum incrementa ac decrementa declarare conabatur atque exponere. Ubi tamen *climatis* etiam *victûsque* et aliarum opportunitatum ab eo habitam esse rationem videmus. Atque hoc in genere noli quaerere, quam multa vel probabiliter ac vere, vel certe ingeniose, scite, speciose dixerit ac docuerit eximius hic temporum ante actorum Cognitor ac Testis (1). Qui, si ita historiae *materiam* excolendam curavit atque amplificandam, de *formâ* etiam, quâ tradenda sit, opportune docuit, eum in modum rerum quarumvis gestarum informandam esse narrationem, sic earum initia, gressus, exitus, consecutiones significandas esse ac copulandas, ut caussarum atque effectorum ratio, vel sine disertâ notatione et indicio, sponte eluceat atque intelligatur. Quod postremum, ut ex ipsis apparet Doctoris scriptis, sic equidem luculentius ex Royaardsii, familiariter his de rebus mecum collocuti, monitis me percepisse recordor. — Huc igitur Heusdianae rationis historicae summa redibat. In quâ quidem non omnia nova esse habenda, quae tanquam *verba non prius audita* calidis ab Juvenum ingeniis excipiebantur, ipse lubenter concedebat Vir modestus admodum ac candidus. Verum institutioni singularem aliquam novitatis vel gratiam conciliabat vel speciem elegantissimi vox et melle dulcior oratio Praeceptoris.

Hoc imprimis studii, quod diximus, historici quum impulsore usus, tum duce Royaardsius, plures comites

(1) Quae breviter hic a me dicta sunt, ea suppleri velim et, sicubi opus est, corrigi atque emendari ex iis quae ipse dixit H. J. R. libeli laud. p. 12. 18. 21—23. 41. 51 ac passim alibi. Verum dignissimi etiam qui conferantur alii sunt Viri docti ac clari, quorum accuratam notationem atque indicem Roversio debemus elegantissimâ in Heusdii Memoriâ (*Traj. ad Rh.* 1841), p. 94. 95.

habuit sociosque Juvenes academicos laudatissimos, ejusdem omnes disciplinae amore conjunctos. Qui igitur in fructuosum aliquod sese aggregârunt sodalitium, cui *Utile Dulci* non magis nomen erat, quam faustum omen. Cujus ipsius, qui statis habebantur temporibus, conventus et exercitationes et amicae disputationes quum aliis, tum Collegae ad laetos in historiâ aliisque doctrinis progressus faciendos stimulos addiderunt et adjumenta suppeditârunt (1).

Quae adhuc diximus minime vulgarem *Historicum* fore, id certe si ageret, Royaardsium sperare nos jubebant. Praesertim quum accederet *vis insita*, quam *promovere* quidem posset, auctore Horatio, *doctrina*, quâ vero deficiente nec doctrina quicquam effecisset nec faustissimae quaeque ineuntis aetatis opportunitates. Verum spei, quamvis magnae, superior fuit exitus. Quod non oratorie dico, sed candide ac simpliciter. Certe, si quis fuit, qui *alterum eum nobis* Heusdium *futurum* esse praedixit, non vanus ille vates apparuit. Quam viam enim ac rationem in gentium fatis illustrandis (in *Historiâ*, quam vulgo vocant, *universali*) eximius praeiverat Praeceptor, eandem in Christi Societatis Historiâ illustrandâ laudatissimus hic ejus secutus est Discipulus. Quae *illius*, eadem *hujus* disquisitiones *Critica* moderabatur ac *Philosophia*. Cujus rei primam omnium testem advoco inauguralem, quam a. 1823 ha-

(1) Hocce de Sodalitio ejusque de sociis vid. prae caeteris Kistius, l. l. p. 10 sq. Ubi bina etiam ipsius Amici nostri scripta memorantur, unde quanti litteratam hanc fecerit Societatem liquido constat. Caeterum vix opus est monere, quod memoravimus, ejus symbolum ex *Horatiano* illo decurtatum esse: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

buit Royaardsius, orationem *de hominum gentiumque varietate in Christianae Societatis Historiâ observandâ.* Ubi id imprimis docentem eum audivimus, quum universâ in historiâ diversus cluceat hominum populorumque character, eandem indolis eorum diversitatem Ecclesiae singulatim ata demonstrare ac conversiones. Quod multis deinceps ngeniose probat allatis exemplis. Nulla sane potuit, illo naxime tempore, opportunior ab ipso haberi oratio. Nec ero ulla, unde luculentius auditoribus appareret, quam cita a novo Doctore et quam elegans Heusdianae rationis uam ad disciplinam exspectanda esset applicatio (1).

Ejusdem Praeceptorem inter et Discipulum consensûs alteam advocare possem testem, ordinariae Professionis auspicanlae caussâ, a. 1826 ab *hoc* habitam orationem *de Theologiâ Historicâ cum S. C. Exegesi rite conjunctâ, nostris potissimum emporibus in Belgio excolendâ* (2). Quam ipsam prioris illius uctore non indignam fuisse existimo. Fuerunt quidem Viri locti qui dubitarent, num tam longe, quam facientem udierant Collegam, *Theologiae Historicae* fines essent extenlendi, nec videre se profiterentur in disciplinae nostrae partibus distribuendis quomodo sibi constitisset Orator. Qui vero, quod minus illi probabant, id non tam sibi, quam vocis ambiguitati, tribuendum esse jure reponere potuisset. *Historica Theologia* enim quam diverso modo dici potest et dicta est! Modo arctis eam inclusam vidimus finibus, modo tam

---

(1) Nunc etiam dignissima est haec oratio, in *Annall. reposita Ac. Rheno-Traj.* a. 1823—1824, quae meditate legatur. Ab iis ipsis enim eam laudatam audivi, qui Heusdii rationem nec sequebantur nec in omnibus probabant. In quibus erat, alios ne memorem, Heringa E. F. — Orationis summam accurate retulit ac *palmarem* eam vocat, qui unus instar omuium nobis sit, Donkerus Curtius, in Ephem. *Bijdr. tot de beoefening en gesch. der Godgel. wetensch.* XII. 1. p. 1—14.

(2) Memorati vidd. *Annales*, a. 1826—1827.

late extensam, ut caeteras fere omnes imperiosius obrueret universae Theologiae partes. Verum hoc cujusmodi sit, me judicent acutiores. Novo certe argumento, quod maxime mihi volebam, altera haec docuit Collegae oratio Heusdianâ cum doctrinâ quam arcte conjuncta esset illius, quâ late patebat, disciplina (1).

Luculentissimo vero testimonio non dubiam utriusque, de quâ agimus, disciplinae necessitudinem *Praefatio* confirmat, quâ *Compendio Historiae Ecclesiae Christianae* praemissâ (2), non hujus solum libri, sed universae adeo, cui liber inservire debebat, institutionis consilium aperit ac rationem. Ubi post alia: »*Illud potissimum spectavi*," inquit, »*ut in illustrandis Ecclesiae fatis ipsum hominem agentem animadvertamus. Hominis enim gentiumque varietas maxime patuit in Historiâ Ecclesiae; neque eam rite explicare poterimus, nisi peculiaria hominum gentiumque studia ob oculos habeamus. Agit enim in Religione Deus; in Ecclesiâ homo.*"

Verum ultimo huic Auctoris dicto ne forte ab ejus mente aliena tribuatur sententia, quae mox subjicit cum illo omnino nobis conjungenda sunt. Ibi enim *in ipsâ etiam Ecclesiae Historiâ Divinam attendendam esse curam* graviter monet; *Deum*

(1) De utrâque, quam laudavimus, oratione vid. Glasius l. l. separatim factae ed. p. 14. 15. Ex posteriore etiam atque ex adjectâ maxime annotatione nonnulla me quidem didicisse, quae ignorarem, historica lubens affirmo. Caeterum quod de priore utrâque Royaardsii or. paullo plura hîc dixi, ne postmodum ad eas redeundum esset fecisse me sciant Lectores.

(2) Vid. *prioris Fasc.* pag. VII. Item conferre expedit quae postmodum, ipsius *Comp.* initio, monet ubi : »*Historia Ecclesiae arctissime est conjuncta,*" inquit, »*cum Historiâ gentium, cumque potissimum hominem spectet, aliquatenus refert Historiam Humanitatis.*" — Plura alia in eodem genere Collegae dicta afferre facile sit. Verum haec, ut in clarâ re atque expeditâ, nunc quidem sufficiant. Quum praesertim infra ea dicturi simus, quae ne memoratae a nobis atque ab omnibus agnitae Heusdii imitationi nimium tribuant nostros cavere doceant lectores.

nim per homines agentem in eâdem nos videre Historiâ. Nec minore sapientiâ alibi (1) Auditores adhortantem eum audimus, ut eo consilio *disciplinam Christianam cognoscant et quos illa seculorum per decursum fecerit progressus, quo majore Religionis Christianae amore imbuantur atque in Deum Christumque pietate;* quâ deficiente *sacro Ministerio recte obeundo sint impares futuri nec in eo magnopere profecturi,* quum praesertim *pectus* sit *quod Theologum faciat.*

Jam vero eum in locum nostra haec devenit narratio, ubi *Christi Societatis* qualis et quam praestabilis *Historicus* fuerit Royaardsius, paullo disertius declarandum est. Verum id agere instituentem (quidni enim fatear?) ita me meritorum illius in hoc genere varietas obruit ac magnitudo, ut quae prima, quae deinceps, quae postrema memoranda sint incertus fere haeream. Quâ ex dubitatione quo felicius me expediam, benevole Lector! concedas mihi rogo ut a familiari aliquâ proficiscar informandâ imagine, ex naturâ ductâ illâ, atque ad rem praesentem illustrandam, ut mihi quidem videtur, accommodatâ.

Est igitur ingens aliquis ager, magnâ quidem laudandus ab ubertate, sed cujus loca non pauca vel deserta adhuc jacent, vel pleniorem certe requirunt culturam. In quo ipso agro locupletando vel amplificando dictu difficile est quam variis modis utiliter versari possimus, quam diversâ ratione nostro

---

(1) Vid. *Comp.* laud. *Fasc.* II, praefat. p. VIII. — Et hujus et illius loci, in compendium redacti, summam tantum reposui, ne male intelligeretur obscurius illius dictum : *Agit in Religione Deus, in Ecclesiâ homo.* — Quo magis velim totus legatur uterque locus. Atque huc respiciens Oosterzéus, l. l. p. 175, non solius *cathedrae* fuisse Amici nostri Theologiam vere monet, non *Scholae* magis inservientem illam, quam *vitae.*

aliorumque cum emolumento fructuosum in eum impendere laborem. Primum enim justos ejus terminos proferre licet; ubi tamen cauta requiritur prudentia ne, alieni quid ei temere vindicantes, in malam adducamur iniquitatis suspicionem. Deinde alios impellere possumus ut agrum ingrediantur non otiosi, eosque quomodo in eo lustrando colendoque versari oporteat monitis et exemplis docere; ne forte, locorum ambitu atque ambagibus recto seducti a tramite, in devia ferantur atque oleam misere perdant et operam. Eodem in campo, late patente illo ac mirum in modum variegato, flores sunt laetaque, quibus alliciaris, viridaria. Sed aridae sunt ibidem vepres spinaeque et horrida, multos quae deterrent, dumeta. Vides igitur vel in amoenis illius, ubi omnia florent, hortis eo consilio morari te posse ac te continere, ut ex pulcris reddas eos pulcriores, vel, si forte audentior es, ita in spississima quaeque, quae ibi rigent, penetrare vepreta, ut aliis etiam eodem aditum aperias, atque illic quoque ipsis sub acanthis flores delitescere iis ostendas. Paucis ut omnia complectar, quam immensus est campus, tam infinito spatio diversas se demerendi offert agricolis opportunitates.

Ager ille *Christi Societatis* est *Historia*, in quâ quomodo versatus sit Royaardsius, rudi certe penicillo agri jam Tibi depinxit imago. In nobilissimâ enim hâc eâdemque difficillimâ totius, quâ late patet, disciplinae historicae parte vitae posito domicilio, tantum, quantum aequalium perpauci, Studiosorum numerum, sena per lustra, ejus et amore imbuit et cognitione auxit. Quod quomodo fecerit, quam constanter, quam erudite, quali cum ardore testes Discipuli sunt, suis singuli meritis cogniti, Scholtenius, Glasius, Oosterzéus, alii passim. Nec in cathedrâ solum academicâ docendo haec aluit studia. Quâcunque enim poterat viâ et quâcunque usus opportunitate, vel sponte oblatâ vel solerter

quaesitâ, eadem et aequalibus facilitavit et multorum in animis incendit studia, et ne torpescerent sapienter monendo ac strenue praeëundo cavendum sibi duxit. — De iis autem, quibus Ecclesiae Historiam locupletavit, *doctrinae monumentis* quid dicam, quid maxime praedicabo? Tam insignis eorum numerus est, ut, vel solo conspecto ac lustrato illorum *Indice*, non possis non Virum admirari, cujus ad haec omnia commentanda, scribenda, typis paranda, edenda vita suffecerit occupatissima. Quum praesertim, si pauca subinde festinationis vestigia deprehendis ac nimis properantis indicia calami, cuivis scriptorum paginae diligentiae videas et industriae et eruditionis notas impressas et quasi sigilla. — Pleraque, quibus, eam, de quâ dicimus, Historiam ornavit, scripta, quâ sunt subtilitate, doctis ut doctrinâ augeantur inserviunt; alia imperitis ut discant; alia, utroque ex genere prudenter temperata, et his prodesse poterunt et illis. Magna complexus ingenio librisque, minora non contemsit, et ne minutissima quidem quae illustraret indigna censuit. His enim neglectis illorum vix aut ne vix quidem constare posse cognitionem verissime judicavit. Quid quod, quascunque cum Ecclesiae Historiâ conjunctas esse videbat cum eâque affinitatem habere disciplinas, qualis *Patristica* est et, alias ne memorem, *Jus ecclesiasticum*, in iis commentandis atque illustrandis eam ponebat industriam, ac si solis iis dare se potuisset ac vitae tempus omne!

Verum alia hîc pauca sunt adjicienda, quae si reticeam justo desim Collegae honori. Quo primo tempore in hanc me delatum videram Academiam, recenti plerorumque admiratione Heusdii vigebat ac florebat disciplina. Nec tamen deërant Collegae, diu jam defuncti, Viri solertissimi iidemque historiarum amantes et periti, quos ita subinde disputantes audirem, ut Scholae illi acuta magis in deliciis esse contenderent atque ingeniosa de historiâ *philosophemata* con-

jecturasque, quam subtilem, quae reconditos erueret recluderetque ejus *fontes*, factorum et eventuum indagationem. Atque iidem, etsi rerum gestarum in explicatione non negligenda esse diversa *gentium studia* lubenter fatebantur, ac probabiliter de iis ab Heusdio dicta laudabant, nimium tamen subinde iis illius in auditorio tribui putarent, nec recte ad permultos temporum praeteritorum nodos solvendos atque aenigmata ea conferri atque adhiberi. — Equidem Magistri (cujus nunquam non merita suspexi) sapientiam cum iis non esse confundendam arbitror, quae minus considerate subinde ejus dixerunt Discipuli. Quorum nonnullos ita in exteriore doctrinae cortice ac formâ admirandâ haesisse eâque impense praedicandâ sibimet ingenii laudem quaesivisse, ut ad interiorem rerum medullam non penetrarent, nunc certe, hoc temporis intervallo, paullo prudentior nemo facile negabit. Ac profecto miraculi instar esset, si, quod alibi passim ex simili praestantium quorumvis admiratione Doctorum exstitisse novimus, imprudentius imitandi studium secus hic se habuisset. Sunt enim certa quaedam *Scholae* quasi *vincula*, quae, ut quaeque celebratior est nobisque carior Schola, ita vehementius nos constrictos tenent, quibus plane sese exuere nunquam fere *juvenilis*, ac ne semper quidem *virilis* est animi atque ad judicii integritatem confirmati. Quocirca ad caeteras Royaardsii laudes haec vel maxima mihi accessisse videtur, quod, maturiore imprimis aetate ac doctrinâ, praejudicatis ejusmodi, alienâ ex auctoritate haustis, opinionibus liberum eum cognoverimus atque immunem. Nunc enim rerum in Ecclesiâ gestarum originem ab altissimis quibusque initiis repetebat ac principiis, nec in reperto caussarum, unde fluxissent, uno aliquo genere, caeteris exclusis aut neglectis, acquiescebat. Et vero veteris aevi in Monumentis, quamvis jejunis lectuque vel molestis vel taediosis, et consulendis et critice judicandis ita jam versaba-

', ut nemo facile accuratius, religiosius constantiusque. :c derivatis ac turbidis ex rivulis, sed antiquissimis quisque ac limpidissimis ex *fontibus* puras historiae velut uas hauriendas esse non monitis efficacius, quam suo ;e exemplo, discipulos edocendos curabat.

Sed quo certius Tibi constet, benevole Lector! optimo s jure Collegae praedicâsse, quibus Ecclesiae Historiam i devinxit, merita atque officia, age! brevissimâ certe quâ notatione praecipua illius, quae huc referenda sunt, ›ra recenseamus ac disputationes. Nam omnia memorare gum est. Non temporis igitur, sed argumentorum potius ione habitâ, ab iis ordiamur, quibus *universae* Christianae :ietatis *Historiae* vel singularum quarumdam illius partium ›posita erat cognitio. Ubi primum quidem binae nos denuo rertunt, quas a. 1823 et a. 1826 et publice habuit et x edendas curavit, orationes inaugurales. Sed quarum laudibus ac praestantiâ supra jam (1) quae sufficere vibantur monuimus.

Quocirca continuo ad *Historiae Ecclesiae Christianae Com-ıdium* accedere licet; quod a. 1840 edere coepit, *priore* ›dito *Fasciculo*, quo *antiqua* continetur ac *media* Christi :ietatis Historia, quinquennio post complevit *altero*, *recen-'em* habente illius *Historiam*, subjecto *Fasciculo.* Quo de ›re ne iniquum feramus judicium, academicae maxime titutionis commodum fructumque ejus propositum fuisse tioni tenendum est. Atque accurate legenda commendo ae utrique Fasciculo, *carissimos ad Discipulos* oratione

---

1) Pag. 24—26.

conversâ, paullo uberius praefatur Auctor. Unde proximum hoc ei librum edenti consilium fuisse apparebit, ut ne diutius nonnulla Auditoribus in calamum dictandi necessitate detineretur. Ubi: »*Missis iis,*" inquit, »*quae, si disciplinae tantum historicae ratio habenda fuerat, addidissem,* »*primam hanc mihi scripsi legem, ut ea traderem, quae* »*studiis inservirent academicis. Alia omisi, alia addidi, quae* »*ceteroquin rectius abessent, quae vero vestris usibus inservi-*»*tura esse ratus sum*" (1). Haec fere ille. Quem hoc ipso in libro commentando permultum operae ac studui collocâsse ex iis apparet, quae ipse dicit Vir minime gloriosus. »*Quamdiu,*" inquit, »*in conscribendo hocce compendio versatus* »*sum, omnem Historiae Ecclesiasticae campum denuo per-*»*lustrandum duxi, adeo ut quae antea scripseram iterum* »*elaborarem et crisi subjicerem accuratiori.*"

Quae quo veriora esse novimus illius dicta, eo magis est dolendum, quâ passim docti ejus apud Germanos Familiares utebantur opportunitate, novis iterum iterumque librorum suorum requisitis editionibus, novas iis adhibendi curas, illam hoc quidem in opusculo nostro defuisse Collegae. Quae dummodo adfuisset opportunitas, si qui loci erant, de quorum obscuritate aut minore *ἀκριβείᾳ* jam nonnulli publice vel privatim conquesti essent Censores (2), non nimis difficili operâ ad majorem vel perspicuitatem refingi potuerant illi vel concinnitatem. Quamquam nullis frequentius

(1) Et hîc et alibi, ubi Collegae dicta quaedam reponenda videbantur, modestâ aliquâ usus sum libertate. Quod aegre non laturum fuisse, si viveret, (qui utinam ne abiisset!) desideratissimum Auctorem confido. Atque hoc semel hîc me dixisse sufficiet. — Quem hîc excitavi, locus *prioris Fasc. praefat.* exstat, p. VI. Atque iis similia *altera* repetit *praefatio.* Cujus ex initio quae mox attuli reposita sunt.

(2) Vid. imprimis Fasciculi II censura, in Ephem. *Waarheid in Liefde*, ad a. 1847, 4. p. 734 sqq.

libris, quam doctrinarum quarumvis *compendiis*, obscuritatis illa solet illini macula. Quid quod eam ne ipsa quidem Ernestina potuit effugere, quamvis elegans, *Institutio Interpretis Novi Testamenti?*

Verum, nunc etiam sicuti se liber habet, dignus est, ut pauci alii, qui, ab aequalibus posteris traditus, horum ipsorum adjuvet studia ac moderetur. Sed posteri quid sibi faciendum sit videbunt. Commilitonibus certe, quibus, defuncto Royaardsio, aliquamdiu academicâ de cathedrâ Christi Societatis res narravi ac fata, de optimâ notâ me hoc illius commendâsse Compendium non poenitet. Quâ in re mihi consentire gaudeo Ter-Haarium, Virum solertissimum eundemque eruditissimum ejus Successorem. Longe plura enim, quam profitetur *inscriptio*, in iisque haud pauca, *Dogmatum Historiam* quae illustrant, ex hoc opere percipi possunt atque intelligi. Quo noli dubitare quin eorum, quae diuturno sese studio ac meditatione Auctori probaverant, summa contineatur ac medulla. Audias, quaeso, quid verissime dicat ipse. »*Religionis fata et Ecclesiae,*" ait, »*ita* »*plerumque tradere conatus sum, ut mutua ratio et vinculum,* »*quae diversa fata conjunxerunt, maxime progressus notionum,* »*dogmatum, rerum, una cum origine, indole et effectibus,* »*quos habuerunt, quamvis breviter repraesentarentur, idque* »*ita, ut progressus Religionis et Ecclesiae Chr. ab incunabulis* »*inde ad nostra usque tempora digito indicarem.*" En tibi ipsa paene illius verba (1)! Cujus de libro clarum aliquem, qui ab hâc ipsâ doctrinâ apud Germanos nobilitatus est, Theologum ita judicâsse accepimus, ut nullum hujus Historiae Compendium se novisse affirmaret, quo, tantillo quidem paginarum numero, tot optimae frugis notitiae continerentur. Quo illius judicio nihil verius esse existimo.

---

(1) Vid. *Fasc.* II praef. versus finem.

Hoc autem Compendium si, ex proximo certe Auctoris consilio, prae caeteris ipsius spectabat Auditores eorumque maxime commodis inserviebat; longe latius operis usus patet, de quo paucis jam dicendum nobis instat. *Promtuarium* significo, quod Kistii ac Royaardsii nostri consociatae curae debemus atque operae. Illi enim, a. 1829—1849, magnâ et constantiâ et felicitate nec refrigeratis lectorum studiis, opus ediderunt, viginti Volumina complexum, ut mole amplum, sic argumento gravissimum. Quod quo in genere versetur docent, quibus majores operis Partes, sive *Series*, notantur ac distinguuntur, inscriptiones. Priora enim XI Volumina *Historiae Ecclesiasticae Archivum* inscribuntur; posteriora IX, paullulum mutato titulo: *Historiae Ecclesiasticae Archivum Nederlandicum* (1). Quae quidem XX Volumina, adjectis conclusa locupletissimis *Indicibus*, recens excepit opus, quod inscribitur: *Historiae Eccl., maxime Nederlandicae, novum Archivum.* Sed cujus *prius* tantum Volumen, ut in superioribus fecerant, conjunctâ operâ edere potuerunt bini, quos diximus, Viri gravissimi. *Alterum* enim Volumen, quod solus edidit Kistius, funebrem, proh dolor! continere debuit, quâ Socio fidelissimo atque Amico parentaret, laudationem. Totum igitur hoc opus (nam de solidis dicimus, quae memoravimus, XXII Voluminibus, majore aliquâ titu-

---

(1) Iis, quos diximus, annis *Leidae* editum opus linguâ dicitur vernaculâ: *Archief voor Kerkelijke Geschiedenis; — Nederlandsch Archief voor Kerk. Geschied.* Quamquam posteriora illa Volumina IX item dicuntur, continuato titulo: *Archief voor Kerk. Gesch. D.* XII—XX. — Quod mox in textu laudabitur, novum opus eâdem dicitur linguâ patriâ: *Nieuw Archief voor Kerk. Gesch. inzonderheid van Nederland*, Vol. I; *Scid.* 1852, Vol. II, *ibid.* 1855. Toto de opere pauca nos diximus, *praef. ad or. s. de* H. J. R. p. IX, plura ac graviora Kistius, l.l. p. 421 sqq.

lorum, quam argumentorum varietate a se invicem sejunctis) totum, inquam, hocce opus ad excitanda, nisi alibi, at apud Nederlandos, haec studia et incendenda et propaganda dictu incredibile est quantam vim habuerit et efficientiam. Nec pauci enim Viri docti, hujus editi sibique ad scribendum aperti *Promtuarii* opportunitate solerter usi, suis quisque symbolis illud ornârunt, vario nomine praestantissimis, quarum plerisque, non edito nec patente eodem hocce *Horreo*, nunquam sacra fuisset locupletata disciplina. Alii nunc demum, iis, quas hîc proditas videbant, vel admonitionibus vel exemplis de antiquorum Monumentorum edocti pretio, minores etiam hujus generis Scidulas et Chartulas, quas antea neglexerant, vel accuratius asservare didicerunt vel diligentius consulere. Alii iique multi, pluribus lectis, quae passim hîc exstant, vel rerum commentationibus vel Virorum *Vitis*, haud paucis de rebus hominibusque verius, quam adhuc fecerant, atque integrius judicare inceperunt. Quum praesertim Editorum ea liberalitas esset atque aequitas, ut ne iis quidem locum denegarent disputationibus, a quibus valde se dissentire aperte profiterentur, et quas humaniter sibi refellendas putarent.

Vel per solam igitur hujus editionem *Archivi* suâ de disciplinâ egregie meriturum fuisse utrumque Historicum apparet, quamvis neuter ullum hîc extulisset sui ipse ingenii fructum. Verum longe aliter sese rem habere novimus omnes. Totum enim opus, tanquam *πρόσωπον τηλαυγές*, Royaardsii, de quo solo hîc porro nobis dicere licet, palmaris aperit ornatque disputatio *de progressibus, quos Historiae fecerit ejusque singulatim Ecclesiasticae studium.* Unde Auctoris de Historiae quum fatis, tum munere et officio bene consideratam cognovisse sententiam neminem poenitebit. — Tum admonitionis ab utilitate notanda sunt, quae eodem tempore docuit idem *de minutis q. d. Tractatibus antiquis*

et Actuum Albis ecclesiasticis, Christi Societatis Historiae proficuis (1).

Verum in iis quidem, quae ad *universam* pertinent Ecclesiae *Historiam*, nihil pulcrius hoc continet *Archivum*, nec quicquam omnium lectione dignius, quam binas Royaardsii commentationes, aliquo quidem annorum spatio disjunctas, sed, quod ipse profitetur, argumento conjunctas; quarum *illa* Religionis Christianae conditionem inquirit ac describit, qualis *Medio* fuit *Aevo*, *haec* eandem *per instaurata Sacra* contemplatur *emendatam.* Prior enim (en ipsam tibi inscriptionem) de *recentioribus* agit *Europae populis usque ad Medii Aevi exitum, Christianam maxime per religionem constitutis atque excultis. Periculum* hoc nostri vocat Amici modestia *Ecclesiasticam commendandi Medii Aevi Historiam.* Recte quidem ille. Verum longe ampliora, quam haec receperat professio, elegantissimo docemur commentario. Qui, vel pessimis temporibus, ad civilem etiam emendandam hominum populorumque conditionem nihil efficacius fuisse, nihil salutarius, evidentissimis probat argumentis, quam coelestem Christi Religionem. — Binarum, quas dixi, disputationum *posterior*, *priori* connexa illa, in graviore etiam, si fieri potest, versatur argumento. *Historiâ* enim *duce*, *de notione et ambitu* agit *illius*, *quae seculo* XVI *exstitit*, *Ecclesiae Reformationis*, *idque comparatâ*, olim ei praegressâ, *Medii aevi Reformatione.* Ubi quaestiones item sibi solvendas ponit Auctor, *qui sint nominis vi ac veritate Reformatores dicendi? ecquod memoratae Reformationis fuerit principium?* De laetissimo illo, qui hic illustratur, eventu, postremis imprimis hisce annis tot ac tam diversa, plures apud populos, opera sunt edita et libri et commentariola, ut vel

(1) Exstant binae h. l. laudatae dispp. in *Archief voor Kerk. Gesch. Vol.* I. p. 1—82 et p. 247—253.

brevissima eorum notatio plures impleat solidas paginas. Verum, in tanto hoc scriptorum eodem de argumento numero ac proventu, nihil facile reperiri existimo, quod luculentius, quam Royaardsii haec diatribe, de Auctoris solertiâ testetur ac prudentiâ et doctrinâ (1).

Possent aliae quaedam, cum *generaliore* Ecclesiae Historiâ quodammodo conjunctae, memorari symbolae, quas ad idem contulit *Archivum* Amicus. In quibus narrationes *de dedicatâ Friburgiae in Brisgaviâ Protestantium aede;* — item *de Quaternitatis in Ecclesiâ Christianâ doctrinâ;* — tum *de Ahasuero, deambulante in perpetuum Judaeo, de eâque, quae hunc spectat, Fabulâ sive Legendâ* (2). Verum in tantâ, quam extulit, scriptorum messe, accuratius cuncta persequi arcti non sinunt hujus opusculi limites. Quam vel animadversionem nostram vel excusationem ad alios etiam operis locos pertinere, Lectorum attendat benevolentia rogamus.

Nec aegre igitur ferent, si paucissimis tantum quibusdam verbis *Imagines* illius sive *Picturas historicas* nominantem me viderint. Sic enim quaternae quaedam ejus appellantur narrationes, quae vel *Ecclesiae propagationem* informant, vel *Scholam Alexandrinam*, vel *Donatistas* et *Pelagianos*, vel

---

(1) Prior disp., quam, Germanice conversam, reposuit G. Kinkelius in Illgenii *Zeitschr. f. d. hist. Theol.* Tom. V. P. 1. Lips. 1835, haec igitur exstat in *Arch.* Vol. II. p. 65—244; — *altera* in *Arch. Nederl.* Vol. I. p. 1—90. *Hanc* eximie laudatam vidi a Censoribus, quum in Ephem. *De Gids,* ad a. 1843, tum in Eph. *Vad. Letteroeff.* ad a. 1844, p. 297 sqq. Nec tamen attentione indignae sunt utriusque in contrariam partem animadversiones. Atque ipse etiam, qui in non nullis sese ab R. hîc dissentire profitetur, Kistius commentationis agnoscit praestantiam. Vidd. quae dixit laud. *Mem.* p. 435 sq. Ego, si de me fateri licet, Glasio plane assentio, p. 17, *eximiam* dicenti disputationem.

(2) Prima exstat narratio *Archivi* Vol. X. p. 341 sqq.; — altera *Arch. Nederl.* Vol. II, p. 263 sqq.; — tertia ejusdem Vol. p. 311 sqq.

tandem *Religionis Christianae certamen in Nederlandiâ ac triumphum.* Quae prodita leges commentariola majore aliquo in opere; quo edito plures id agere inceperunt Viri laudatissimi, ut, suâ a singulis collatâ symbolâ, praecipuos quosdam ejus, de quâ dicimus, Historiae locos sive capita indoctorum hominum ad sensum atque intelligentiam repraesentarent ac veluti depingerent (1).

Ecce vero! his jam scriptis, quartam illam, quam ultimam modo antea attigi, disputatiunculam non tam ad *generaliorem* pertinere video, de quâ adhuc dixi, quam ad *Nederlandicae* singulatim *Ecclesiae Historiam.* De hâc igitur, quo, quam instituimus, tela sponte nos deducit, jam videamus. Ubi ab animadversione ordimur, in quâ consentientem Scholtenium habemus ac Glasium (2). Si enim *universâ* de Christi Societatis Historiâ bene meruit Royaardsius, longe majoribus etiam ac plane singularibus *patriae* Ecclesiae Historiam sibi devinxit officiis. Hanc in praecipuis habuit studiorum deliciis. In *hâc*, posteriore imprimis stadii tempore, magis etiam, quam in *illâ*, habitandum sibi putavit. Hanc peculiari prae caeteris omnibus curâ et industriâ sibi

---

(1) Opus dico, cui titulus: *Geschiedenis der Christ. Kerk in Tafereelen; Amst.* 1852 sqq. Cujus Tomo I. p. 73 sqq. et p. 93 sqq. priores binae exstant Royaardsii dispp. Tertiam habet Tom. II. p. 180 seqq.; quartam denique Tom. III. p. 50 sqq. His de *Iconibus* Kistius cf. p. 448. Quem ubi haud sine justâ aliquâ indignatione Censoris cujusdam in Amicum malevolentiam memorantem video, verissimum me Poëtae dignum consolatur:

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

(2) Nisi eadem, at similia *ille* dixit p. 58, *hic* p. 18.

excolendam delegit. Cujus judicii sapientia, quo magis his le rebus meditabar, eo certius mihi se probavit. Quid nim? In *illius* non omnibus quidem, sed longe plurimis imen partibus rerum gestarum, quae jam satis cognitae ssent, ingeniosae potius conjunctionis ac philosophae disuisitionis laudem sibi relictam videbat, quam novarum, quae dhuc laterent, inventionis atque explanationis. In iis enim erscrutandis atque explicandis, hoc ipso maxime, quo vivius, seculo, quot et quanto ingenio doctrinâque Viri quasi ertatim quam poterant maximam posuerant operam atque ndustriam? Verum longe aberat ut ejusdem jam felicitatis in consortium venisset *Nederlandia.* Multa enim, quae hujus in Ecclesiâ, ante instaurata imprimis seculo XVI Sacra (de recentioribus ne dicam) gesta erant atque evenerant, aut vulgo ignota erant, aut certe non ita accurate, distincte, plene cognita, ut et ipsarum rerum momentum requirebat et Patriae honos et hodierni disciplinae progressus. Quo nagis nobis laetandum est ad hunc potissimum, cujus non aucae adhuc neglectae erant partes, agrum excolendum nimum appulisse Royaardsium. Cui praesertim ad rem eliciter agendam, ne de praeclaris denuo dicam ipsius doibus, larga *subsidiorum* copia erat et apparatus, quo alii, qui eâdem in palaestrâ laudabiliter versati erant, Viri literati vel caruerant, vel parcius certe uti potuerant.

Tum in iis, nemine dubitante, fuit Amicus, *quorum pecus fervidus urebat*, ut ait Poëta, *Patriae amor.* Quam quâ complecteretur caritate, testis nobis est juvenili aetate suscepta, de quâ supra diximus, militia voluntaria. Testes inae, quas a. 1831 edidit, orationes sacrae, quo tempore, psius, quo olim praeiverat, exemplum secuti, multi Acalemiae cives togam cum sago strenue commutaverant (1).

---

(1) Accuratius laudatur utraque in *Scriptorum* H. J. R. *Indice* apud

Testes, quas pronuntiavit ac deinceps publicavit, orationes, vel *de foedere Rheno-Trajectino, a.* 1579 *sancito* (1); vel *de ratione, quâ ad doctrinarum studium atque amorem conformandi sint populi et excolendi* (2); vel *de historico, quem nostrae habent Academiae, charactere, earum pignore perpetuitatis* (3). Testis denique, quam non ultimam hîc memorare oportuerat, *de optimâ Nederlandiae historiam conscribendi viâ ac ratione* commentatio, aureo dignissima, quo eam Rex ornavit, praemio (4). Quae omnia, utut argumenti ratione temporumque opportunitate disjuncta, uno

---

Kistium, p. 465. Earum prior edita exstat in *Oratt. sacrarum, a Concionatoribus acadd. habitarum, Fasciculo.* Cujus edendi Fasciculi pensique suscepti difficultates superandi suasor mihi fuit ac benignissimus impulsor, de quo dicimus, Collega.

(1) *Redev. ter hist. herinnering der Unie van Utrecht, voor* 250 *jaren gesloten.* Quae exstat or. in *Tijdschr. voor de geschied. en Statistiek van Utrecht,* Tom. IV. *Ibid.* 1828.

(2) Sic quodammodo argumentum describere conatus sum orationis elegantissimae, praesente ac valde probante Rege augustissimo Guilielmo II, Amstelodami habitae, quae vernaculâ dicitur linguâ: *Redev. over de aankweeking van den echt wetenschapp. geest onder eene Natie.* Exstat in Ephem. *Tijdschr. van het Kon. Nederl. Instituut;* Tom. III. P. 1; *Amst.* 1843.

(3) *Het historische karakter der Nederlandsche Universiteiten, als waarborg voor haar voortdurend bestaan; Traj. ad Rh.* 1849. Habita est oratio, quo tempore *omnibus pariter Patriae* q. d. *Universitatibus* a Novatoribus periculum imminebat. Horum enim qui audaciores erant iis, quae nunc florent, Academiis *unam* aliquam *ingentem* substitutam volebant.

(4) Commentationi hoc potissimum consilium propositum erat, ut caveretur ne regiâ auctoritate conscripta historia, uno tenore atque eâdem continuatâ narrationis telâ, et nostrae hujus Patriae et *Nederlandiae,* quae adhuc *Meridionalis* dicebatur, fata complecteretur. Quam rem eâ gravitate dissuasit ac prudentiâ, ac si quae postmodum evenerunt fatidici Vatis instar praevidisset. Disputationis modesta haec est inscriptio: *Bijdragen tot de bewerking van de geschiedenis der Nederlanden;* Hagae Com. 1830.

tamen eodemque, unde cuncta pariter profecta sunt, animi sensu sic conjuncta apparent, ut Auctorem arguant, cui Patriâ ejusque quum politico honore, tum litterato nihil carius esset, nihil antiquius.

Tali igitur ac tam constanti caritate quum terram complecteretur, ubi natus erat et educatus, neque in eâ ipsâ quicquam tantopere diligeret, quam eam, quae ibi instaurata florebat, *Ecclesiam*, ad hujus fata inquirenda ac describenda et sponte se delatum sentiebat et in paucis idoneus erat habendus. Ad hujus enim pensi strenue suscipiendas molestias vincendasque naviter difficultates quam efficaciter eum impellere debebat ac stimulare *Christi* cum amore conjunctus *Patriae* amor!

His igitur praemissis, quam multa sint et quam diversa videamus, quae operae illius ac curae *Nederlandicae* singulatim debeat *Ecclesiae* Historia. Ubi a minoribus, nec tamen levibus illis, exorsi, in gravissimis ejus, quae huc pertinent, operibus memorandis desinemus. Primum igitur binae in censum nobis veniunt *orationes academicae.* Quarum altera, a. 1835 habita, quae civilem etiam Majorum historiam attingit, *de Proavorum nostrorum pietate* agit, *in condendâ tuendâque Belgii Foederati Republicâ conspicuâ.* Altera, quindecim annis post habita, ubi Academiae regundae munere iterum se abdicabat, *de commutationis*, *quam subiit Theologia seculo hoc* XIX, *viâ ac ratione* exponit (1). Pos-

---

(1) *Prior*, quae in *Annall.* exstat *Acad. Rheno-Traj. a.* 1834—1835, annotationem adjunctam habet historicam. Non item *posterior*, quae in *Annall. academicis* a. 1849—1850 (L. B. 1854), p. 57 sqq. edita comparet. — Priorem illam *de Proavorum nostrorum pietate* orationem qui accuratius cognoscere volet, valde honorificam de illâ relationem legat, proditam in Diario: *Vad. Letteroeff.* 1836. 1. p. 118 sq. Quamquam ab unâ alterâque mihi dissentiendum videtur Censoris animadversione.

terior haec oratio, quod ipsa docet inscriptio, recentissimas inquirit atque explicat doctrinae sacrae, apud Nostrates imprimis, conversiones. Quo in argumento tam scienter versabatur ac tam subtiliter Orator, ut me quidem ante editionem ex iis, quae audire me memineram, pulcra nonnulla Collegae dicta privatos in usus excerpsisse non poeniteret.

Verum eadem haec oratio *ternas* mihi in memoriam revocat *epistolas*, quas, aliquot ante annis, *de Theologiae Christianae apud Nederlandos ingressu, sive initiis ac primâ progressione,* et ad Hofstedium de Groot sibi scribendas putaverat et in eo, quod diximus, *Archivo* reponendas. Hic enim Vir clarissimus, eodem in opere ingeniosâ publicatâ commentatione, ita hoc de argumento disputaverat, ut, primo ab instauratis Sacris tempore, Patribus nostris ignotam fuisse aut certe non acceptam Calvini doctrinam statueret. Cui postea demum Exteri, ii maxime, qui in Patriam migrârant, Exsules ad Nostrates viam fecerint atque aditum. Cujus vero sententiam eâ quum humanitate refutavit, tum eruditione, ut ipse adeo Kistius, qui a Royaardsio hîc se dissentire profitebatur, ab utrâque illâ dote has commendari censeret epistolas (1).

Verum ab antiqui temporis memoriâ ad recentiora gressum faciamus studia Nederlandorum theologica. Haec igitur, quae plerique aut ignorant aut parum attendunt Exteri,

(1) Vid. *Arch. Nederlandici* Vol. II. p. 329—382. Cujus ipsius Vol. p. 121—190 Theologi Groningani praegressa erat disputatio, ad quam memoratae Royaardsii referebantur epistolae. Item conferri possunt quae hâc de quaestione idem dixit Hofstedius de Groot, in libro: *De Groninger Godgeleerden in hunne eigenaardigheid* (*Gron.* 1855) p. 212—216. Kistii judicium vid. *Vitae* H. J. R. laud. p. 441—443. — Me quid hâc de re docuerit Historia, professus sum in op. *Geschied. van de voorm. Geld. Hoogesch. en hare Hoogll.*, Tom. I. p. 64 sq. aliisque locis, in *Indice rerum* notatis, voce *Buitenlanders.*

ut aliquà certe ex parte iis innotescerent, utilissimos binos Collega paravit *Conspectus*, atque in periodico, quod omnes legunt, Ullmanni et Umbreitii opere prodidit. Alterum *scriptorum, Theologiam spectantium, academicorum, quae in Belgio Septentrionali prodierunt, inde ab a.* 1815 *usque ad a.* 1829. Alterum *scriptorum, eâdem cum disciplinâ conjunctorum, quae a Societatibus theologicis in Hollandiâ recentiore aevo sunt edita; Societatum illarum de origine et indole brevi praepositâ notatione* (1).

Doctis Nederlandorum in Sodalitiis, quorum brevem aliquam Exteris notitiam, quem memoravi, dederat *Conspectus*, insignem a multis inde annis locum tuita erat, et ut diu tueatur nostrarum Litterarum in salutem optamus, *Hagana pro defendendâ Religione Christianâ Societas.* Hujus ipsius Moderatoribus, hic etiam Parenti suffectus, Collega noster diu jam Socius adscriptus manserat intelligens ac strenuus; ubi laetum Sodalitio tempus illuxit, quo quinquagesimum suum celebrare licebat festum anniversarium. Quà igitur opportunitate sapienter usus Amicus, haud mediocriter id, quo quum maxime fungebatur, *Praesidis* munus illustravit, solenni habità Hagae Comitum oratione, quam *historicam* significanter appellavit ac verissime. Etenim *pragmaticâ* plane ratione ex temporum, quibus nata erat Societas ac succreverat, conversionibus immutatos quodammodo ejus explicat conatus ac magis magisque progressam liberalitatem. Atque haec oratio, multos nacta doctrinâ conspicuos ac dignitate Auditores, et eorum continuo calculos tulit, et, brevi post typis evulgata, ut quique intelligentissimi erant lecto-

---

(1) Prior proditus exstat *Conspectus* in op. menstruo: *Studien u. Krit. Vol.* II. 1829, p. 639—664. Alter *ibidem* Vol. VII. 1834, p. 409—475. Atque hic, Nostratibus etiam vel ad cognoscendum utilis vel ad recordandum, breviore jam praemisso *Introitu*, repositus est, *Arch.* Vol. V. p. 217—306.

res, ita maxime probantes eos habuit. Quum praesertim copiosa jam accessisset annotatio, quae et alia habebat cognitu digna, et eorum, qui jam defuncti erant, Moderatorum *Memorias*. In quibus et de Oratoris *Parente* dicta elucent et de Thomâ Hoog et de Joanne van Voorst et de Ewaldo Kist (1).

Ac postrema haec ad aliquid monendum sponte me ferunt, quod praesenti cum re conjunctum esse mox videbis. In permultis illis ac diversissimis, quas vel inquirendo persequi possumus vel scribendo, late patentis *Historiae* partibus nulla facile mihi esse videtur et ad cognitionem jucundior et ad narrationem suavior et ad imitationem fructuosior et ad omnem vitae usum uberior, quam quae versatur in *singulorum hominum*, hâc illâve virtute excellentium, *fatis* informandis et rebus gestis et vero *characteribus*. A quo certe judicio minime abhorrere Collegam et alias mihi apparuit, et ubi, non ita diu ante illius obitum, in meo forte familiariter colloquebamur privato museo. Quâ quidem mihi jucundissimâ horâ (neque enim unquam de illo ipso mihi scribendum fore augurabar) multas Virorum *laudationes*, *vitas*, *memorias*, *elogia*, quae dicuntur, ac varii generis *parentalia* ei monstrare juvabat. Quae omnia cupide eum videbam, studiose, intelligenter nec sine voluptate perlustrare et cum iis, quae ipse, locupletiore in supellectile, reposita habebat, comparare. Tum igitur de ejusmodi scriptorum, dum modo vera

---

(1) En titulum orationis, quae, adjectis Societatis Monumentis et Oratoris notatione litteratâ, in modicum excrevit Tomum: *Het Haagsche Genootschap ter verded. van de Christ. Godsdienst geschiedkundig geschetst. Feestrede ter viering van het vijftigjarig bestaan des Genootschaps, uitgespr. te 's Hage, den 23 Octob. 1835. Met aanteekk. en bijlagen; ibidem* 1836.

nec ea nimis inficete narrarent, momento historico ac pretio mihi eum plane consentientem audiebam.

Harum autem rerum quam peritus arbiter esset, vel sola satis demonstrat, quam conscripsit, Vita Guilielmi ab Enkevoirt, qui, non diu post seculi XVI initium, Cardinalis fuit, Tortosanae ac Trajectinae dioeceseos Episcopus, idemque Adriani VI, Pontificis Maximi, non *Datarius* solum, sed intimus Amicus atque ipsi adeo Carolo V Imperatori acceptissimus Aulicus (1). Quae sane *Vita*, nisi omnia me fallunt, ab iis, quibus ejusmodi scriptorum praestantia censetur, valde laudanda est dotibus. Habet enim rerum fere ignotarum subtilem indagationem, narrationis perspicuitatem atque elegantiam, tum antiqui aevi Monumentorum non editionem tantum, nunc primum paratam illam, sed item illustrationem, ex aevi illius cognitione haustam. Nec vero solum nobis cognoscendum dat Auctor Enkevoirtium atque illustriores nonnullos ejus aequales, sed ipsum etiam, quo vivebat, tempus eamque, in quâ summâ erat dignitate, Pontificis Aulam.

Minoris sine dubio fuit operae, illi praesertim, qui in nullâ non Historiae parte habitabat, Virorum, nostrâ hâc aetate de Ecclesiâ vel Republicâ litteratâ vel Patriâ bene meritorum res ac fata commode ac concinne narrare. Nec tamen ea a quoquam negligantur velim elegantissima opuscula, quibus Heusdii (2), Schröderi (3), Kop-

(1) Vid. *Archivi* Vol. IX, p. 116—232. — Annotatio, p. 186 sqq., memorabile Enkevoirtii *testamentum* reponit, non a Roy. solum illustratum, sed item ab A. C. Holtio, clarissimo Juris Antecessore.

(2) Utramque de Heusdio orationem supra laudavi. Adjici possunt quae, Magistri ejusdemque Amici tumulo adstans, flebiliter dixit multisque *privatim* distribuenda curavit, s. t. *Hulde aan* v. H., *bij zijn graf hem toegebragt. Door* A. v. Goudoever *en* H. J. R.

(3) In *Studiosorum Calendario Rheno-Traject.* a. 1846, p. 3—68.

sii (1) ac, postremo tandem vitae tempore, Baronis Van-Doornii, Capeliae Occidentalis Toparchae (2), res gestas memoriae prodidit ac merita celebravit. Haec enim *lecta placent, decies repetita placebunt.*

Sed forsitan verendum est mihi ne ab instituto aberrare videar, quum quae proxima narravi ab *Historiâ* paullo remotiora sint *Ecclesiae Nederlandicae*, de quâ singulatim quam praeclare meritus sit Royaardsius demonstrare receperam. Quamquam quae de Heusdio suo dixit, et *Historico* et *Theologiae Paedagogo*, arctiorem cum illâ conjunctionem habent, quam, quae ad eam vulgo referri videmus, alia multa. Atque in Van-Doornio ea potius laudavit, quae ad Viri illustris indolem cognoscendam pertinebant animique pietatem, quam, quae a munerum amplitudine extrinsecus illi accesserant, ornamenta.

Verum age, eo ita jam redeamus, ut quae de *Ecclesiae regundae ratione* historice tradiderit attendamus. Nam de *Juris ecclesiastici* proprie dictâ disciplinâ postmodum videbimus. Primum igitur, temporis ordinem secutis, hic nobis *Acta* in censum veniunt *Synodi Gelricae, a.* 1580 *Harderovici habitae, atque ab eâ probata ac constituta Gelriae Reformatorum Ecclesiae Ordinatio.* Haec enim, quae ederentur dignissima, et primus evulgavit Amicus et praemisso aperuit *Introitu* et animadversionibus illustravit, ubicunque opus videbatur, adjectis (3).

Sed susceptae turpiter deëssem provinciae, nisi hoc loco

Omnibus ad legendum commendanda, qui magnum illum Schröderum interius cognoscere cupient, commentatio historica.

(1) In *Societatis Leid. pro Litter. Nederland. Actis*, ad a. 1849, *Vitarum* p. 89—98.

(2) Iisdem in *Actis*, ad 1853, *Vitarum* p. 81—99.

(3) Vid. *Arch.* Vol. X. p. 161—181.

quid ac quam multa Royaardsio debeat monerem Guilielmi I, *Principis Arausionensis*, *politica Ecclesiae Ordinatio*, a. 1583 vel constituta vel certe composita (1). Gravissimo enim huic Monumento, cujus adhuc Historicorum nemo nobis copiam fecerat, primum sese praebuit Editorem. Nec vero in hoc substitit munere praestando. Neque enim doctum legere te pigebit *Introitum*, ubi de *Ordinationis* ratione, momento, fatis accurate ac copiose disputat. Ne de utilissimâ dicam *collatione*, quâ singulos illius locos cum eâ comparat Auctor, quae eam a. 1591 excepit, sacrae Nostratium Societatis *Informatione legali*. Tandem, ne quid disputationi deësset, cumulus accessit, quae non minorem a diligentiâ laudem habet, comparatio cum *Medioburgensi*, quae biennio ante nata erat, ejusdem Ecclesiae *Ordinatione*.

In tanto ac tam largo scriptorum, quae extulit, proventu est nobis properandum. Quo circa et ea praetereo, quae *de conservatis* refert *Synodi Dordracenae Actis ac Postactis*, et, eodem fere *Archivorum* loco, *de Drenthinae Ecclesiae, quod Reipublicae tempore fuit, regimine* (2). — Verum quum multa tristia nec pauca turpia *universa* contineat, quâ late patet, Historia, ejusdemque fati consors sit, eheu! *Ecclesiae patriae* Historia; si quae laeta habet Patribusque honorifica, haec minime sibi negligenda putavit Royaardsius. Neque enim eorum instar erat male sanorum hominum, qui, nescio quâ mentis perversitate abrepti, hoc in agro vepres tantum spinasque quaererent, flores non curarent nec, si quae erant, viridaria. Laeta igitur eaque et Nederlandiae et Africanis ejus Colonis honorifica, nec ea vulgo nota, in memoriam nobis revocat gravissima Collegae narratio, quae

---

(1) Nederlandice: *De Staats-kerkorde van* Willem I, *Prins van Oranje, in* 1583. Quod ipsum Monumentum *ex Cod. ms. sese edidisse atque historice tractâsse* profitetur, *Arch. Nederl.* Vol. III, p. 305—384.

(2) Vol. IX. p. 528 seq. et p. 530 sqq.

hanc fere habet inscriptionem: *Africae Meridionalis Reformatorum Ecclesia Nederlandica, in Bonae Spei Promontorio constituta. Ubi illius Ordinatio spectatur hujusque cum Nederlandicâ conjunctio* (1). Quâ ex accuratâ narratione *Capensem Africae Ecclesiam*, cujus nullo olim communi vinculo socii continebantur, hoc nostro demum seculo ita paullatim ordinatam esse comperimus atque aequis temperatam legibus, ut ubique quantumpote fundamenti atque exempli loco *Nederlandicae Ecclesiae Ordinatio* poneretur, *anno* 1816 sancita. Quamquam earum etiam legum, quae hâc ex Ordinatione postea in Patriâ paullatim exstiterant, prudenter rationem habuerunt Fratres Capenses. Atque haec omnia eo ipso gesta esse tempore tradit, ac Monumentorum, quae reponenda curavit, fide et auctoritate comprobat Historicus, quum Nederlandorum hanc Coloniam sibi vindicârant suoque imperio subjecerant oceani Domini Britanni. O! singularem amoris constantiam, quâ, his ipsis invitis ac reluctantibus, antiquam Patriam ejusque Instituta complecti perrexerunt Colonorum nepotes! (2).

Sed alia videamus, Patriae honorifica, quae *sacrâ* ejus ex *Historiâ* opportune selegit retulitque Royaardsius. Ejusmodi igitur sunt quae, *primo* jam *Archivi Volumine*,

---

(1) Nederlandice ab Auctore *spectata* dicitur: *in haren kerkregtelijken toestand, vooral in betrekking tot Nederland.* — Exstat haec narratio eique adjuncta Monumenta in *Nederl. Arch.* Vol. VIII, p. 273—368.

(2) Comparari quodammodo potest quod in Nederlandicis factum esse novimus Indiae Occidentalis Coloniis *Demerariae*, *Essequebonis* ac *Berbices*. Quibus posteaquam iidem potiti erant Britanni, pleraeque ibi Nederlandorum leges judiciariae vigere perrexerunt eorumque singulatim, quae dici consuevit, *Methodus procedendi.* Vid. ampl. M. C. van Hall opusculum: *Mr.* J. van der Linden *en* *Mr.* J. D. Meijer, *als Regtsgeleerden herinnerd; Amst.* 1853, p. 19 sq. et 52 et, quem laudat, Meijerus, *de la Codification,* p. 137.

antiquo quodam prodito atque illustrato q. d. *Tractatu*, de forti docet ac feroci animo, quo, seculo XVI, saevam Hispanorum *fidei Inquisitionem* nostri sustinuerint Majores (1). — Dubitasne forte, num παθόντες συμπάσχειν hi didicerint cives? Legas igitur, quo certius veriora docearis, quae de hospitalitate tradit, quâ suos ad lares Joannem Migault admiserint, Reformatae fidei socium, quem, post antiquatum edictum Nannetense, ex patriâ Francogalliâ huc profugere coëgerant Ludovici XIV satellites immanes (2). — Sed haec si ad unum aliquem hominem pertinebant, quamquam attentione nostrâ dignissimum illum ac misericordiâ; nulla satis gravia mihi verba suppetunt, quibus pro rei dignitate Historici nostri narrationem legendam commendem de paternâ fere curâ ac benevolentiâ, quâ, primo maxime post abrogatum, quod diximus, edictum Nannetense quadriennio, universam *Valdensium* gentem nobilissimam, miserrimo extra patriam exsilio vagantem, *Nederlandiae* et populus complexus sit et supremi Magistratus. Ex horum ipsorum enim decretis aliisque ex fontibus archetypis ea ab illo relata videbis ac reposita, quae, quamvis multa de Valdensibus a plurimis prodita scriptoribus audie-

---

(1) *Arch.* Vol. I, p. 253—282, hâc inscriptione illius exstat commentariolum: *Bijdr. tot de geschiedenis van den Nederl. Volksgeest in de XVIde eeuw, tegenover de Spaansche Inquisitie.*

(2) Vid. *Arch.* Vol. VI. p. 225—258; ubi ipsum etiam *Martyrem* (sic enim jure dici poterat Joannes ille Migault) suis de fatis flebiliter narrantem audimus. De eodem cf. ejusdem *Arch.* Vol. VIII. p. 429—432; ubi quomodo, Embdae degens, terrestri ex vitâ excesserit Migaltius relatum legimus. Cujus quidem, quam memoravimus, narratio antea jam ab aliis et Francogallice et Nederlandice erat edita, sed parte aliquâ truncato ex exemplo. Plenius autem aliud nactus erat R., donante Migaltii Nepote W. H. Houël, tunc Theol. Stud., jam Sacrorum apud Nieuportenses Antistite. Quod igitur ita expressit ille, ut integra nunc exstaret suisque partibus absoluta narratio.

ris, nusquam tamen tam concinne digesta ac tam lucide informata legere potueris (1).

Parum profecto abest quin plane me obruat minorum, nec vero levium, quibus nostrae singulatim Ecclesiae Historiam ornavit, scriptorum copia ac varietas. Quorum quam multa eaque quam diversa jam recensuimus! Nec dum tamen ullam commentationis me mentionem fecisse video, quâ *litem* illustravit *dogmaticam*, quam, a. 1724—1727, factam esse novimus Bernardum Sebastianum Cremerum inter, Theologum Gelricum, et Johannem Wesselium. Quâ ipsâ commentatione dissensionibus ac concertationibus, quas Roëllii pepererant doctrinae, novam aliquam allatam esse lucem nobis constitit (2). — Verum, his missis, quam indefessâ nec unquam remissâ industriâ, ad extremum vitae veluti halitum, in diversissimis Historiae, de quâ agimus, partibus explicandis perrexerit Amicus animum advertamus. En Tibi *alterum Novi Archivi Volumen*, quod, defuncto jam Royaardsio, solus edidit illiusque vitâ conscriptâ terminavit Kistius. Cujus ipsius Voluminis ut primum *Indicem* inspexeris, tres ad illud eum symbolas contulisse videbis, quae, argumenti temporisque, quod attingunt, varietate, in nullâ agri, in quo quum maxime versamur, parte aut angulo hospitem eum fuisse novis demonstrant exemplis. Prima, *Cluniacensium Ordo utrum in ipsam etiam venerit Nederlandiam*, aut ibi certe auctoritatis quid

(1) Vid. *Novi Hist. Eccl. Archivi.* Vol. I. (quod omnium ultimum una clarissimo cum Socio editioni paravit ipse Royaardsius), p. 177—310.

(2) V. *Arch.* Vol. VIII. p. 419—428. Quibuscum conferri possunt quae de Cremero ejusque adversariis narravimus, *Acad. Gelr. ejusque Proff. Hist.* Tom. II. p. 76—84.

habuerit, inquirit (1). Ubi hoc imprimis in disceptationem veniēbat, utrum *Rhenoburgensem* singulatim *Abbatiam* aliquamdiu illorum obstrictam tenuisset *Regula.* Quod affirmârat Schotelius, Vir talium rerum intelligentissimus; non contemnendis allatis argumentis in dubium revocat Collega. Ita tamen ut, quâ erat prudentiâ, incerti quid hîc remanere satis aperte significaret (2).

Quae ibidem proxime sequitur, ejusdem symbola ad historiam pertinet paratae seculo XVII a Nostratibus C. S. Interpretationis, adhuc publico Ecclesiae nostrae usu receptae, quam vulgo *Statuum Gen.* appellant *Versionem.* Hanc quidem rem ita Hinlópenius illustraverat post eumque Heringa, ut novae lucis afferendae vix aut ne vix quidem locus relictus esse videretur. Verumtamen ex Ludovici Gerardi à Renesse, cui una cum Sociis *retractanda* incubuerat Versio, Commentario et Annotatis ea retulit Amicus, quae illorum cum narratione comparare est operae pretium. Quum praesertim, ut alibi saepe, ita hoc loco, *Monumentorum* Tibi fontes plenius, quam adhuc factum erat, aperiat (3). — Quae laus in tertium etiam convenit, quod ul-

---

(1) Sic, ni fallor, brevior commentarioli est intelligenda inscriptio. Exstat illud *Novi Arch.* Vol. II. p. 217—230.

(2) Collegae nostri cum commentatione conferenda sunt quae, post iam lectam, eâdem hâc de quaestione monuit doct. R. C. H. Römer, in Append. XI ad eruditam disp.: *Geschiedk. Overzigt van de Kloosters en Abdijen in de voorm. Graafschappen van Holland en Zeeland;* P. II, p. 241 sqq. (*Soc. Leid. pro Litterat. Nederl. Opp. novae Seriei,* Tom. VIII). Qui, a Royaardsio non plane dissentiens, nondum satis illustratam esse quaestionem existimat.

(3) Vid *ibidem,* p. 231—238.

Hâcce datâ opportunitate monere juvat eundem, qui h. l. antiquioris C. S. *Intrepretationis* historiam attigit, Royaardsium *Consilii* Auctorem esse, quod, *de novâ S. S. Versione Facultatum* judicia expetente Synodo, Theologorum dedit Ordo Rheno-Trajectinorum. Quod, ipso suadente ac curante, hâc editum est inscriptione: *Advies der theol. Fac.*

timo hoc totius operis Volumine continetur, Amici commentariolum. Quod, utinam! ne *ultimum* nobis dicendum fuisset! De *Sacrorum* hic agitur *in Nosocomiis Antistitibus, quos Nederlandorum habuit habetve Ecclesia* (1). Quod si cui forte levius esse videatur argumentum, non valde mirabor equidem. Enimvero Medii Aevi Pontificiorumque ex usu ac consuetudine quam scite muneris, de quo quaerebatur, rationem illustret cognoscas velim. Quo facto non nulla certe, quae, utut scitu digna, Tibi non magis, quam mihi, cognita essent, Te didicisse fateberis. Atque universe fit subinde ut *Pictoris* ars ac peritia magis etiam in exiguis ac minutis, quas informet, rebus eluceat, quam in magnis atque illustribus.

Tot igitur illius sunt, quot brevissime recensuimus, diversi generis scripta ac disputationes, quibus quam plurimos *Ecclesiae patriae in Historiâ* locos illustraret ac capita. Idque ita, ut pleraque *nunc demum*, ut par erat, exposita esse viderentur. Verum palmare hic ac princeps illius Opus est, quo *introductae in Nederlandiam ibique*, Wilfridi, Willebrordi, Bonifacii aliorumque operâ, *stabilitae Religionis Christianae historiam* enarrat. Quem librum, hono-

---

van Utrecht, betrekkelijk de medewerking aan eene nieuwe Bijbelvertaling etc.; *Traj. ad Rh.* 1853. Quae enim suo plane de judicio scripserat ille, iis praefatiunculam solum, eo rogante, praemisit cl. Vinkius. Reformidabat nimirum, quem lugemus, Vir prudentissimus ne, alieno tempore susceptum negotium, quamvis per se laudabile, novas in agitatâ vehementer ac concussâ Ecclesiâ turbas excitaret et altercationes et *χείρονα σχίσματα*.

(1) Vid. *laud. Vol.* p. 309—347. De iis ibi agitur, qui vulgo Nostratibus audiunt *Gasthuispredikers*.

rifico ornatum praemio, suis in Operibus edendum curavit *Regii Instituti*, quod tunc erat, *Nederlandici Classis secunda*. Quâ probante *Classe*, eum bis deinceps suo Marte iteratis frequentavit editionibus Auctor. Atque hâc in re quam diligentissime eum versatum esse nobis constitit; quippe qui tertiae adeo editioni novis curis expoliendae atque augendae plurium denuo mensium operam sese tribuisse affirmet (1). Ac vere hoc eum dixisse hujus cum prioribus editionibus evincit comparatio. Ubi hoc unum forsitan dolendum est, quod, quae in *Instituti* editione praecipuos excerpserant narrationis fontes, *Analecta historica*, ea nunc exclusa sunt. Caeterum magno consensu praedicârunt Opus atque ut *classicum* laudârunt librorum Censores aliique Viri docti, nec ii cives solum, sed item exteri. Quorum non nulli si quaedam exceperant, horum animadversionibus, ubi librum retractabat, modo prudenter morem gessit Auctor, modo gravissima reposuit argumenta (2). Nec dubitandum

(1) Nederlandice est inscripta commentatio: *Geschiedenis der invoering en vestiging van het Christendom in Nederland. Eene door de 2de Klasse van het Kon. Nederl. Instituut — bekroonde prijsverhandeling;* et *Traj. ad Rh.* et *Amst.* 1842. Eodem enim hoc anno altera editio *illîc* formâ comparuit *octavâ* (pp. 372), quo *hîc* prima praecesserat *quartâ* formâ (pp. 472), *Instituti Regii Class.* II. in *Opp. Vol.* VII. — Tum tertiam subjecit editionem Auctor; *Traj. ad Rh.* 1844, ita auctam illam, ut, sepositis jam *Analectis hist.*, pp. remanerent 414. Cujus ed. ex praefatione nonnulla hausimus supra allata.

(2) Impense librum laudavit Crednerus, in Ephem. *Neue Jenaïsche A. Lit. Zeit.* 1842. N°. 237 sqq. Ita tamen, ut, quae de priscâ *Ethnicismi* hâc in Patriâ conditione dicta erant, ea *conjecturas* potius continere contenderet, quam *historiae* veritatem. Cui vero Critico clarissimo quae reposuerit R., curabis ut ex tertiâ cognoscas disp. editione. Credneri hanc censuram videbis conversam in Eph. *Konst- en Letterbode*, 1843, N°. 17—19. Verum majorem etiam ab eruditione commendationem censura habet, quam Civis noster anonymus, nec tamen obscurus ille, D. Ephemeridi inseruit: *Vad. Letteroeff.* 1842. 1. p. 663—

est quin his aequalium laudibus sit assensura posteritas. In longe difficillimâ enim hîc versabatur Historiae parte, ad cujus dispellendas nebulas tenebrasque lyncei non raro requirebantur oculi. Ac dictu incredibile est in excutiendis, judicandis, in frugem convertendis *Chronicis*, *Bullis*, *Martyrologiis*, *Sanctorum Actis* aliisque Medii Aevi Monumentis quam admirabilem et assiduitatem posuerit et constantiam et solertiam et doctrinae copiam (1). Quo facto arduam hanc, si quae alia, disquisitionem ad exitum adduxit, vel certum et exploratum, vel, ubi hic per testimoniorum defectum pugnamque attingi non poterat, probabilem saltem ac veri tam similem, ut magis expeditum inveniri vix potuisse fatereris. Et vero, quod mihi certe vel maxime probandum videtur, in Ecclesiae hîc fundatae ac stabilitae natalibus explicandis non *hominum* solum conatus attendit fideique, quo Wilfridus aliique ferebantur, ardorem, sed *Dei* O. M. providam manum gratus agnoscit ac curam praesentissimam (2). Ad quam disquisitionis, ingeniosae pariter

---

675. Qui Censor doctissimus, quamvis singulorum locorum in reprehensione non parcus, universum tamen Opus *classicum* dicere non dubitat. — Ego quidem honorifico admodum judicio plane subscribo, quod de commentationis et pretio historico et stilo nuperrime tulisse video Buskenium Huet, in Colanii *Revue de Théologie*, VI. 2. *Fevr.* 1855, p. 109.

(1) Quam multos hîc adierit Fontes et quâ prudentiâ in difficillimo eorum judicio versatus sit, est operae pretium ex ipso cognoscere, ed. 3 p. 13. — Nec Te legisse poenitebit quae, pag. 340 seqq., adversus eos monet, qui, spretis testimoniis, ex suo quisque ingenio rerum olim gestarum *construere* student historiam. — Me imprimis loci adverterunt, alios ne memorem, pulcherrimi, ubi, vel vix imitabili orationis velocitate Rel. Christ. de Ethnicismo pingitur triumphus, p. 22—36; — vel Bonifacii ac Willebrordi comparantur merita, p. 246 sqq.; — vel de ratione, quâ ad Christum converterentur Ethnici, disputatur, p. 329 sqq.

(2) Cujus curae luculentissimum produnt exemplum quae, laud. ed.

ac doctae, subtilitatem et pietatem ipsius narrationis perspicuitas accedit ac nativa quaedam gratia, *simplex munditiis* illa, quae non doctos solum, sed indoctos etiam blande allicit lectores. Quocirca quos, historico quidem in genere, huic aequiparem perpaucos invenio libros, quos praeferam vix ullos.

Huic, de quâ diximus, commentationi proxime connexum est ejusque continuat, ipso teste Auctore, argumentum, quod ei subjecit Opus atque inscribendum curavit: *Religionis atque Ecclesiae Christianae in Nederlandiâ constitutae per Medium Aevum deducta Historia* (1). Bina enim, quae edita comparuerunt, hujus Operis Volumina rerum patriâ in Ecclesiâ gestarum telam, quo loco a laudatâ deposita erat commentatione, narrando eam suscipiunt, per septem octove, quae deinceps secuta sunt, secula continuant, atque ibi demum apte terminant, ubi, seculi XVI parte posteriore, eâ, quâ adhuc utebatur, auctoritate primum defraudatum videmus eundemque ultimum late patentis Rheno-

---

p. 127, de Wilfrido dicuntur, per tempestatis vehementiam in Frisiam delato.

Quod reliquum est, ne justas hîc repetam laudes, quas, *orat. parent.* p. 26, Diestii Lorgion dedi commentationi; nunc etiam dignum est quod consulatur B. Glasii Opus: *Geschiedenis der Christ. Kerk en Godsd. in de Nederlanden vóór het vestigen der Hervorming* (L. B. 1833 sqq.), Tom. I. ab initio.

(1) *Geschiedenis van het gevestigde Christendom en van de Christelijke Kerk in Nederland, gedurende de Middeleeuwen;* Traj. ad Rh. 1849. 1853. pp. 364 et 524. — Caeterum ad commodiorem Operis usum id omnino conducet, ut, praeter argumentorum locorumque *Notationem*, quam utrique subjecit Auctor Volumini, *separatim editus* a Lectore consulatur *Index* (*Register*), quem paravit doct. S. A. J. de Ruever Groneman; Traj. ad Rh. 1854; pp. 35.

Trajectinae Dioeceseos *Archiepiscopum.* Totum quidem Operis argumentum binis concludere voluerat Tomis. Verum consilium mutare coëgit illius, quae tractanda succrescebat, materiae ambitus atque ubertas. Iccirco quae ad temporum illorum *doctrinam* pertinebant ac *cultum sacrum* et *disciplinam ecclesiasticam* aliaque cum his conjuncta *tertio*, quod subjicere cogitabat, *Volumini* reservare decrevit. Cui etiam eidem Volumini historiam earum destinaverat Nederlandiae Ecclesiarum, quae *Rheno-Trajectinis* non paruerant Episcopis (1). Vel sic tamen bina, quae jam edita erant, Volumina integrum aliquod Opus continere affirmat, suis partibus absolutum illud (2). Certe, quod antea, quam gravissimum plene exsequi potuisset consilium, humanis est rebus ereptus Historicus, maximam fecit jacturam ipsa, in quâ vitae tabernaculum posuerat, Historia. Verum, sive quis absolutum hocce Opus dicat, seu inchoatum; nunc etiam sicuti se habet, *Monumentum* Auctori *exegisse* censendum est *aere perennius.* Quod sane quo accuratius aequales legerint ac posteri, eo minore cum dubitatione Scholtenio (3), Delpratio (4), Buskenio Huet (5) aliisque assentient Viris doctissimis, qui eodem hoc, quo praecedens, complexi sunt judicio honorificentissimo. Nam ego certe, quascunque priori illi tribui laudes, cum hoc eas communicandas censeo. Difficillimum enim argumentum si *introductae in Patriam Christianae Religionis Historia* habebat; non minora *hîc* sibi superanda vidit obstacula atque impedimenta temporum In-

---

(1) Non contemnendo numero eas fuisse Ecclesias, ex accuratâ apparet earum notatione, Tom. I. p. 92—100.

(2) Vid. *praefatio*, Vol. I. p. XVIII et Vol. II. p. IX. X.

(3) *Vitae* laud. p. 59.

(4) Vid. accurata hujus censura, in Nyhoffii *Bijdragen voor vad. Geschied. en Oudheidk.* VIII. 2. p. 31 seqq.

(5) Vid. cens. laud.

terpres. Quum praesertim latius etiam pateret ac longe magis composita esset et implicata, quae nunc commentanda incumbebat, rerum copia et varietas et multitudo. Hoc vel ex uno satis apparebit *Monachorum* negotio ac *Monialium*, quod ipsum diu suspensum tenuisse atque incertum, testante novimus Glasio (1). Nam de singulis quidem non nullis, qui Medio q. d. Aevo hâc in Patriâ viguerunt, *Monachorum ac Canonicorum Ordinibus* plures fuerant qui probabiliter monerent ac disputarent. Sed horum, quotquot erant, Ordinum natales, conjunctiones, affinitates, aemulationes, studiorum diversitatem atque *universam* adeo in Patriâ *rem monachicam* innumeris ex fontibus eruere et explicare; id *Herculei* plane, quem nemo adhuc susceperat, *laboris* pensum erat. In quo igitur, quamvis difficili, pertexendo penso, quâ constantiâ atque eruditione, eâdem universe felicitate plures vitae annos quam utilissime consumsit Royaardsius. Atque hoc exempli solum caussâ dico. Neque enim in plerisque aliis difficillimae disquisitionis partibus vel minore versatus est perseverantiâ vel minus explorato atque exoptato disquisitionum exitu. Tum ipsam, qualem eam nostri sunt experti Majores, *Hierarchiam* ejusque progressum, incrementa, pessimas artes, pestiferos effectus eâ depinxit prudentiâ, eo repraesentavit stili acumine, quasi aequalibus nostris, coeco subinde temporum illorum amore abreptis, disertâ voce: *Haec vero Vos vestigia terreant*, voluisset acclamare. — Et

---

(1) Vidd. quae ex dilectissimi Praeceptoris, a quo magni fiebat, dictis retulit, l. l. p. 18. Verum imprimis perpendenda quae de hujus argumenti *difficultate* ipse monuit R., *praef.* Vol. I. p. XVIII, Vol. II. p. VI—VIII. De *gravitate* si quis forte dubitet, haec audiat alibi scite docentem Historicum. »*Quae magna moliebantur,*" inquit, »*hujus aevi* »*homines, a* Monachis *fere sunt repetenda. Praecipui Theologi, Missio-* »*narii, Hierarchiae statores et vindices, Pontifices, Haereticorum adversarii,* »*ex iis prodierunt.*" *Comp. Hist. Eccl.* I. 215 sq.

vero, quod eâ pietate decebat Historicum eundemque Theologum, Providentiae Divinae, quamvis multa per secula mortalium perversitate coelestem Euangelii lucem obscurari permittentis, sapientiam benignitatemque strenue tuendam curavit ac prudenter celebrandam. — Tandem, quas in superiore Collegae opere laudavi *narrationis*, ex subtili rerum inquisitione profectae ac manantis, virtutes atque elegantiam, sunt hae dotes, eodem aut majore etiam modo, vel utrique vel posteriori certe hujus *Medii Aevi Historiae* Volumini tribuendae (1). Quocirca quod, ante hoc triennium et quod excurrit, ipsi coram dixi, jam proh dolor! defuncto, Collegae, nunc publice id profiteri non dubito, *alterum* maxime hujus Operis *Volumen* me omnium praestantissimum doctrinae artisque, quâ valebat, historicae testimonium habere ac documentum.

---

(1) Sunt quidem quae in stili orationisque conformatione minus laudanda putaret Tomi I Censor in Eph. *Waarh. in Liefde*, 1850. 3. p. 573 sqq. Nec tamen locos deësse, qui ab hâc quoque parte habeant commendationem, mihi assentiet, confido, Vir clarissimus.

In locis, ubi disputationis historica subtilitas ac philosopha cum dilucidâ ut plurimum orationis perspicuitate pulcre conjuncta cernitur ac nitore, haec, alia ne memorem, numeranda censeo. Quaecunque, ineunte Vol. I. p. 1—40, id agunt, ut in rerum gestarum veluti theatrum lectorum transferantur animi; — deinde quae, *ibidem* p. 238 sqq., de expeditionum cruciatarum dicuntur effectibus. — *Alterius Volum.* et alii multi loci perpendantur et hi non ultimi: narratio de Dioeceseos Rheno-Trajectinae, quod a. 1423—1457 exstitit, *Schismate*, p. 70 sqq.; — de Philippo Burgundico, p. 97 sqq.; — de seculari Episcoporum Rheno-Traj. potestate, p. 104 sqq.; — de historiae monachicae sec. XIV—XVI progressione, p. 501 sqq. His aliisque locis si pauca forsitan orationis in conformatione reprehenderis; at multis haec, si quae sunt, stili vitia compensantur virtutibus, in quibus non ultima grata quaedam est ac plane Heusdiana dictionis negligentia ac nativa simplicitas.

Id, de quo proxime diximus, Opus *Rheno-Trajectinorum* imprimis Episcoporum, quorum vel sacro imperio vel civili maxima suberat pars Nederlandiae, res explicabat eorumque ultima etiam fata memorabat atque ea tempora, quibus factum est, ut, illuscescente jam novâ Ecclesiae aerâ, quam adhuc utcunque tuiti erant, eâ plane privarentur dignitate. Late patentis autem hujus ac nobilissimae Dioeceseos meditullium fuisse novimus ac metropolin urbem *Rheno-Trajectinam*. Proximum igitur hoc sibi incumbere pensum ratus est Collega, ut illâ ipsâ in civitate quomodo, seculo XVI, paullatim instaurata essent Sacra, penitius, quam adhuc factum erat, inquireret ac disertius pleniusque declararet. Ex quo illius sensu ac judicio pulcherrima exstitit Narratio, quam primum in *Archivo* particulatim reposuit, postmodum, in unum coacta Tomum, hâc edendam curavit inscriptione: *Instauratorum Rheno-Trajectinâ in civitate Sacrorum Historia. Accedit de orto ibidem Reformatorum Coetu Wallonico Symbola* (1). Diu jam erat, ex quo multa colligere ipsi contigerat, manu imprimis scripta, Monumenta, quae faustam illam illustrabant natali suâ in urbe ejusque Agro rerum conversionem. Atque aliquot ante annos multas eum horas illius in curiâ commorari solitum esse, narrante ipso, novimus, ut ex publicis, quae ibi deposita erant, *Archivis* ea his de rebus et resplsceret et diligenter excerperet, quibus quae ex suis jam hauserat Monumentis confirmari possent

(1) Exstat hoc *Historiae Periculum* (sic enim nimis fortasse modesto titulo priore appellatur editione) *Arch. Nederl.* Vol. V. p. 349—457, Vol. VI. p. 145—288, Vol. VII. p. 209—292; continuo subjectâ, p. 293 sqq, *Symbolâ de Coetu Wallon.* supra memor. Seorsum edita dicitur Narratio : *Geschiedenis der Hervorming in de Stad Utrecht* etc. L. B. 1847. Ubi, una cum Symbolâ, pp. implet 346 f. 8 maj. — Quae de libri commentatione dixi ac ratione, ea partim Kistii ex monitis, partim ipsius Auctoris ex dictis hausta sunt.

ac locupletari. Quibus ex fontibus tam multa nova protulit atque ignota, ut, vere monente Kistio, quae de *Regionis Rheno-Trajectinae* Reformatione jam paraverat, simili modo eum commentare non potuisse ac publicare, valde dolendum sit.

Atque haec, quamvis tenuia, de insignibus, quibus *Nederlandicae* singulatim *Ecclesiae Historiam* ejusque amatores sibi devinxit, meritis dicta sufficiant. Quae ipsa merita si *immortalia* dixero, non dissensuros, quorum judicio plurimum tribuo, posteros me habiturum esse confido.

Magnâ sane argumenti diversitate a se invicem sejuncta sunt *Patristica* et *Jus ecclesiasticum.* Id tamen commune habent, quod cum *Christi Societatis Historiâ* tam arcte connexa sit utraque, ut neutrâ ignoratâ haec sibi constare possit nominisque tueri honorem. Quocirca sibi non committendum duxit Amicus, ut alterutri vel academicâ deësset institutione vel scriptorum editione. Utrique enim singulares easque non raro repetitas dedit Scholas, quae quantopere melioribus certe profuerint Auditoribus, luculenter eorum constat testimoniis. Verum in hâc non acquiescens operâ, *Patristices,* ut priorem hanc attingam, studium utilissimo facilitavit adminiculo, *in usum lectionum academicarum*, binis Partibus editâ *Chrestomathiâ Patristicâ* (1). Quarum prior *Selecta* continet *Apocryphorum et Patrum de Christo et Apostolis*, *item Patrum Apostolicorum;* posterior *Selecta Patrum Ecclesiae Graecae*, id est et Alexandrinae et Antiochenae. *Tertium* enim adjiciendi *Fasciculum*, *Patrum Latinorum Selecta* con-

(1) Pars I, *Traj. ad Rh.* 1831, 12 et 96 pp.; P. II, *ibidem*, 1837, pp. 16 et 179. De posteriore hâc refertur in *Theol. Literaturbl. z. A. K. Zeit.* 1838, N°. 128; sed tam tenuiter, ut nihil mihi hâc ex relatione excerpendum putarem.

tinentem, quod professus erat, consilium exsequi non potuit. Hâcce autem proditâ Anthologiâ id se spectâsse affirmat, *ut ipsorum Patrum eorumque, quae ediderunt, scriptorum aliquam sibi notitiam compararent Theologiae Studiosi horumque cum argumentum, tum formam cognoscerent* (1). Ad quod ipsum consilium locorum, quos excerperet, et delectum et consecutionem prudenter attemperâsse mihi videtur. Atque alterius maxime Partis praefatio, quos compellat, Discipulos gravissimis impertit monitis, ad utilissimum *Patrum* studium et incendendum et moderandum eximie comparatis.

Sed plura ei scripta debemus, optimae frugis illa, quibus *Juris Ecclesiastici* vel amorem aequalium in animis excitare conatus est, vel doctrinam eorum in usus illustrare. Quibus in scriptis quae ipsâ cum *Historiâ* conjunctiora erant, ea supra jam recensuimus. Verum alia sunt, quae, si, sicuti par erat, laudare non possumus, breviter tamen hoc loco memorare oportet. Quo igitur primum *oratio* referenda est, a. 1849 ad *Instituti Regii* Socios habita ac postmodum publicata, quae, varii generis allatis argumentis, ejusmodi esse probat eam, de quâ dicere incepimus, *disciplinam, quâ academica carere non possit nec debeat institutio* (2). Unde quantopere hanc curae cordique haberet doctrinam, ac quam acute ejus vim et ambitum et momentum perspiceret omnibus apparuit.

Verum non doctorum solum museis doctrinaeque subtilitati, sed Christi Ecclesiae, sed Protestantium incolumitati juribusque tuendis et alia et haec sua studia volebat in-

(1) Vid. P. I. *praef.* p. 8.

(2) *Het Kerkregt als Wetenschap, ook voor het akademische onderwijs. Voorl. gehouden in de* 3de *Klasse van het Kon. Ned. Inst.* Reposita comparet oratio in Opere: Den Tex *en* v. Hall; *Nederl. Jaarb. voor het Regt;* Vol. XI. P. 1.

servire (1). Quod diu ante jam luculenter demonstràrat, binis commentatis atque a. 1829 et 1831 publicatis in *Archivo* disputationibus, quibus *recentiora, Romae cum Papâ inita, quae adhuc valent, Concordata Europaea, item Concordati Bullae, cum Nederlandicis comparantur* (2). Magnam hac produnt disputationes Auctoris eruditionem historicam. Pari cernuntur quum candore et παῤῥησίᾳ, tum prudentiâ ac liberalitate. Regibus enim ac Populis quot et quanta mala *Concordata* minitentur, pestifera Hierarchiae Papalis instrumenta ista atque adminicula, ipsâ duce demonstrant ac magistrâ *Historiâ.*

Verum haec generaliora erant, ad eum certe modum, ut non solam Auctoris spectarent Patriam. Aliud autem scripsit Opus ac binis deinceps Partibus edendum curavit, quod nostrae singulatim Ecclesiae cum rebus legibusque conjunctum est. Cujus en Tibi inscriptionem: *Jus Eccle-*

---

(1) *Non Scholae, sed vitae.* Quod dicere consueverat ipse; teste Oosterzéo, l. l. p. 175.

(2) Nederlandice inscriptae sunt disputationes (quae exstant *Arch.* Vol. I, p. 283—334, et Vol. III. p. 667—750): *Vergelijking der nieuwere, thans in werking zijnde Europesche Concordaten en Concordaats-Bullen, met die van Nederland.* — Prior disputatio quum a Viro docto Germanice conversa esset, hujus monita non nulla alterius disputationis in usum se contulisse docet Auctor. Utinam symboli semper meminerint omnes, quod interpretationis exstat in fronte: *Concordiren heisst Verlieren!* — Verum monendi sunt lectores ut utrâque hâc cum Royaardsii disputatione tertiam comparent, a. 1841 ab eo editam, doctam etiam ipsam ac copiosam, quae inscribitur: *Epistola ad cl.* Den-Texium, *quae ad juridicas hujus quaestiones refertur de Concordato Nederlandiam inter et Papam Romanum.* Cui epistolae, quae Viri sibi amicissimi sententiam humaniter refutaret ejusque in Ephemeride collocaretur, (*Regtsgeleerd Bijblad tot de Nederl. Jaarb. voor het Regt*, Vol. III. p. 249 sqq.) aptam sane tesseram adscripsit: *Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica Veritas.*

siasticum hodiernum, *quod apud Nederlandiae valet Reformatos* (1). Cui Operi hoc propositum erat consilium, ut Nederlandicae Reformatorum Ecclesiae universa *Ordinatio*, quae a. 1816 sancita, a. demum 1852 partim abrogata est, partim vehementer immutata, haec igitur ut accurate describeretur, ac singulae deinceps, quae hinc exstiterant, leges atque instituta, in suos quaeque locos distrubuta, non reponerentur tantum, sed item, sicubi opus videbatur, exponerentur. Quo de libro non est quod multa dicam. Mihi quidem, ut primum eum cognovi, sed puto aliis etiam intelligentioribus, iis se probavit praestantiae dotibus, a quibus ejusmodi jure commendantur *Enchiridia*, justo rerum delectu ac dispositione, concinnitate, perspicuitate, brevitate. Diu jam divenditis Operis, in quo adornando multum temporis atque industriae collocârat Auctor, exemplis, tum mutatâ anno 1852 Ecclesiae conformatione, nova prorsus requirebatur illius editio. Ad quam igitur curandam ac praesenti rerum conditioni adaptandam omnia jam paraverat Collega, quum hoc etiam consilium irritum, eheu! fecit necopinatus ejus, quem lugemus, abitus (2). Nec tamen plane jam antiquatum quisquam librum habeat velim atque obsoletum. Neque enim eam, quam nunc partim peperit, partim parturit Ecclesia, novam *Ordinationem* recte intelligere poterimus ac judicare, nisi probe perspectis, quae vixdum abrogatae sunt aut immutatae, legibus atque institutis. Ad haec vero penitius

---

(1) *Hedendaagsch Kerkregt bij de Hervormden in Nederland. Een handboek voor akad. lessen*, *alsmede ten gebruike van Predd. en leden van Kerkel. Vergaderingen;* Traj. ad Rh. 1834. 1837. II Tomis. Pp. 261 et 448. — Ab ordinis concinnitate, perspicuitate, plenâ argumenti expositione summo jure laudat Opus Censor doctissimus, qui de Tomo I singulatim lectu digna refert, in Eph. *Vad. Letteroeff.* 1835. I. p. 24 sqq.

(2) Conferri possunt quae *parentalem ad orat.* notavimus, p. 33.

cognoscenda nullo certiore utemur nec commodiore duce, quam Royaardsio (1).

Id jam egimus, quod praecipuum huic scriptioni propositum erat consilium (utinam quodammodo certe pro argumenti dignitate peragere contigerit!), ut qualis et quam

---

(1) Leve videbitur prae illis, quae audivimus, quod nunc hujus loci ad finem monebo. Quod si brevissimâ hâc attingo *annotatione*, ideo me facere scias, quo luculentius appareat, in vitâ quamvis occupatâ, nullam eum de disciplinâ, quam in deliciis habebat, bene merendi temere neglexisse opportunitatem. Pluribus igitur, quae vario in genere ad eam referebantur, bonae frugis scriptis, accurate et honorifice *praefando*, nominis sui commendationem impertiit. In quibus et alia, ni fallor, sunt et haec, quorum quum maxime recordor: K. G. van Rudloff, *geschiedenis der Hervorming in Schotland. Een spiegel van Christ. geloofskracht* etc. *Uit het Hoogd. door* B. J. Westerbeek van Eerten. *D.* I. *St.* I, *Roterd.* 1853. [Et ipsum opus valde laudat et praefationem Royaardsii, quem Neandrum vocat *Nederlandicum*, *rev.* J. H. Sonstral, in Diario: *De Recensent,* 1854, N°. 10, p. 535 sqq.] — *Ter gedachtenis van* A. Neander. *Uit het Hoogd. Met een voorwoord van* H. J. R.; *Traj. ad Rh.* 1850. [Quâ de praefatione supra dicta vidd., *Chartt. theol.* I. 158]. — H. M. C. van Oosterzee, *de Synode der Nederl. Herv. Kerk in* 1851. *Algemeen verslag van hare werkzaamheden en besluiten* etc.; *Sylvae Duc.* 1852. Praefatio, utilissimi opusculi Editori honorifica, novo docet documento, quantopere *Jus ecclesiasticum*, Nederlandicum imprimis, Collegae nostro curae esset cordique. — Diu antea, praefatione praemissâ, Tomum I ornaverat Operis: Dodt van Flensburg, *Archief voor kerk. en wereldl. Geschiedenis, inzonderh. van Utrecht*, *Traj. ad Rh.* a. 1838. Cf. Kistius, p. 431.

raestabilis *Christi Ecclesiae* fuerit ille *Historicus*, non ora-rie sane, sed nostrâ quoque pro virili parte *historice*, de-ionstraremus. Quibus igitur accurate perpensis, quid de lius in gravissimam, quae ei *vita* erat, disciplinam meritis atuendum sit, Vestrum, Lectores! esto judicium. Ego ərte, quae late patente hocce in campo inquisiverit, inve-ərit, exposuerit, illustraverit, quo plenius mihi repraesentare ɔnor, eo majorem illius in admirationem me rapi sentio : profiteor.

Quam ampla vero dicendi nobis succresceret materia, si uae, in aliis disciplinae sacrae partibus, vel docendo prae-ıtit vel scripta edendo similiter persequi vellemus atque mnia, quibus Christianorum Societatem sibi obstrinxit, of-cia recensere! De *Oratoris sacri* enim laudibus ne denuo icam; — quam constanter in Historiâ ecclesiasticâ ac difficil-imis quibusque illius partibus exponendis versatus est; tam ndefessam in *Ethices Christianae* institutione academicâ col-ocavit industriam. Fuerunt quidem subinde Studiosi, qui, ravissimae disciplinae vim atque ambitum non satis perci-ientes, atque haec quidem sponte suâ satis se scire opinati, on tam assidue in has, quam in historicas Praeceptoris cholas ventitarent. Nec defuerunt alii, quibus ad hanc qui-em explicandam doctrinam minus commoda videretur atque pportuna Heusdiana, quam sequebatur Amicus, cogitandi itio ac disserendi. Verum non is erat Royaardsius, uem a suo naviter persequendo tramite vel illorum socordia evocaret vel horum dissensio. Quod reliquum est, *practicâ* ɔtius, quam *philosophâ* viâ ac ratione hîc eum versatum ise, testem habemus Scholtenium. Atque haec ipsa ɔctrinae informatio ad emendandos Auditorum animos quam əne comparata fuerit, illius assentiens testimonio, nos edo-ɔt Oosterzéus (1). Quorum cum relatione Duumviro-

(1) *Ille* vid. p. 55, *hic* p. 182.

rum disciplinae comparanda est *Sciagraphia*, quam Auditorum in gratiam aliquot ante annos typis describendam ipse curavit (1).

Ecclesiae in *Historicis* quantopere excelluerit Amicus, et nos demonstravimus nec quisquam facile ignorat. Verumtamen ejusdem laudis in societatem alii admittendi sunt, quamvis oppido pauci, Viri eximii. Sed nescio an in iis, recentiore quidem hoc tempore, nemo fuerit, cui tam diu, tam diversâ ratione, tantâ constantiâ ejusdem Ecclesiae *jura tueri* contigerit et propugnacula defendere et adversariis resistere. Fuerit in aliis, neque enim est quod dubitem, eadem voluntas Historicis. At defuit iis aut minus paratam sese obtulit opportunitas. Royaardsius autem primum, quod supra jam monuimus, multos per annos sanctissimae caussae patrocinatus est, *Societati Haganae*, quae Christi religionem defendendam susceperat, Moderatoribus adscriptus, et vero ita adscriptus, ut quantopere curae sibi essent cordique Euangelii commoda, et Collegis et aliis quibusque luculenter demonstraret (2).

Tum Reformatorum *Synodo generali* quoties fuit *a consiliis*, quod saepe factum esse novimus, toties nostrae hujus Ecclesiae statûs antiqui recentisque peritissimum ejusque amantissimum eum vidit illa, justi ordinis strenuum vindicem sed moderatum eundem, prudentium auctorem consiliorum, ac ne per calida non nullorum ingenia eaque, quae nequicquam dissuaserat, decreta detrimentum caperet Ecclesia quantumpote cavere conantem (3). Atque hîc quamvis

---

(1) *Schets der Christ. Zedeleer. Ten leiddraad voor zijne akad. lessen; Utrecht*, 1850. (Non publice editum).

(2) Cum iis, quae supra diximus, monita conferri possunt *parentali* n orat. p. 33. 34.

(3) Plane consentire videbis quae his de rebus ego dixi, l. allato p.

multa praeteream, hoc unum tamen breviter est attingendum. Ante hos aliquot annos magnopere verendum fuisse novimus, ne ii, quorum operâ ac consilio ad *fratres* alendos *egenos* utitur *Ecclesia*, *Diaconi Civitati* potius hujusque Magistratibus, quam illi, servire cogerentur, adeoque sacrum eorum Ministerium in *Institutum* degeneraret ac deprimeretur *politicum*. Quod igitur si adhuc quidem depulsum est periculum, nullius magis, quam Amici nostri, sapientiae debemus ac constantiae et fortitudini. *Lex* enim sive *Ordinatio*, quâ a. 1844 constitutâ, *τῆς Διακονίας* res ab ipsâ moderandas esse *Ecclesiâ* ejusque regimini vindicandas decrevit Synodus, etsi plurium collatis consiliis in eam, quâ nunc est, formam redacta, principem tamen ac primum *illum* habuit auctorem. Haec vero Ordinatio ut regiâ sanciretur auctoritate, quum a Synodo diu exoptatum fuisset ac semel iterumque frustra expetitum; ecce! fuit denuo Royaardsius, qui, a. 1852, quum primum id permittere videbatur Patriae rerum conversio, Synodo suaderet ac persuaderet, ut, quod olim inceperat, perageret opus eamque, quam ante octo annos probârat, *Ordinationem* suo jam Marte tanquam legem promulgaret ecclesiasticam. Cujus consilii quod modo antea *fortitudinem* laudavimus, nemo facile nos injuriâ fecisse existimabit, qui *cujus* tunc in Nederlandiâ praevaleret auctoritas meminerit. Neque in his acquiescens Vir strenuus ac constans, binis etiam editis disputationibus quam aequa esset et quam justa, quam defendebat, *Diaconorum* caussa demonstravit (1).

---

32. 33, et quae Kistius in eo, quod ibi laudavi, breviore de Amico commentariolo.

(1) Bina hîc memoranda sunt Royaardsii scripta, de hâcce caussâ publice edita. Quorum alterum inscribitur: *De concept-wet omtrent de ondersteuning van behoeftigen, in betrekking tot de Diakoniën, kerkregtelijk beschouwd; Traj. ad Rh.* 1846. Alterum: *De Hervormde Diakoniën en*

Ultimum vitae triennium in triste illud incidit tempus, quo, callide praeparatâ ac tandem audacter constitutâ hâcce in Patriâ Papae Romani *Hierarchiâ*, purae Christi religionis incolumitati ac juribus pessima quaeque cives augurabantur Protestantes. Jam, caetera ut mittam, illo ipso summo nostro tempore, laudatissimae Praeses electus est illius, quae *Protestans* eximie dicitur, *Societatis*, plurimos per annos id agentis, ut fidei sociis, *agricolis* maxime, suppetias ferendo, pro virili parte caveret ne suis a fundis abigerentur atque agris, neve primum in Brabantiâ Septentrionali, post in aliis Patriae, ubi Pontificii praevalebant, regionibus, eorum opibus ac machinationibus Euangelii lux ac cognitio plane exstingueretur. Adhuc quidem Praesidem habuerat haec Societas Joannem Bosscha, Virum eximium, cui multum bonae Litterae, multum nostrorum memoria Heroum, sed plura etiam forsitan sanctissima, de quâ dicimus, religionis caussa debebat. Hic vero quum, adversâ valetudine afflictus, quem adhuc egregie tuitus erat, honorem deprecaretur, omnium approbatione suffectus illi est Royaardsius. Cujus igitur huic Praesidis muneri ternas, quibus tribus deinceps annis generales Sociorum aperuit consessus, acceptas referimus orationes. Quas, adhuc quidem Sodalium solum in usus emissas, dignissimas habemus, quae, unum in Fasciculum conjunctae ac publice editae, posterorum etiam ad cognitionem perferantur. Quanta enim in iis Historiae peritia lucet ac monitorum prudentia, tantum dictorum pondus effulget ac δεινότης. Quae laudes etsi singularum propriae

---

de concept-armenwet van 1851. *Kerkregtelijke wenken;* ibid. 1851. — Quod reliquum est, cum iis, quae breviter attigimus, conff. *Handelingen van de a. Christ. Synode der Herv. Kerk in het Koningr. der Nederll.*, a. 1843, p. 125 sq.—a. 1844, p. 152 sqq. p. 292 sqq. p. 298 sqq.—a. 1852, p. 71 sqq. p. 107 sqq.

sunt, quas diximus, orationum, in earum nullam tamen magis conveniunt, quam in ultimam, habitam illam d. 25 m. Maji 1853; ubi acerrimum recentissime exarserat Hierarchiae inter Satellites et Protestantes certamen. Sunt hae verborum faces dicendae, quae auditorum in animis igniculos non relinquere non possent. Ubi sic exorsus erat Orator: »*Nunc* »*suam*" inquit, »*Roma vocem emisit. Nunc Romae huicce voci,* »*unius instar Viri, suum reposuerunt Nederlandiae Protestan-* »*tes responsum.*" — Deinde quam ferociter verba fecerit *illa*, quam fortiter *hi* responderint, tam luculenter expositum legimus, ut, nisi ferrei essent auditores, vehementer commoveri debuerint. Tum eam, quae sanctam adeo tuendam susceperit caussam, Societatem ne suum desiderare auxilium patiantur eos rogat, obsecrat, Christi nomine conjurat. — Tandem in gravissimâ desinit peroratione; ubi et alia et haec, quae quam vera essent novo, paucis post mensibus, documento necopinatus ostendit ac flebilis Oratoris abitus: »*Quod* »*nobis agendum est, agamus, dum dies est. Veniet nox,* »*quum operari nemo potest. Tum vero rationem a nobis Pos-* »*teritas requiret, utrum Patrum exemplo nos quoque, ubi* »*dimicationis in horam deveneramus, spe suffulti constiterimus,* »*nobis quidem vigilantibus ac decertantibus, nunquam fore ut* »*Christi Ecclesiam Orci portae superarent.*" — Te quidem, O beate jam Vir! ad finem usque in Christo sic constitisse, Tibi testis erit Posteritas! (1).

---

(1) Vidd. *Aanspraken, geh. in de alg. Vergadering der Maatsch. tot bevordering van welstand, voornamelijk onder landlieden, door den Voorzitter* H. J. R.; 1851—1853.

Quoniam omnia persequi non possumus, atque *Historicum* imprimis eum spectandum duximus, brevissime tantum moneo, pluscula eum commentariola in Diario reponenda curâsse: *De evangelische Kerkbode; Amst.* 1841 et proxime seqq. annis.

Pro commendandâ *Soc. Biblicâ* orationem habuit atque edidit, quae inscribitur: *De teekenen der tijden, in betrekking tot het Bijbelgenootschap, als zoo vele roepstemmen tot krachtige deelneming aan de Bijbelverspreiding. Rede, geh. voor de Utr. Afd. van het Nederl. Bijbelgen. — door* H. J. R., *Medebestuurder dier Afdeeling; Traj. ad Rh.* 1847, 36 pp. Dignissima oratio, quae Auctoris scriptorum Indicibus addatur. V. *Vad. Letteroef.* 1849. I. p. 249 sq.

Magnis in Viris, qui de Republicâ vel civili vel litteratâ vel sacrâ praeclare meruerunt, quales fuerint *homines* quaerere solemus. Ac de eo singulatim, quem adhuc repraesentavimus, *Ecclesiae Historico*, si quid auguror, ipsius ex aequalibus id cognoscere cupiet, quum ejus libros adibit consuletque, posteritas. Iis igitur in aequalibus quum longe paucissimi sint, qui tam diuturnâ, quam ego, conversatione atque amicitiâ cognitum eum habuerint, ita demum dilectissimi Collegae manibus justa persolvisse mihi videbor, si non solum qualia ejus sint scripta declaravero, sed *qualis ipse fuerit* paullo disertius, quam adhuc facere potui, conatus ero narrare.

Corpore igitur atque animo et universâ vitae ratione qui fuerit Royaardsius, si quaeritur; corpore utebatur vegeto ac toroso, ad virile robur composito illo ac procero, quod, provectiore imprimis aetate, obesum potius erat, quam gracile dicendum (1). Valetudo laeta plerumque ac fausta erat,

(1) *Corpore* igitur Abrahamo Calovio quodammodo similis erat, celebratissimo *Vitembergensium*, seculo XVII, Theologo Lutherano. A cujus tamen in dissentientes ferociâ ac vehementiâ Collegae nostri animus quantopere abhorreret novimus omnes. De Calovio multa passim memorabilia retulit A. Tholuck, in optimae frugis libro: *Der Geist der luther. Theologen Wittembergs im Verlaufe des* 17ten *Jahrh.*

semel tantum, quoad novimus, ante ultimos vitae dies gravissimo aliquo tentata atque afflicta morbo. Non diu enim post flebilem prioris uxoris decessum in calamitatis, quam acerbe lugebat, sensum ac societatem rapere corpus videbatur animus moestissimus. Caeterum sano ut plurimum in corpore sana illius mens habitabat. Non nunquam tamen acutis non nullis laborabat vel tergi vel vultûs doloribus. Quorum jam semina quaedam juvenis, Meerkerkiae quum sacra faciebat, aquarum graviore inundatione hausisse videbatur. Haec enim calamitas habitaculis expulerat aut domorum in tecta refugere coëgerat haud paucos hujus vicinorumque incolas vicorum. Quorum igitur miseriae subveniens atque egestati nec sibi parcens Vir generosus, fragili tenuique cymbâ vectus, brumae atque imbribus expositus, panem iis aliaque ne fame perirent esculenta iterum iterumque apportare non dubitabat, ac suâ ipse manu subministrare.

Haec quidem Meerkerkiam inundantibus aquis gesta erant. Caeterum nullus facile illi, quamvis occupato, dies abibat, quin, majore aliquâ institutâ deambulatione, corpus reficiendum curaret ac corroborandum. Ruris potius, quam urbis amator, quotannis ubi primum tepidioris aëris aliquid vernum attulerat tempus, cum uxore liberisque suburbanam in villam migrare consueverat, non sumtuosam illam, sed commodam, sed litteratis studiis sine molestâ interpellatione persequendis plane adaptatam. Cujus villae solitudinem quum, non raro a pensis academicis aliisve officiis in urbem acci-

---

theilweise aus handschriftl. Quellen; Hamb. et Gothae, 1852. Unde multa curiosa excerpsit T. Colani, *Revue de Théol.* VI. 6. (1853) p. 344 sqq. Non satis honorifice de orthodoxis Lutheranorum Theologis dixisse Tholuckium, arguit Thomasii, Hoffmanni aliorumque Ephemeris, *Zeitschr. für Prot. u. Kirche*, ad m. April. 1853, p. 238 sqq. Verum manum de tabulâ. Brevem excursum Lectorum excuset benevolentia.

ius, per aliquot singulorum dierum horas relinquere cogeretur, ne rheda quidem, quâ ultro citroque vehebatur, otiosum eum videbat, nec ab utilium sedatâ lectione vacantem scriptorum aut chartarum.

Noli tamen putare, singulis feriis aestivis, suburbani sui gratas in umbras sese *Hominem* abdidisse, *qui nihil humani a se alienum putabat.* Etenim Heusdii sui exemplum hîc quoque secutus, non raro majores faciebat in amoenissimas quasque et pulcherrimas Belgii, Germaniae, Helvetiae, Italiaeque partes excursus atque itinera (1); quum exterorum mores accuratius cognoscendi cupiditate ductus, tum admirabilia, quae ibi prodiderat Creator, naturae opera propius intuendi desiderio incensus. Quorum operum de pulcritudine ac sublimitate, ante hos multos annos, a majore aliquo per Helvetios itinere nuper reducem, commoto animo eum pro sacrâ concione exponentem audire me memini, et ad Dei magnitudinis ac benevolentiae, ubique terrarum elucentis, celebrationem pie ac graviter adhibentem ac convertentem.

Cupide imprimis opportunitates captabat, exterorum in Academiis, cum clarissimis quibusque vel aliarum disciplinarum vel Theologiae Professoribus coram notitiam contrahendi, aut pridem jam conciliatam amicitiam collocutionis familiaritate instaurandi ac confirmandi. Cujus ipsius amicitiae, per frequens cultae privatarum epistolarum commercium, publicum etiam documentum memorabilem illam habemus epistolam, nativâ stili vel gratiâ vel negligentiâ plane Royaardsianam, quâ praemissâ gravissimi operis, *quod Ecclesiae Medio Aevo Nederlandicae fata narrat,* Tomum alterum Gieselero inscripsit et Lückio et Ullmanno. Quorum (at quantis meritis praestantium!) Virorum unum nunc in vivis superesse

(1) Item Francogalliam adiit ac Britanniam.

Ullmannum, quis non mecum doleat nostrarum amans Litterarum? (1). — Verum ne nos ab institutâ devocet narratione magnorum illorum, qui nuper obierunt, Theologorum moesta recordatio, Collegae de peregrinationibus unum hoc addiderim. Frequentes ejus, de quibus diximus, ad exteros excursus si ad corporis vires corroborandas valebant, ad animum utili variae doctrinae pabulo nutriendum non minus efficaces fuisse censendi sunt ac fructuosi. Quidni igitur felicem eum praedicemus, qui, quum olim laudabili fuisset socius adscriptus juvenum sodalitio, quod *Utile Dulci miscendi* studium profitebatur, jam maturâ Vir aetate peregrinando idem sequeretur atque assequeretur consilium, adeoque, et olim et nunc, vere monente Poëtâ, *omne ferret punctum?*

Non lentum erat, sed fervidum potius atque exaestuans, quod Natura Parens Royaardsio indiderat, ingenium atque indoles. Cujus universam in vitam apprime dictum conveniebat, quo *linguae* singulatim properantis velocitatem subinde pingere novimus *Homerum:* ἔπεα πτερόεντα πρόσηυδα. Festinante enim ore linguâque non solum privatim loquebatur, sed publice etiam dicebat. Ac pauci erant, de cathedrâ vel sacrâ vel academicâ verba facientes, Oratores, qui tam multa, quam Amicus, unius alicujus et quod forte excurrebat horae spatio, perspicuâ ac clarâ com-

---

(1) De ipso opere supra diximus. *Epistola* autem plures alios honorifice memorat, quibuscum amicitiam aut notitiam certe contraxisset Auctor, Germaniae Theologos. In iis vero, quorum nulla ibi mentio est, erat venerabilis ille Hugius, Friburgensis; erat item Heidelbergensium Theologus grandaevus Paulus. De utroque enim ac de pluribus, quorum alios alio tempore adierat, suaviter eum mihi narrare memini. Cf. Kistii *Memoria*, p. 427.

plecti possent voce et oratione, ac sine fatigationis molestiâ eloqui. Rapide ac celeriter pleraque, quae quidem adstrictiorem non requirebant attentionem, legendo percurrebat. Ubi quae, vel in templis vel domestico in auditorio vel Virorum doctorum in consessibus, tradenda instabant meditatione praeparabat atque accuratâ commentatione, ne difficiliore aliquo nisu verba eum peperisse putes locutionesque. *Rem provisam* enim *verba non invita sequebantur*, Auctorisque cogitata suâpte sponte chartae consignare videbantur. Rapide, quin, si quid opus erat, chartam veluti pervolante calamo, scribebat. Nec tardiore gressu incedebat, nec anxie ambigendo atque haesitando quicquam faciebat.

Qui sic a Naturâ conformatis utuntur animis, eorum magna pars volatico quodam ae desultorio mentis impetu modo ad haec, mox ad alia agenda rapi se patiuntur, multa aggressi, pauca perficientes. Verum rarâ, si quid video, diversarum dotum copulatione noster hic, qui tam fervido erat ac concitato, quam diximus, ingenio, Collega, idem laboris patientissimus erat, atque in labore quamvis molesto perferendo constantissimus. In quem igitur, quod de Petrachâ proditum legimus, plane convenit: *Quodcunque volebat, fortiter volebat.* Ineunte jam aetate, vocis linguaeque vitia, quae exoptatum ipsi sacram ad cathedram aditum praeclusura videbantur, quâ tandem devicerit perseverantiâ ex superiore nobis constitit narratione. In juventute, si quos forte habebat Amicos, qui celerius etiam ac minore operâ quae addiscenda erant mente complecterentur; at neminem certe, qui ad id, quod agendum susceperat, pensum pertexendum constantiorem se praeberet. Quod enim ejus ex Consobrino quodam eodemque studiorum socio, jam defuncto illo, me audire memini, ubicunque gravius aliquod opus sibi faciendum esse considerato decreverat consilio, et continuo

illud aggredi consueverat, et, nullâ deterritus difficultate, sine intermissione persequi, nec anteaquam peractum esset requiescere ac cessare. Adeo, quum in singulis pensis, tum universâ in vitâ, *nihil actum reputabat, dum quid agendum supererat.* Nam ex juvenili hâc ejus constantiâ viriumque contentione facile judicium est, maturiore aetate atque ingenio, quali ac quam indefessâ perseverantiâ, gravioribus etiam in studiis ac disquisitionibus, sibi versandum putaverit.

Verum ex eodem hoc ingenii, quale Collegae fuisse vidimus, semper ad exitum properantis, fervore atque incitatione, unde tot bona sunt profecta, non nullorum exstitisse videtur querela, qui in praestantissimis ejus scriptis accuratam subinde stili concinnitatem desiderari iisque ultimam aliquando limam deësse putarent (1). Enimvero ne ipse quidem ignorabat, vere monente Cicerone, *cavendum esse ne in festinationibus nimias suscipiamus celeritates* (2). Cujus rei documento est, quod in Historiâ, quae *Ecclesiae Nederlandicae Medio Aevo fata* narrat, locos exstare novimus, quos, novis identidem curis adhibitis, bis ac ter commentatus sit atque expolierit. Nec est tamen quod morae taediique plerumque patientiorem eum fuisse negemus, ubi, historicos in usus, arida Medii Aevi *Chronica* vel *Acta Sanctorum* ac *Martyrum* legenda erant et excerpenda, quam ubi quae meditate quidem, sed celeriter scripserat ipse ad orationis perspicuitatem ac stili nitorem componenda ac refingenda. Quis autem aequus rerum arbiter mirabitur, si,

---

(1) Vid. impr. Royaardsiani *Oratt. s. Fasciculi* censura in Ephem. *Waarheid in Liefde*, 1842. 4. p. 798 sqq. Quâ tamen lectâ subtili censurâ, aequi judicis futurum fuisse putavi, ut stili non vitia solum reprehenderentur, sed virtutes etiam, in quibus nativa aliqua dicendi simplicitas, laudarentur.

(2) Cic. *de Officiis*, I. XXXVI. 131, ex ed. Beieri.

hic quoque Heusdii (at quanti Viri!) discipulum sese demonstrans, Royaardsius nativam aliquam dicendi simplicitatem sectari malebat, quae ad vitae communis familiaritatem paullo propius accederet ac negligentiam, quam adstrictam sive *conclusam*, ut vocant Britanni (1), argumentandi severitatem? Quum praesertim ingenuae illius simplicitatis de gratiâ ne quid forte detraheret nimis curiosa scriptorum retractatio vereretur. Quid multa? Non omnia possumus omnes. Nec a lentis ingeniis proventuum ubertas requirenda est, nec a celeribus ea, quae omnem cavillandi opportunitatem excludat, dictorum absolutio. Quodsi tam scrupulose, quam non nulli, quorum jure laudamus diligentiam, Viri docti, singulas, quas scripserat, periodos vocesque rimandas sibi et cum pulvisculo excutiendas putâsset, quem lugemus, Collega, ac curae illius anxietate inhiberi passus esset ac detineri, quo rapide scribebat, stilum; quot probabiliter nobis carendum fuisset praestantissimis ejus disputationibus!

Sicuti suos quisque patitur manes, ita quae fervidiora sunt ac vehementiora ingenia in iracundiam non raro proniora deprehenduntur, acrius subinde effervescunt, nec semper satis aequâ ac placidâ mente aliorum dissensiones ferunt atque objectiones. Verum his quamvis gravibus irarum irritamentis, quibus nativa eum stimulaverat animi indoles, quam feliciter resistere, quam efficaciter eorum impetus retundere ac frangere didicerit Vir optimus, tota illius testis est quum publica vita, tum privata. Quae licet in Ecclesiae Patriaeque tempora incidisset, multarum litium acerbitate concussa ac conturbata, tamen cum nemine unquam aequalium acriore contendit concertatione. Quid, quod ne *laces-*

---

(1) Anglice: *closed reasoning.*

situs quidem quemquam *petebat;* ac si qui inique ac contumeliose in ipsius scripta invaserant, quod non nunquam factum esse novimus, silentio eos confutare malebat, quam contumeliis ulcisci repositis. Atque eosdem ejus sensus, ad moderationem compositos ac lenitatem, luculentius etiam concordia testatur atque amicitia, quâ, nullo non tempore, cum Collegis vixit atque uno cum iis animo Academiae commodis ac saluti prospicere conatus est. In quibus quum *Theologi* singulatim essent, dici non potest, quam multis et quam diversis de rebus, per continentes muneris academici triginta annos, cum his potissimum consilia ipsi conferenda fuerint ac communi ex decreto peragenda. Quarum quidem curarum se invicem excipientium multitudine ac gravitate quam facile fieri potuerit ut, diversis in hominum studiis, concordiae ex integritate detraheretur aliquid, quis est qui non sponte intelligat? Verum haec omnia ad arctius consociandos potius, quam ad dissociandos valuisse Theologorum, de quibus dicimus, animos, testis mecum est Vinkius, tot curarum mihi laborumque socius fidissimus; testis esset, si viveret, Heringa, Vir, si quis alius, prudens ac circumspectus. Hic enim in Collegae, multis annis junioris, fide atque amicitiâ ita acquiescebat, ut non familiariter solum cum eo conversaretur, sed ipsi ea, quae paucis, animi consilia ac desideria declararet et aperiret.

Verum singulas, quas diuturno usu munerisque societate in Royaardsio cognovimus, animi ingeniique dotes ac candidi pectoris bona, memorare longum est. Nec tamen qualem ac quam praestabilem eum habuerimus Amicum, Te, benevole Lector! plane ignorare volo. Concedas igitur, quo pleniorem lucidioremque illius Tibi informes imaginem, ut minus tritam aliquam hîc narrandi viam ingrediar. Novistine

Frederici Ehrenbergii, sapientissimi, dum in vivis erat, apud *Berolinenses* Theologi, optimae frugis librum, ubi *Viri,* qui nominis honore dignus sit, *characterem* pulcherrime depinxit ac *destinationem* (1)? Quem ego librum, multis inde ab annis, ita in deliciis habui, ita ad omnium, qui sibi deësse nolint nec officio, vitam regendam utilem comperi ac fructuosum, ut nullum facile magis. Talis igitur, qualis speciem graphice depinxit Ehrenbergius, nobis Vir fuit Royaardsius. Quem *non se rebus,* sed *sibi res* quantumpote *submittentem* vidimus, ac Poëtae praecepto parentem :

» *Tu ne cede malis, sed his contra fortior ito.*"

Mundi enim hominumque cognitionem ab Historiâ magistrâ traditam acceperat, multum cum civibus exterisque, plus etiam ipse secum, conversando adauxerat, sapientum monitis percipiendis confirmârat. Unde factum est ut fragilium rerum ac fluxarum contemtor potius appareret, quam admirator Vir generosus; cui quid ab iis sperandum esset, quid metuendum, eâ, quam diximus, viâ plane constiterat. — Robusto fuisse eum corpore noverunt omnes; verum pectori non minus roboris inesse ac virilis vigoris, facile nos intelleximus familiares. Alacer enim animus erat, strenuus, promtus ad agendum et impiger, a praecipiti quidem abhorrens temeritate, sed ad difficilia audenda ac constanter exsequenda compositus et exercitatus; ita *propositi tenax,* ut, necopinatis, quae forte sibi objecta videbat, periculis ac difficultatibus non deterritus nec dejectus, earum adspectu ad majorem etiam, quam antea, virium contentionem accingendum sese putaret et adstringendum. *Vi-*

---

(1) *Het karakter en de bestemming van den Man. Uit het Hoogduitsch; Amst.* 1817. — Praeclari libri, juvenibus imprimis commendandi, Nederlandica interpretatio auctorem habet Bern. Verwey, coetûs Hagani, dum vivebat, Antistitem.

rilis est sane animi, ut a *phantasiâ*, quae forte feracior tibi atque acrior obtigerit, non coeco impetu te rapi patiaris, sed ad pulcra quaevis aggredienda potius ac perficienda stimulandum cures atque incendendum. Sic igitur Royaardsius; cujus quidem pectus poëtico aliquo spiritu subinde incalescere apparuit (1), cujus vero ardori, atque *ἐνθουσιασμῷ*, sine quo, vere monente Ehrenbergio, vix sibi Viri constare potest perseverantia, moderatio comes aderat ac sapientia gubernatrix. *Suum* eum fuisse nemo facile negaverit: nam quamvis multum *aliorum*, prudentium imprimis Amicorum, consilio tribueret, in rebus tamen, quas bene perspectas se habere putabat, aliquanto etiam plus suo tribuere nobis visus est judicio. Nec unquam tamen importunius suum hoc judicium aliis obtrudentem deprehendimus nec inculcantem. Ita sibi imperare didicerat atque ita linguam compescere, ut qui augusto coram Rege non magis, quam coram Collegis ac discipulis quid sentiret aperte dicere dubitabat, idem, sicubi res requirebat, *tacendi* artem se callere et aliis demonstraret et iis, quibuscum gravioribus de negotiis consilia ineunda incumberent, munerum Sociis (2).

---

(1) Eâ Collegam fuisse poëticae phantasiae vi atque ubertate, ut, si hanc etiam sibi laudem quaesivisset, non contemnendum nostratibus in Poëtis locum habiturus fuisset, et aliunde apparet et ex iis, quae, non longe a concinnae narrationis initio, Glasius recenset, illius carminibus.

(2) Diu meditatam *Daniëlis* de libro commentationem ita, plane inscio *Patre*, quum perscripserat, atque a Meerkerkiae Ludimagistro describendam curârat, tum *Societatis Haganae* Moderatoribus, in quibus ipse Parens erat, judicandam obtulerat, ut ornatae praemio disputationis auctorem *Filium* esse, apertâ demum, quae adjecta erat, scidulâ comperiret Senex. Quem igitur, quo minus sperato, eo majore sese gaudio afficere voluisse, laetus jam Pater intelligebat.

Sed nescio an Viro potissimum nihil majus afferat decus majoremque honorem, quam placida illa ac sedata mentis conformatio, quâ, nullâ fortunarum humanarum vice ac commutatione vehementius in utramvis partem commoveri se passus ac jactari, quod *Dellio* suo *Horatius* praecepit (1), sibi id dictum cogitet sibique universâ in vitâ sequendum:

» *Aequam memento rebus in arduis*
» *Servare mentem, non secus in bonis*
» *Ab insolenti temperatam*
» *Laetitiâ.*"

Quod si vere monuit *Flaccus*, nominis honore dignum fuisse *Virum*, quem deflemus, Collegam affirmanti mihi non consentire non poteris. Utrâque enim fortunâ tentatus saepius ac commotus, non Stoïcam quidem prae se tulit *ἀπάθειαν*, sed homini Christiano unice decoram nobis praeivit animi aequabilitatem. Etenim, ad prioris uxoris morbum usque fatalem ac mortem luctuosam, tam prosperâ usus est vitae sorte, tam copiose affluentibus varii generis bonis externis, quam paucissimis contingere solet mortalibus. Ac, sequentibus quidem aetatis annis, subinde nubibus obscuratum prioris prosperitatis solem vidit ac calamitatum tenebris offuscatum. Sed nunc etiam universe tam honorifico, tam laeto, tantis Providentiae divinae bonis cumulato usus est stadio terrestri, ut amici laetarentur ac necessarii, aemularentur, si qui erant, invidi atque obtrectatores. Nec tamen *insolenti*, quam vocabat *Horatius*, *laetitiâ* quemquam eum elatum vidisse confidimus. Nemini enim se praeferre consueverat; aliorum mores facile ferre ac patienter; nec sua unquam pulcre facta, scripta honorumque ornamenta, vel civilia illa vel litterata, qualia permulta obtigerant, ambitiose

(1) *Carminum* L. II Od. 3 initio, ubi pro vulgato *Delio* recte *Dellium* legere videtur Doeringius.

et cum aliorum contemtu jactare; immo, nisi necessitate aliquâ urgente, ne memorare quidem neque attingere. Tum vita, *simplex munditiis* illa, in tantâ rerum omnium affluentiâ, majorum potius sobrietatem referens, quam ad seculi luxum atque opulentiam composita. Tandem, solam *temporis* quum *honestam* duceret *avaritiam*, familiares quidem Collegarum aliorumque Virorum doctorum consessus, quibus utilitatis fructus aliquis propositus erat, quaerebat atque appetebat; sed lauta convivia et opima, quibus in seram noctem protractis otium fallentes non paucos videbat homines opulentiores, aversabatur ipse ac respuebat.

Sic igitur *bonis in rebus ab insolenti temperandum esse laetitiâ*, omnium imitatione dignissimo nos docuit exemplo Collega. Verum non minus *virili* constantiâ *rebus in arduis aequam servare meminit mentem.* Esto sane, diu blande arridentem eum habuisse et plerumque propitiam magis, quam adversam, Fortunam. At quanto et quam acerbo moerore, anni 1832 autumno, eum dilectissimae Uxoris Hendrikseniae tristissimus affecerit et praematurus, ut nobis videbatur, obitus, neminem, cui luctuoso illo tempore aliquid cum illo familiaritatis intercesserit, ignorare existimo. Quo sane ejus dolore nihil unquam justius esse potuit. Defunctae enim uxoris ingenium amantissimus cognoverat Maritus omnibus iis excultum artibus, a quibus praestantissimae quaeque merito laudantur mulieres; animum ita ad pietatem informatum ac compositum, ut, quam morti proxima prodebat in Deo Christoque repositam fiduciam, plane singularem illam atque *heroicam*, ea omnium, qui ad lectum, ubi moribunda decumbebat, accesserant, admirationem excitaret. Paucis ut dicam, talem cognoverat uxorem, eâ corporis gratiâ, iis imprimis animi virtutibus insignem, ut meliorem ac magis exoptatam vitae sociam nullis sese votis

a Deo expetere potuisse, haud sine acerrimo desiderii sensu videret. Cujus igitur lectissimae conjugis decessus quam crudele Mariti pectori, non duro illi, sed tenero admodum, vulnus intulerit, vix aut ne vix quidem verba quibus describam invenio. Quid, quod tam acerba illa animo inflicta plaga ipsi etiam corpori mortifera fore videretur! Etenim non diu post tam gravi morbo depressum vidimus Collegam, ut de ejus vitâ plerique desperarent Amici. Verum D. O. M. laudemus oportet, qui eum tunc quidem ex praesentissimo mortis periculo eripuit, eumque multos postea per annos Ecclesiae atque Academiae servavit incolumem!

Sed eo redeamus. Quo primo tempore tali hâc Uxore moestissimus orbatus erat Maritus, ictûs vehementiâ plane consternatum se sensit ac paene prostratum. Placidâ meditatione animum componendi sibi facultatem non esse conquerebatur. Verum postmodum ex recenti illâ doloris confusione spe citius sese recipientem eum vidimus et colligentem, atque ad solitam se confirmantem constantiam ac fortitudinem. Ac tunc et omni deinceps tempore, quo graviore vulnere diu sauciatus manebat animus, eo pulcrius Viri Divinae voluntati pie se submittentis aequabilitas eluxit ac patientia. Quum praesertim ad mala calamitatesque fortiter perferendas quominus mature sese assuefaceret, adolescentiae obstitisset ac juventutis et universe prioris aetatis, vix unquam turbata, prosperitas. Novas autem atque insolitas, quibus necopinantes obruamur, aerumnas acriore nos petere ac pungere morsu quis ignorat? Sed de singulari, quâ tantam illam luctûs acerbitatem tulit toleravitque, patientiâ ac constantiâ plura hîc dicere nihil attinet. Longe disertius enim ac luculentius, quam tenuis haec possit narratio, ipsius Collegae eam demonstrat et fere ad omnium oculos depingit, ubi flebiliter orbato Marito vix dum ternae abierant hebdomades, sacrâ pro concione habita oratio; quae

Jobi, omnibus, quae habuerat, bonis defraudati, pietatem Christianis in utrâque fortunâ versantibus, quo magis Deum celebrent, imitandam commendat. Sic enim animatum esse Oratorem apparet, non magis dolenter, quam submisse dicentem, ut antiquum illum virtutis Praeconem, cujus vocem laudat et illustrat admirabilem, quâ: »*Jehova dederat*," inquit, »*Jehova idem abstulit*, *Jehovae celebretur nomen* (1).

Ubi, aliquot post annis, ne filiis matris curae deëssent, altera sibi vota contrahenda duxerat, quae faustissima atque exoptatissima et ipsi fuerunt, et iis, quos dixi, filiis; ecce! novum ei luctum parit, acerbum illum et diuturnum, trium, quos deinceps Pater extulit, tenellorum infantium obitus. Quibus factum est funeribus, ut, quae tempore consanuisse videbantur, misere recrudescerent virilis animi vulnera. Verum nunc etiam generoso nos docuit exemplo, quâ dolorum tolerantiâ *duros vincere* possit, Deo auxiliante, debeatque *constans patientia casus.* — Atque eandem, aliis quibusque in rebus arduis, servavit mentis, agitatae quidem nec conturbatae tamen, aequitatem. Postremis enim hisce annis binos deinceps fratres luxit dilectissimos, florente, certe vix dum in senectutem inclinatâ aetate, rebus humanis ereptos, tum unicam eamque carissimam sororem, saevissimo morbo diu cruciatam ac tandem absumtam (2). — Magnâ Patriae, majore etiam, ut par erat, Christi Ecclesiae caritate ducebatur. Quo igitur tristitiae sensu commotum fuisse eum putabimus et quantis agitatum curis, quoties vel hanc vel illam vel utramque simul graviter laborantem videbat,

---

(1) Vid. H. J. R., *Evangelie-woorden, vooral voor lijdende Christenen*, p. 25 sqq. De habitae enim concionis tempore ex annotatione, ejus inscriptioni adjectâ, nobis constitit.

(2) De iis, quas hîc brevissime attigimus, calamitatibus domesticis plura vidd. apud Kistium, p. 426 sq. et p. 445 sq.

ac modo per exterorum aut inimicorum vim et audaciam, modo per civium aut amicorum amentiam et discordias in summum discrimen adductam? Sanequam et domesticas illas clades et publicas has calamitates ex intimo pectore dolentem eum conspeximus ac conquerentem audivimus. Sed, quod aliâ in re de *Mario* dixisse novimus *Ciceronem* (1), *tulit dolorem, ut Vir;* cujus pectus generosum nullus quamvis tristis rerum humanarum eventus plane dejicere posset, quemque nec *vultus instantis Tiranni mente quateret solidâ nec civium ardor prava jubentium.*

Profecto igitur, qualem *Virum* pulcherrime depinxit, qualemque, ne nomini desit ipse suo, esse eum oportere accurate docuit ac copiose, quem diximus, Ehrenbergius (2); talem diu cognovimus Royaardsium; non a magnâ solum doctrinae varietate atque ubertate merito celebratum, sed, quantum per humanae naturae licebat tenuitatem, iis, quibus vel maxime *virilis animi praestantia* cernitur, virtutibus excellentem. Verum illius in imagine, quam ducere conati sumus, ne veritas desideretur nec praecipuum obscuretur ejus ornamentum, hîc imprimis proprius ejus vel color notandus est vel spiritus. Quodcunque illius in animo, in vitâ, in studiis scriptisque praestabile fuit omniumque dignum imitatione, id ex nullo manâsse censendum est fonte uberiore, quam sincerâ ac constanti ex *fide,* quam *Deo* habebat *Divinaeque, per Christum peccatoribus impertitae, gratiae ac saluti*

---

(1) *Disputt. Tusc.* II. 22.

(2) Quem tamen *fidei Christianae* ad *Virum* informandum efficientiam non satis attendisse, certe non, sicuti par erat, ursisse, quo majoris caeteras libri dotes faciebam, eo impensius semper dolui. Sed libri lectioni conjuncta de religionis Christianae vi et indole meditatio non ita difficulter hunc tibi operis defectum supplebit, confido.

immeritae. Cujus semina fidei puerili jam in Filii animo Christi amantissima sparserat Mater. Quam ipsam *fidem* nullâ non vitae aetate seriâ ac sedatâ rerum sacrarum commentatione confirmavit atque excoluit; quam Uxoris, Liberorum, Necessariorum Amicorumque tristes aluerunt hâcce ex terrâ migrationes; cui tandem fidei, postremis his ejus annis, nova, si quae forte requirebantur, pabula praestantissimae *Socrûs* exemplum praebuit et cum sapientiae lenitate conjuncta pietas plane Christiana. Sic igitur optimo nostro contigit Amico, moderante ac juvante, cujus auxilio omnia sua tribuere consueverat, Dei Spiritu Sancto, ut, quae ex nativâ animi indole sponte exstiterant virtutis obstacula atque impedimenta, magis magisque ea vinceret et superaret, atque ad CHRISTI Domini, quod modeste et e longinquo sibi sequendum proposuerat, propius paullatim accederet exemplum. Hoc est, quod me vere ac sincere de eo affirmâsse, quicunque eum interius cognitum habuerunt, testes futuros esse confido (1). Quod si enim tanquam perfectum aliquod Collegam extollerem consummatae pietatis ac virtutis exemplum, graviter increpantem ipsius vocem audire mihi viderer, quae indignata laudatori haec reponeret inepto: »*Adeone Tu etiam, Seculi morem imitatus, mihi meoque vel Genio* »*vel Ingenio id tribuere non dubitas, quod Divinae solum* »*Gratiae acceptum esse referendum constanter professus sum?* »*Itane Tu etiam, qui triginta et quod excurrit annos Collegam me habuisti, ac non pauca mihi, quamvis dolenti,* »*deësse non raro conquerentem me audiisti, callide haec et* »*rhetorice dissimulanda putas?*" — Nec profecto is ego sum qui, bona praeter modum amplificando, vere dictorum fidem elevare velim.

---

(1) Domesticae etiam *pietatis* exemplum Necessariis praeivisse Amicum, vere dicit Scholtenius, l. l. p. 65.

Sed aliud monendum est. Nunquam ab *irenicâ* illâ et pacificâ Theologiâ, nec in dexteram aciem nec in sinistram inclinatâ, sese avelli passus est Royaardsius, quam, summâ cum Collegis concordiâ junctus, constanter profitebatur. Eam dico Theologiam, quae, humanâ omni postpositâ auctoritate, Divinam Euangelii vocem ac veritatem fidenter amplectitur ac pie sequitur. Quam vero ejus constantiam eos aegre tulisse, qui in suas eum partes pertrahere cupierant, non est sane quod miremur. Nescio autem an eorum non nulli sint, qui quod a vivente impetrare non potuerunt Theologo, jam in defuncto frustra quaerant ac fuisse fingant. Certe ita subinde, vocis ambiguitate abusi, *liberalem* eum comminiscuntur, quasi *Palaeologorum* quidem, alios condemnantium, fastum judicialem reprobraverit, atque a dogmaticâ eorum severitate abhorruerit (quod vere dicitur); sed iis adversantium *Novatorum* levitatem et audaciam et in dissentientes quosque acerbitatem, placido contra nec indignante animo, sanctissima quaeque labefactantem adspexerit ac profanantem. — Verum enimvero haec similiaque de sese suâque de Theologiâ commenta quam facillime, rebus si forte humanis redditus, erroris convincere posset. Cui consilio quid aliud requireretur, nisi ut ea afferret ac monstraret, quae in *Historiae Ecclesiasticae* quum *Compendio*, tum *Archivo* potissimum, passim de *Reformatae* Societatis initiis, principio, historiâ juribusque iterum iterumque tradiderat ac judicârat? Quae sane ejus judicia omnia, quanto spatio ab *Intolerantiae* humilitate, tanto nec minore ab *Indifferentiae* levitate remota apparerent. Atque eodem consilio, nec magis incerto judicii exitu, ad easdem de sese inconsideratius emissas voces refutandas, testes advocare posset *concionum*, quas ediderat, *sacrarum* locos complures, quibus plane sibi persuasum esse candide professus erat, ut depressi hujus vitae malis mor-

tales et erigerentur et ad decurrendum fortiter terrestre hoc stadium animarentur nihil esse, quod tantam vim haberet ac tam salutarem efficientiam, quam *expiationis Euangelium ac consolationis* (1).

Quid multa? Si nostras, quarum tenuitate infinito jam spatio superior est, audire posset Vir beatus disputationes, procul dubio ejusmodi respueret laudes, quae ipsum, Dei unius Christique cultorem, harum illarumve Ecclesiae litigantis partium asseclam facere studerent ac pedissequum. Id unum, Vinkii, Collegae mihi conjunctissimi, testimonio consentiens, iterum affirmare non vereor, modestâ et laetâ et firmâ fide Christi Euangelium amplexum esse Royaardsium, ejusmodi eâ, quae in Divinis de viâ salutis consiliis ac testimoniis simplici aequiesceret nec minus rationali consensu (2).

Talem igitur, qualem dixi, diuturno multorum annorum usu cognoscere mihi contigit ac suspicere eum, qui jam, dolentibus nobis, hinc abiit, Collegam. Cujus ex conversatione atque amicitiâ magnum me tulisse animi doctrinaeque emolumentum, erga Deum ingratus sim, ingratus in ipsum, nisi memori mente agnoscam. Utinam diutius etiam Amico eo uti mihi licuisset atque aliquando, me ante eum defuncto, amicitiae nostrae teste verissimo! Utinam, quod gravius est, iis, quibus Theologiam amplificavit historicam, doctrinae monumentis egregiis, vitâ prorogatâ, alia atque alia potuisset adjicere! Utinam tandem, quod omnium est gravissimum,

---

(1) Cum dictis omnino conferri velim quae verissime monuit Oosterzéus, p. 180 seqq.

(2) Vinkii cum laudatâ oratione, Collegae juxta sepulcrum habitâ, conferri possunt, quae nos *parentalis* de H. J. R. *or.* diximus p. 36—38.

per diuturnum adhuc tempus in Academiae Luminibus eum habuissemus atque Ecclesiae patriae in Statoribus!

Verum aliter Deo placuit O. M., supremo eidemque sapientissimo rerum humanarum Moderatori vitaeque nostrae ac mortis Arbitro. Ineunte quidem, quin ad finem jam vergente, anni MDCCCLIII mense Decembri, nihil quicquam erat, quod tam caro capite propediem nos orbatum iri augurari videretur. Quamquam ipsi, ultimo maxime vitae tempore, praesentissimam mortis cogitationem esse ac commentationem, et ex aliis apparuit indiciis et sacrâ ex oratione, de Jacobi Patriarchae quaestione, *viveretne adhuc Josephus?* non diu ante pro concione habitâ. Sed optimi Viri quum animo tum corpori, nisi major, at nullo modo minor, quam pridem, alacritas constabat ac vigor roburque. Verum quam incerti rerum humanarum cursus sint atque eventus, novo eoque nobis tristissimo comperimus exemplo, quum, quarto memorati anni ante exitum die, subito correptum se sensisse ac vehementi morbo Royaardsium audiebamus. Quo de morbo plura dixerunt alii. Nos paucissima haec. Gravem, unde vix aut ne vix quidem excitari poterat Aegrotus, somnum diuturnior excepit ac periculosa nervorum agitatio. Quâ jactata mens immortalis valde actuosa quidem est nec pauca enuntiare conatur cogitata, nec integram tamen amplius habet sui conscientiam. Sperat quidem aliquamdiu Uxor amantissima; sperant, dum aliquot per dies cum morte dimicare vita videtur, Filii et Amici. Verum omnium spes mali vis eludit ac vehementia. Diu agitati tandem conquiescunt nervi. Nec tamen beneficum haec eorum quies somnum affert, sed soporem potius lethalem. Quem, postridie Calendas Januarias anni MDCCCLIV, vespertino tempore, placidus illius excepit ex vitâ exitus. Atque ita, quum ante ipsos fere tres menses sexagesimum aetatis annum ingressus erat, hinc migravit Royaardsius; cujus

virtutes ac merita me non plane, sicuti par erat ac volueram, celebrare potuisse doleo; quem vero aliquando revisere ut mihi, Divino per Christum beneficio ad animorum concilium admisso, contingat precor ardens et opto!

LIBRORUM CENSURAE.

Der Prophet Jesaïa. Erklärt von August Knobel. *Zweite, verbesserte Auflage;* Leipz. 1854. pp. 468.
(Alterum liber habet titulum : *Kurzgefasstes exeg. Handbuch zum Alten Test. Fünfte Lieferung*).

Jesaïas Propheta, interpretante Augusto Knobel, *Philos. et Theol. Doct. hujusque Giessensi in Acad. Professore ordinario.*

---

r *et amplius beatos, qui sua bona novissent, agricolas* Poëta
vit. Cujus sine dubio dictum ita nostra referre licet ad stu-
ut beatos nos reputemus, si bona, per sanctissimum Deo
rante nobis impertita Codicem, et recte noverimus et suo,
t maximo, pretio aestimare didicerimus. Etenim, si vel a
ı divinarum, quam ibi traditam accepimus, vere divinâ in-
ione discedamus, *elocutionis* qualis et quam incomparabilis,
ì cum simplicitate juncta, gratia est et pulcritudo et vero
nitas! Ac postremam hanc ubi memoro Codicis Sacri do-
quem potius cogito, quam eum, cujus nomen, quod modo
adscripsi, nunquam equidem sine venerationis aliquo sensu
ıpo, Prophetam *Jesaïam?* Vos enim novistis, Commilito-
(si hîc quoque Vos compellare permittitis) quam saepe, di-
hujusce Vatis insigniores quosque locos Vobiscum interpre-
), usu veniat, ut nunquam mihi ipsi minus me satisfacere
lum sit, quam ubi id agam ut illius quantumpote Vobis
cem praestantiam poëticam. Novistis me tum subinde ves-
et testem advocare et adjutorem pulcri sensum, qui acrior

rumque cultores *satiricum* agitaret flabellum, qui in quamcunque partem volebat stylum convertere poterat, princeps hic Poëta. — Verum aliud est, quod hîc praetermittere non licet. In omni illâ, quae ligatam orationem vel illustrat vel ornat, elegantiarum quarumvis supellectile adhibendâ suosque in usus convertendâ nunquam exhaustam ingenii vim creatricem, ubertatem, copiam Propheta demonstrat. Neque enim ullum cogitando invenire poteris aut Rhetorum ex libris in memoriam tibi revocare imaginum genus ac comparationum, nullam troporum ac figurarum formam ac conversionem, cujus non apud unum hunc *Jesaïam* pulcherrima passim ac luculentissima exstent exempla.

»Enimvero hoc," sic mihi forsitan occurret aliquis, »quamvis insigne sit ad laudem atque illustre, cum aliis ei commune est magni nominis Poëtis." Nec intercedo equidem; quamquàm quo consideratius optimos quosque veteres legeris ac recentiores Poëtas, eo libentius Te mihi assensurum confido, paucissimos omni tempore fuisse, qui, in elegantiarum hâc palaestrâ, de copiae ac varietatis palmâ cum illo contendere possent. — Verum verborum et sententiarum, quibus Prophetae sermo distinguitur, lumina multo etiam magis prudenti me capiunt aptoque *delectu*, quam *copiâ* et multitudine. Plerique enim Orientales in iisque Arabes potissimum Poëtae, eos si denuo comparare licet, iis afferendis, quae dixi, luminibus ita non raro luxuriant atque ingenio abutuntur, ut multa eorum carmina, tametsi suis non defraudanda sint laudibus, haud injuriâ *margaritarum non bene junctis nec connexis* comparare possis *catenis*. Tropos saepe figurasque et comparationes eodem loco cumulant ac coacervant diversissimas. Quarum ab unâ ad alteram tam rapido saepe pede transsiliunt, ut plures quidem lectoris animum transvolent imagines, nec ulla tamen ibi paullo altius haereat infixa. Verum a desultoriâ horum levitate quam longe nostri hujus Prophetae sobrietas dissidet ac prudentia! Apud hunc quidem, fateor enim, non nullas subinde comparationes offendimus atque imagines, eorum magis, quibus vivebat, temporum locorumque, quam nostro, pulcri sensui ac judicio attemperatas. Verum ingenii volatus vel altissimos per-

petuo fere regere videmus ac moderari judicii subtilitatem. Neque igitur tumultuarie profundit, sed apte potius et idoneë disponit orationis pulcherrima quaeque ornamenta. Nunquam temere ea sacco veluti projicit; sed ad eos tantum prudenter adhibet locos, unde si abessent, ipsarum sententiarum vel perspicuitati aliquid decederet vel venustati vel sublimitati.

Quae omnia quum ita sint, disputationis, quam informavimus, ac judicii, quod *Jesaïae* de libro ferendum arbitramur, en tibi summam et exitum! Vere divinam eo contineri doctrinam censeo, quam, ipso volente ac jubente Deo O. M., aequalibus ac posteris Propheta tradiderit, atque ea singulatim futuro de tempore vaticinia, quae nulla ei suggesserit humana solertia, ipse adeo ejus animo patefecerit Dei Spiritus Sanctissimus. Verum, etiamsi forte haec omnia secus se haberent, ac solum hîc hominem suo de fonte hausta sapientiae monita ac praecepta depromentem audiremus; vel sic tamen longe dignissimum idem hoc esset carminum volumen, quod ab omnibus iterum iterumque legeretur, qui praestantissimae, quae unquam fuerit, Poëseos pulcritudine, sublimitate, divinitate pectora ipsi sua pascere vellent et delectare, atque ad generosa quaevis et magnanima sectanda impellere.

Verum, heus Tu! ita me non nulli forsitan compellabunt lectores, nonne importune nimis nostram tentas patientiam et exerces, qui per ipsam hujus loci inscriptionem Knobelii de commentario te relaturum receperis, jam vero sic de universo disputes *Jesaïâ*, ac si nullum Giessensis illius Professoris librum exstare vel fando audiveris? — Cui vero vel quaestioni vel reprehensioni modeste reponere mihi liceat, haud incommodam quae diximus viam parare videri ad alia quaedam monenda, quae et Prophetae cum interpretatione et Knobelii cum opere non levem habeant conjunctionem. Quamquam vereor ne quae dicturus sum *Seculi* judicio non plane probentur, quin in graviorem ejus incurrant offensionem. Ubi igitur hodiernos Sacri Codicis

attendimus ac *Jesaïae* singulatim interpretes, aliorum in commentariis *grammaticam* praevalere rationem videmus, aliis *theologicam*, quam vocant, praeplacere. *Illi* id potissimum agunt ut, quo maximo possint acumine ac subtilitate, verborum singulorum atque enuntiatorum vim definiant et potestatem. Quâ in re, quo longius vel levissimam a se removeant *ἑτεροδοξίας exegeticae* suspicionem, ad ea etiam, de quibus ne tiro quidem dubitet, probanda Gesenii aut Ewaldii (1) vel, ubi de N. T. agitur, Wineri *Grammaticam* testes ac vindices appellare solent. Laudo sane proboque; dum modo priorem fuisse et antiquiorem usum loquendi meminerint, quam Grammaticorum decreta, adeoque haec *illi*, non illum *his* cedere debere atque obedire. Nec quemquam improbantem habebunt prudentiorem arbitrum, si scienter cauteque adjutricem advocârint *Historiam;* sine cujus auxilio saepe fit ut suo munere perfungi nequeat nec, sicuti par erat, locorum S. C. sententiam explicare grammatica interpretatio. Quocirca in praecipuis commentarii, de quo agimus, hoc censendum est meritis, quod, Historiam ducem secutus, quae cum Prophetae vaticiniis quodammodo copulata videbantur, temporum, rerum gestarum atque eventuum adjuncta frequenter memorat atque ad illa adhibet illustranda. Quâ in re non raro ingeniose eum ac docte versatum esse, iniquus sit qui neget. Ac si quando minus felicem habuit exitum conatus, quod subinde factum esse multi mihi assentient lectores, laudanda tamen nobis voluntas erit et acumen. Certe, qui historicis imprimis de adjunctis diligenter se acturum esse, in praefatione receperat Auctor, minime vanus interpretando promissor apparuit. — Sed, quam scienter temporum conversiones attendit ac fata, tam diligenter vellem in hominum, de quibus agitur, moribus notandis versatus esset et institutis publicis ac privatis, tum victu ac vestitu, aëris, quem hauriebant, temperie, soli, ubi habitabant, naturâ atque universe in

(1) Praedicanda tamen omnino Knobelii ingenua est liberalitas, qui, quamvis vehementer olim, ut mox videbimus, cum Ewaldio litigaverit, honorificam tamen subinde *Grammaticae* illius faciat mentionem.

omnibus iis, quae ad *populorum* antiqui orbis *Orientalium Antiquitatem* latissime sumtam referuntur. Etenim dictu incredibile est scita et opportuna harum rerum animadversio quantam vim habeat et utilitatem ad interiorem multorum locorum et rationem intelligendam et pulcritudinem sentiendam. Quo magis dolere soleo hodiernos interpretes non paucos, quam loquaces sunt grammaticis in rebus, iis etiam ipsis, quae nihil difficultatis habebant, excutiendis, tam mutos non raro deprehendi ac taciturnos, ubi ex iis, quos dixi, fontibus lucis aliquid hauriendum erat. Quae tamen reprehensio in alios magis convenit, quam in Knobelium; qui, quum jam recte aliquando has res attigerit, tertiam si quando curaverit commentarii editionem, pleniore, ut speramus, atque uberiore eas complectetur annotatione.

Verum, his nunc quidem paullisper missis, aliud quid monere juvat, quod et cum antegressâ, unde exorsi sumus, disputatione conjunctum est et cum eo, de quo quum maxime agimus, Theologi Giessensis opere. *Interpretationis*, suis absolutae partibus, officium esse videtur, ut non solum *quid* ab Auctore dictum sit dispiciat ac definiat, sed item *quale* sit illud quod dixit. Ita certe statuentibus Grammaticis antiquis elegantissimi quique recentiores assenserunt Litteratores. Iccirco, si vel ligatae vel prosae orationis scriptum aliquod eximiâ pulcritudine excellit aut sublimitate, intelligentis cultique non esse *lectoris* omnes mihi concedent, ad tantam illius *frigere* ac torpere praestantiam, atque ita sentientem, aut potius ita nihil sentientem, illud legere, ac si, otii fallendi caussâ, levissimam aliquam oculis pervolet fabulam Aspasiam sive Milesiam. — Jam vero si frigere, ubi calere potius oportebat, *lectorem* dedecet, *Interpreti* sane id decorum esse non potest. Cui praesertim ad pulcherrimorum quorumvis locorum pleniorem intelligentiam aditum illi aperiundi atque expeditiorem reddendi sponte susceptum incumbat officium. Quid multa? Non admodum mihi eorum placet institutum interpretum, qui tam tenuiter ac tantâ jejunitate Jesaïae aliorumque Poëtarum Hebraeorum carmina enarrant, ut tenuius non possent nec jejunius, si aridissimum aliquod ac maxime balbutiens explicandum sibi sum-

sissent *decimi seculi Chronicon.* Nolim sane ut, quâcunque datâ occasione: *Quam pulcrum hoc!* inepte lectori acclament, *quam sublime illud!* Sed ita demum plene eos officio satisfacere existimo, si exquisitiores certe Scriptorum Sacrorum elegantias non solum quodammodo intelligendas lectori impertiant, sed item sentiendas atque animo imbibendas. — Ac noli dubitare quin *altiore*, quam vocant aequales, cum *Criticâ*, quae Librorum sacrorum de origine quaerit et Auctoribus, arcte conjuncta sit *aesthetica* haec eorum consideratio atque enarratio. Quod praesenti ex re ducto illustrare juvat exemplo. Vaticiniorum, quae *Jesaïae* tribui solent, non solum totam partem posteriorem, Cap. XL—LXVI, spuriam habet eique male suppositam, plerosque secutus recentiores, Knobelius; sed alios etiam plures, qui ejus in volumine nunc exstant, locos insigniores. In quibus, alia ne memorem, nobilissima est Babelis de excidio vaticinatio, Cap. XIII. XIV. Jam vero absit quidem ut de Viri clarissimi, cujus merita suspicio, minus honorifice statuam *sensu aesthetico.* Sed, quaestionibus grammaticis excutiendis implicatus ac distractus, eorum, quae Prophetae abjudicat, carminum singularem omnique laude superiorem non, sicuti par erat, attendisse videtur ac considerâsse praestantiam poëticam. Quod si fecisset, a vero de eximiis horum carminum dotibus judicio profectus, has sibi alisque positurus fuisse videtur quaestiones: »*Ea, quibus nihil* »*praestabilius, nihil sublimius universa extulit Hebraeorum Poë*»*sis, num iis demum temporibus nata esse et consignata credibile* »*est, quum, proxime imminente aut premente jam saevâ exterorum* »*dominatione,* δούλιον ἦμαρ ἥμισυ ἀρετῆς ἀποαίνυσθαι *ince*»*perat; — quum ipso cum Jehovae populo, testibus scriptis eâ tem*»*pestate monumentis, illius et* Poësis *plane defloruerat, et* lingua, »*per crebram cum peregrinis conversationem, pristinam amiserat* »*puritatem atque integritatem? Num ita statuentes, ac pessimis* »*temporibus optimorum quorumvis poëmatum uberrimum tribuentes* »*proventum, illud de nobilissimae Artis, crescentis ejus ac de*»*crescentis, fatis judicium sequemur, quod omnium paêne gentium* »*Historia commendat litteraria?*" — Ad has igitur quaestiones,

aestheticis accuratius perpensis rationibus, nec ingenio per praejudicatas obtuso aequalium opiniones, *negando* responsurum fuisse Knobelium confido; neque igitur ea, quorum ipse praedicat pulcritudinem, poëmata ad *aeneam* Litterarum Hebraicarum aetatem detrusurum. Quam in spem per ea potissimum inductum me sentio, quae, *Introitûs particulâ quartâ,* de dictionis Jesaïanae genere ac charactere disputavit. Quâ quidem in disputatione non pauca me desiderare haud diffiteor. Verumtamen quae quum aliis de rebus ibi monet, tum imprimis de Poëtae *imaginibus* ac *comparationibus*, ea recte vereque de iis eum judicâsse demonstrant, et digna sunt quae nostris etiam lectoribus perpendenda commendemus. Quo magis optandum fuerat ut, ipso in commentario, iis certe Prophetae locis, quorum elegantia, ut ab omnibus perciperetur ac sentiretur, aestheticae admonitionis aliquid requirebat, a consuetâ paullisper discessisset annotandi tenuitate ac jejunitate. Sed negligentiae Virum incusare nolo, cujus solertiae pluribus nominibus laudandum hunc debemus commentarium. Nolo vel de Bibliopolâ conqueri, qui nimis imperiose Enchiridii forsitan Auctoribus brevitatis legem sequendam imposuerit, vel de *Seculi* potius perversitate; quod, quo libentius spinis ac vepribus, vel theologicis, vel philosophis, vel grammaticis adeo, implicari se patitur, eo magis ab elegantiae poëticae venustate in Sacro Codice percipiendâ atque aestimandâ abhorrere videtur.

Verum satis superque de iis dixisse videmur, qui, sicuti Knobelius, in *grammaticâ* declarandâ singulorum verborum ac locutionum potestate toti sunt ac plerumque acquiescunt. A quorum instituto, ligatae orationis in scriptis ubi versantur, minime alienam esse elegantiorem de poëticâ illorum indole ac dotibus disquisitionem nobis apparuit. Sed ad eos etiam ipsos, quales hodie multi sunt, hoc pertinet officium Viros doctos, quibus *theologica* prae caeteris curae cordique est Sacrarum Litterarum interpretatio. Quae eadem item *piae,* vel *fidelis* imprimis

aut *fidentis*, explicationis nomine a patronis commendatur. Num commode ac perspicue, videant alii. Horum vero tam diversa est ratio, aliter aliis eam temperantibus, ut vix aut ne vix quidem cunctae illius formae unâ comprehendi possint, quae omnes contineat, definitione. Pro variâ enim, quam sibi aliisque informant *Theologiâ*, ab eâ repetita differt interpretatio *theologica*. Universe autem quod Sacrâ in Scripturâ *divinum* est, quod de coelesti ejus testatur origine, quod Dei de naturâ, consiliis cultuque nos edocet, id prae caeteris attendunt, explicant, subinde adeo vel per piam adjectam ἄσκησιν, vel per quaesitum *profundiorem* multorum passim locorum *sensum*, lectoribus magis fructuosum reddere conantur. Quorum in studiis atque institutis est sane quod merito laudes et approbes. Neque enim divinâ de institutione nimis magnifice sentire possumus, nec nimiam in ejus praestantiâ limpidissimo ex fonte declarandâ curam collocare. Nolim tamen, quod subinde committere videntur, *grammaticam* negligant et *historicam* interpretationem, atque ea, quae illius legibus adversentur, decreta sectentur. Nolim, *theologicae*, quam laudant, explicationis subsidio usi, suae ipsi *Theologiae* ejusmodi parent praesidium, quasi ab interpretibus Sacri Scriptores, non *illi* ab *his*, edocendi sint. Nec velim obliviscantur (hoc enim hujus loci cum disputatione conjunctum est) apud *Jesaïam* certe, quae gravissima exstant vaticinia, eadem maxime sublimia esse *carmina*. Cujus rei nisi memores sint, verendum est ne, quae de Poëseos Hebraicae indole vere et eleganter Lowthius docuit ac post eum Herderus, ea proximo quidem seculo eximie profuisse videantur, huic nostro vero periisse aut omnem certe usum amisisse (1). Et vero, quod caussam continet, manca sit

---

(1) Dignissimum quod cum dictis conferatur Michaëlidis est *Epimetron* ad Lowthii *de sacrâ Poësi Hebr. praelectionem* XIX. Ubi, posteaquam illius *de parallelismo membrorum* dicta et praecepta suâ reposuerat editione, haec continuo subjicit: »*Egregie vero,*" inquit, »*monitum ab auctore: tota* »*enim praelectio poësin non magis spectat, quam Hermeneuticam, quae quam* »*prodeat misera et vitiosa, sine poëmatis Hebraici sensu ac gustu procusa, hoc* »*maxime exemplo disci potest.*" Sed omnia sunt legenda, quae *de usu hujus parallelismi hermeneutico* multis deinceps docet allatis exemplis.

et inchoata de *theologico* Librorum sacrorum charactere et indole disputatio necesse est, quae externum eorum habitum ac praestantiam non attenderit, nec lectores recte aestimare docuerit. Nam, sicuti plerisque aliis in rebus ac quaestionibus, ita hîc etiam indivulso fere nexu cum materiâ conjunctam esse formam apparet.

Verum haec ad quosvis potius alios pertinent interpretes, quam ad Knobelium, qui pristinum nondum plane deseruisse videtur *Rationalismum;* quo captus atque, ut equidem censeo, subinde deceptus, ante hos plures annos, magnum edidit idque ingeniose scriptum opus; ubi de *Hebraeorum Prophetismi*, quem appellat, historiâ, ortu, progressione, exitu, copiose agitur. Quod certe opus Rationalistarum valde placuit Coryphaeis magnisque ab iis ornatum est laudibus (1). Quamquam multa continet, iis etiam ipsis utilia, qui ab illorum placitis aversi sunt ac commentis. Atque hoc ipsum meliore etiam, si quid video, jure de *Jesaïano* affirmare licet commentario. Fateor, ne hîc quidem

---

(1) Dicitur opus: *Der Prophetismus der Hebräer, vollständig dargestellt*, Wratislaviae, (cujus Academiae tunc erat in Professoribus) 1837. II Tomis. Ubi quae de Prophetis, quum universis tum singulis, disputat eorumque placitis theoreticis, moralibus, politicis, item de eorum dicendi genere ac spe et exspectatione Messiaticâ; — haec igitur accurate excerpta vidimus et laudata a Censore in Röhrii *Krit. Prediger-Bibliothek*, ad a. 1838. XIX. 2, p. 199 sqq. Cujus laudibus alius plane assentit Censor in Ephem. *Theol. Literaturbl. zur allg. K. Zeit.* a. 1838, No. 55 sq. A quo hoc, de quo dicimus, opus cum ejusdem fere aut affinis certe argumenti libro comparatur, quem ediderat Fred. Burch. Köster: *Die Propheten des A. u. N. Test. nach ihrem Wesen u. Werken dargestellt;* Lips. 1838. Cujus hic exitus erat comparationis, ut Aemuli libro Knobelii opus, magis *rationalisticum* illud, longe praeferendum esse censeretur. Verum majore etiam vel libertate vel confidentiâ Rationalistam hîc eum agere oportuisse, tertius nobis auctor est Judex, id est Eduardus Reuss, Vir nunc omnibus ab audaciâ notus, in *Allg.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* ad m. Januar. 1839, N°. 1 sqq. — Caeterum quae, vel in textu vel hâc ipsâ in annotatione, Auctoris de *Prophetismo* diximus, ea per censuras confirmata videbis, quae exstant, quum in memorato jam Röhrii Ephem. ad a. 1839. XX. 4. p. 579 sqq., tum in Rheinwaldii *Allg. Repertor.* ad ejusd. anni 1839 m. Novembr. p. 197 sqq. Utroque enim loco comparata denuo videmus, quae memoravimus, Knobelii ac Kösteri opera.

Prophetae ejusmodi tribui videntur *vaticinia*, quibus futura, quae suopte praevidere non posset solertiâ atque acumine, Deo mentem illuminante certo ac definito annuntiârit augurio. Eorum enim, qui jure iis annumerantur, locorum alios ejiciendo semovet, alios interpretando in alienam convertere conatur sententiam. Quae ipsa tenuior de vaticiniis opinio Viri solertissimi subinde retudisse videtur acumen criticum atque exegeticum. Verumtamen moderatius nunc, quam olim, his in rebus versatur; honorifice admodum Prophetae laudes praedicat; atque *idealem* certe aliquem eum sperâsse *Messiam* existimat. Nec diutius huic insistere juvat quaestioni. Scio enim, ego quae doleam atque aliter scripta velim, Seculo haec placitura esse. Nec committendum ut ipsi mihi sic oculos praestrinxisse videatur dogmatica ab Auctore dissensio, ut multa, quae habet ejus liber, bona non attenderim nec justo pretio aestimârim. Quod longe profecto abest.

Quod supra a nobis reposita docet libri inscriptio, *Enchiridii in V. T. exegetici,* plurium industriâ collatis ex symbolis paullatim coalescentis, *quinta* haec, prioris ratione habitâ editionis, *Pars* appellatur. Hoc igitur *Enchiridion* quomodo universe informatum esset, nuper, de Thenii atque Hirzelii Commentariis relaturi, descripsimus. His enim totius operis *nona Pars* contineri dicebatur ac *secunda* (1). Jam, quod in multa convenit singulorum anctorum scripta judicium, *bona malis esse*

(1) Vid. *Chartt. theol.* L. I, p. 19 sqq. — Ad eas, quas ibi recensuimus, hac postea, quantum novimus, accesserunt magni operis Partes:

Pars XIV. *Psalmi, interpretante* Justo Olshausenio, *Lips.* 1853, pp. 505 (de quo mox pauca);

— XV. *Libri Paralipomenorum s. Chronicorum, interprete* Ernesto Bertheau, *ib.* 1854, pp. 432;

— XVI. *Canticum Canticorum et Threni Jeremiae, interpretibus* Ferd. Hitzigio *et* Ottone Thenio, *ib.* 1855, pp. 180.

Antea editorum commentariorum novas, a nobis nondum memoratas, editiones exstitisse ignoramus, si ab uno discesseris, de quo quum maxime agimus, Knobelii libro.

mixta, mala bonis, multo id majore jure ad ingens hujusmodi potest applicari *Promtuarium;* cujus varii generis pensis elaborandis, pro Bibliopolae, ut videtur, sensu ac judicio, alii adhibebantur a doctrinae copiâ satis parati Opifices, alii, quorum audaciam potius mirari subeat, quam eruditionem. — In praestantioribus igitur, qui in exegeticum hocce prodierunt theâtrum, Actoribus Knobelium censere non dubito. Nam melior sane est, quam Justus Olshausenius, cujus tenuissimae eidemque audacissimae *Psalmorum* Interpretationi si qui laudatores obtigerunt, eorum nec veri perspicientiam laudabo nec criticum acumen (1). Melior est aut utilior certe lectori, quam Hitzigius, qui, quamvis Olshausenio sit ingenio superior et doctrinâ, tam obscuro non raro utitur Auctores enarrandi genere, ut, sicuti Heraclitum veteres, *tenebricosum* jure eum dixeris. Verum, quod vel maxime laudandum est, longe melior jam *se ipso* Knobelius apparet, id est melior, quam qualis erat, ubi, ante undecim hos annos, commentarii in Jesaïam priorem curaverat editionem. Quod, quum meo mihi constitisset usu atque

(1) De hocce Olshausenio, Hirzeliani in *Jobeïdem* commentarii Editore, loco mem. p. 44, leniter admodum dixi. Ac ne nunc quidem dictorum me poenitet. Malo enim nimiâ censendi lenitate peccare, quam severitate. Jam vero in *Psalmis* interpretandis tam inepte versatus est et tam audacter, ut meis ipse vix fidem haberem oculis, ubi *certá* ac *philologicâ* viâ eum rem egisse, duos affirmantes vidi Censores. Quorum alter, W. Neumannus, sententiam dixit in Rudelbachii et Guerikii *Zeitschr. f. die ges. Luth. Theol.* 1855. 2. p. 306 sqq.; alter, Anonymus L., in *theol. Literaturbl. z. A.* (*Darmst.*) *K. Z.* 1854, N°. 72. Quamquam hic aliunde potius eum quae dicit *excerpsisse* fatetur, quam suo ex fonte hausisse. — Melius hîc quidem cum Ewaldio mihi convenit (*Jahrb. der Bibl. Wissensch.* V. 1852—1853 p. 250 sqq.), illius quum crisin, tum exegesin, tum inimicum in S. C. ejusque interpretes animum, non magis severe, quam juste castigante. — De criticâ quidem ejus ratione hoc unum ex multis monere sufficiat. Plerosque omnes Psalmos ex *Maccabaeorum* repetit aetate, ut *Davidicus* sit nullus, ex tempore, quod destructam antecessit Hierosolymam non nisi paucissimi quidam. Quam ejus sententiam exponit nec vero probat Duesterdieckius, in Reuteri *allg. Rep.* Aug. 1856, p. 97 sqq. Quorsum haec? Ne nimirum, a me non moniti, pro frugibus glandes sibi comparent Commilitones.

experientiâ, ubi, cum Auditoribus in Prophetâ versatus, hujus Interpretis vel bene dicta subinde laudabam, vel errores humaniter corrigere conabar; tum honorifico nuper confirmatum vidi, quod improvisum mihi accidit, Ewaldii judicio (1). Diu enim erat, quod gravissimas cum commentarii Auctore inimicitias eum exercuisse novissem. Hic nimirum, a. 1836, *Ecclesiastis* a se paratam *Interpretationem* ac, sexennio post, hujus ipsius libri *Jesaïani* priorem publicârat editionem. Jam vero noli quaerere, quam vehementer, publice deinceps proditis censuris, utrumque librum exagitârit Ewaldius ac perstrinxerit. Solitae enim obsecutus morositati, in neutro quicquam sibi laudandum, in utroque tantum non omnia vituperanda putavit. Nec vero ut vehementer adeo Knobelium adoriretur impune commisit. Hic enim integrum aliquem eumque satis copiosum ei reposuit libellum, cui, Germanice scripto, mirum hunc fecit aut festivum titulum: *Vademecum exegeticum*, Ewaldio *destinatum, Professori Tubingensi* (2). Ubi non id solum agit, ut sua, quae dixi, scripta ab Adversarii reprehensionibus acerrime tueatur defendatque. Eâdem enim operâ nullos non huic ipsi objicit errores, nulla non delicta, fastum maxime intolerabilem, insolentem aliorum quorumvis contemtum, impie violatos, ne plura afferam, Gesenii manes. — Postea quae utrumque inter Virum doctissimum factae sint lites, quae secuta jurgia rixaeque, non accurate me meminisse fateor nec annotâsse. Id scio atque id mihi,

---

(1) In *Jahrb. der bibl. Wissensch.* VI. 1853—1854, p. 101—103. — Priorem editionem acriter olim vituperârat in *Gött. Gel. Anz.* 1843, p. 1948 sqq.

(2) *Exeg. Vadem. für Herrn Prof.* Ew. *in Tübingen; Giessen*, 1844, 144 pp. Qui libellus universe valde laudatur a Viro doctissimo, in *theol. Literaturbl. z. allg. (Darmst.) K. Z.* 1844, No. 124 sq. — De Ewaldio, sibi valde placente, alios nimis contemnente, Gesenium imprimis inique atque injuriose tractante, Knobelio plane hicce assentit Censor. Magna esse illius in *Grammaticam Hebraicam*, minora in Librorum sacrorum interpretationem probare conatur; de styli imprimis obscuritate ac contortâ ratione, non injuriâ sane, multa conquestus. — *Meum* quidem *non est tantas componere* aut judicare *lites;* ac *tantas* doleo *animis coelestibus iras* esse. Verum lectu dignum esse Knobelii libellum puto.

pacis amantiori, quam contentionum pugnarumque, omníno memorandum videtur, ipsum adeo Ewaldium, quamvis acrem aliorum plerorumque reprehensorem, quamvis Knobelio infestum, ita jam judicare ut, utrâque comparatâ libri editione, priori posteriorem sese praeferre satis diserte significet, ac multos nunc eum repudiâsse, quos antea commiserit, errores *libenter profiteatur.* Cui, converso jam in benigniorem partem, illius judicio *libenter* (paullo libentius etiam forsitan, quam ipsum) me assentire affirmo. Nec vero quae hanc comprobent assensionem argumenta, quum in superioribus passim allata sint, hîc repetere quicquam attinet. Rei summa huc redit. Etsi aliam, quam ipse fecit, non paucis Libri locis tribuendam esse existimo sententiam atque, ubi de *vaticinationum* origine, consilio atque eventu quaeritur, plerumque dissentio; veram tamen universe probatamque interpretandi viam grammaticam et historicam eum secutum esse usu comperi. Multa Prophetae dicta recte, alia probabiliter, alia, nisi vere, at ingeniose explicavit, non nulla praeclare adeo. Quocirca ne eum quidem, qui diu in divinis habitavit Jesaïae oraculis, hunc consuluisse Interpretem poenitebit.

His universe monitis paucula certe subjicere lubet vel recte vel, ut mihi quidem videtur, secus dictorum exempla. *Introitus*, ut hinc ordiamur, et alibi multa bona continet et *primâ* imprimis *sectione.* Quâ vero exeunte, nullam plane auctoritatem habere contendit opinionem, quae *regni Judaici Historicum* (1) fuisse statuit *Jesaïam.* Quod videat Vir doctissimus ne nimis

(1) Germ. *Reichsannalist in Juda.* — Non mihi constitit, utrum solum hoc neget Auctor, *publicâ* eum *auctoritate* historias conscripsisse, an vero nullam omnino consignandis patriae annalibus operam dedisse Prophetam existimet. — Quem laudat *Prophetismum;* eum nunc consulere non potui.

confidenter sit dictum. Ne enim ea attingam aut urgeam, quae in volumine, quod Prophetae tribuitur, monumenta exstant historica, bina consideret testimonia velim, 2 *Paralipp.* XXVI. 22 et XXXII. 32 consignata. Posteriore enim, qui priore disertior est, loco *Hiskiae res et pulcre facta conscripta esse* dicuntur בחזון ישעיהו, *Jesaïae in Visionibus.* Ubi Prophetae liber, qui et oracula continebat et historias, collectivo *Visionum* nomine, quod a potiore ducebatur vel sublimiore argumento, nuncupari videtur. Haec enim Bertholdtii (1) interpretatio et simplicissima est et optime cum usu loquendi convenit, quo qui *Prophetis* debebantur libri, tametsi non solis constabant *oraculis*, generali *Visionum* nomine dici consueverant. Hic igitur mixti argumenti liber Jesaïanus postea, sacrâ forsitan in bibliothecâ, majori alicui, cujus pars habebatur, operi adjectus atque appositus esse videtur, quo *Regum Judae et Israëlis Annales* continebantur. Hoc enim proxime sequentia significare puto verba על־ספר caet.

Verum, his aliisque, quibus calculum adjicere nequeo, sepositus, acutioribus Critices arbitris hanc ponere liceat quaestionem, num de scriptorum, quae *Jesaïae* tribuuntur, origine, *Introitûs postremâ sectione,* satis probabiliter disputari existiment? »In eo, inquit, quod Jesaïae nomine fertur, opere plura, quam ullo alio in libro prophetico, spuria sunt reposita. Quod ex hujus potissimum Prophetae repetendum videtur auctoritate. Sicuti enim, ita pergit, in legislatione *Moïsem,* in Psalmorum poësi *Davidem,* didactico in carmine *Salomonem* principem habebat Hebraeorum Litteratura, ideoque ea etiam, quae non scripsissent ipsi, eorum nomini tribuebat; — haud aliter Prophetarum Ordinis Coryphaeus censebatur *Jesaïas,* atque honorifice ὁ Προφήτης ὁ μέγας appellabatur. Si quae igitur, ita rationem concludit Knobelius, *anonyma* repererant vaticinia, quo melius haec magni alicujus nominis praesidio ac tutelâ conservarentur, illius inseruerunt atque annexuerunt orationibus; atque eorum (recens inven-

(1) *Einl. in die Schriften des A. u. N. T.* Tom. IV, p. 1350 sqq.

torum) partem vaticiniorum pro vere Jesaïanis habuerunt. Quod *sine dubio* factum est in Cap. XIII—XIV. 23. Cujus carminis Auctorem *Jesaïam* fert inscriptio." Ecce igitur, quâ maximâ potui perspicuitate atque ἀκριβείᾳ, Viri doctissimi Tibi repositam argumentationem. Quamquam quae haec sit argumentandi via ac progressio, me non intelligere fateor. Nam instituta cum *Moïse*, cum *Davide*, cum *Salomone* comparatio tum demum vim aliquam haberet, si eorum, quibus illa praescripta sunt nomina, varii generis librorum tot et tam graves subditicias esse partes constaret, quot et quam insignia *Jesaïae* falso tributa esse carmina contendit Knobelius. Ut nunc res est, conjecturarum de Prophetâ audaciae in iis praesidium quaerit, quae probanda erant, non ponenda, demonstranda, non quasi certa essent sumenda. Quid, quod in totâ Hebraeorum, quâ late patet, Litteraturâ vix quicquam, de quo constet, remanebit, si de quaternis eorum Scriptoribus omnium celebratissimis ita, ut eum fecisse videmus, judicandum sit! — Deinde, quam diversa confundat attende eodemque complectatur judicio. *Alia* enim fuisse ponit plane ἀδέσποτα, de quorum auctore nihil posteris constiterit; *alia*, quae, quâcunque tandem de caussâ, falso pro *Jesaïanis* habuerint. Ecce igitur duos, quos serioribus tribuit Judaeis errores, sed longe a se invicem recedentes illos: in *altero* enim levis erat credulitas, *alter* male consideratum studium habebat et cupiditatem ab interitu scripta vindicandi anonyma. Neque igitur de utroque ita promiscue agendum erat errore, ac si, quod de alterius origine, si forte, valeret, in alterum etiàm conveniret. — Tum, quod magnam apud Judaeos Prophetae fuisse auctoritatem verissime monet, nonne ipsa illa debuit impedire auctoritas atque obstare, quominus iis, quae sanctissima omnes habebant, illius oraculis ea adjicerent, quae alium quemvis potius, quam illum, auctorem habere scirent? Conservare voluerunt, inquit, scripta anonyma ac curare ut, Palladis veluti aegide, iis apposito Vatis nomine celebratissimi, ad posteritatem tuta perferrentur Audio; nec vero credibile esse existimo Judaeis honorem magis et existimationem curae cordique fuisse anonymorum quorumvis scrip-

torum, quam summi omnium Prophetae, quem, Dei Numine plenum, remotissimos quosque futuri temporis exitus cecinisse persuasissimum sibi habebant. Tuam fidem, amice Lector! hujusne potissimum sacrosancta volumina alienis eos onerare voluisse, undique corrasis, additamentis Tibi probabile videtur, aut callidis, si qui fuerint, hominibus, sua pro *Jesaïanis* venditantibus coecam habuisse fidem?

Cum iis, autem quae ex ineunte reposuimus Introitûs ultimâ sectione, quomodo quae, ejusdem sub finem, de *Jesaïae* Capp. XL — LXVI disputat, concinant aut in concordiam revocari possint, nullâ operâ me posse expiscari fateor. Omnia enim haec Capita ab eodem aliquo repetenda esse Prophetâ contendit, Babylonico in exsilio vivente illo atque eo, quo nunc se habent, ordine sua haec disponente vaticinia. »*Caussas vero*," inquit, »*quibus factum sit ut Jesaïae ea tribuerentur, reperire non pos*»*sumus nec explicare.*" Siccine hîc jam Criticus eorum oblitus erat, quae de Judaeis, *αδέσποτα* scripta ab interitu vindicandi studio ductis, modo antea conjecerat? Nam vel falsas esse atque inanes *has* conjecturas, vel ineptam *illam* de Capp. XL—LXVI ignorantiae professionem, nemo non videt. Adeo verum est, quod saepe me monentem audiunt Commilitones, sibi constare non posse, atque *sua* ipsam *caedere vineta* recentissimam, quae multis placet aequalibus, *Criticam aëriam.*

Hoc jam nobis agendum restat, ut de uno certe alteroque ipsius *commentarii* loco paucula moneamus. — *Capitis* igitur *primi sect.* 16 cives adhortatur Propheta: רחצו הזכו, *lavate vos et purgate.* Omnium, quantum novi, linguarum usu receptum est, ut animi morumque emendationis imago corporis sit *lavatio.* Quâ in re nihil magnopere Hebraeis peculiare est privumque. Neque igitur erat quod, quo melius hoc explicaret Interpres mandatum, *Moïsis a lege externam impuritatem Leviticam simul etiam pro peccato habitam esse ac culpâ* contenderet. Cui ejus opinioni in iis certe, quos affert, Veteris et Novi

Testamenti locis, quibus alii multi possent addi, nihil est praesidii. Nam iis quidem omnibus animi vitia corporis externae depingunt sordes, nec tamen illis aequiparari censendae sunt. Non magis enim, quam publico Dei cultu per se jam animi pietatem, cujus esse debebat imago, contineri docuit Moïses, *cadavere* e. g., in quod imprudenter incideras, tangendo peccatorem te fieri statuerat. *Pharisaeis* quidem auctoribus, *illotis* cibum capere *manibus* gravissimum aliquod peccatum erat. Verum non illos, credo, legis Mosaïcae, cujus veritatem suis quotidie infringebant traditionibus, interpretes requiremus. — Profecto nullâ facile de re iniquius hodie multi judicare deprehenduntur, quam de divinâ Israëlitarum legislatione.

Ibidem, sect. 18. Duplici nomine laudanda est, quam Knobelius commendat, hujus loci interpretatio. Primum enim verbum נוכחה, *judicio disceptemus,* male divinis de *poenis* Gesenius sumserat ac post eum Hitzigius. Quos vero pulcre refutat, *primâ* notatâ verbi *personâ*, quâ ita solennis actûs in communionem ipsi etiam advocantur Judaei, ut illorum concidat explicatio. Alterum addi potuerat, ex contextu ductum, argumentum. Est enim admirabilis hîc animadvertenda orationis inflexio; quâ ex eâ, quam superiora spirabant, severitate subito jam ad clementiam significandam ac misericordiam sermo convertitur. Quae non potuit non auditores vehementer pellere ac commovere necopinata conversio. Sententia est: »Dummodo, ad veram pietatem reversi virtutemque, meis morem gesseritis, quibus vos modo edocui, monitis, nihil erit quod judicium extimescatis, quo interroganti mihi Judici vobis respondendum erit.” — Ad subitas ejusmodi atque improvisas orationis conversiones, quibus multa Prophetae dicta cernuntur, quo magis eorum vim persentiscamus ac gravitatem, probe nobis est attendendum.

Eâdem hâc sect. 18, peccata memorantur *cocci instar ac muricis rubentia,* quae sanguinarium veluti colorem habent, adeoque digna sunt quae cruentâ ac sanguinolentâ, id est *capitali,* poenâ luantur. Sed tum demum plene dicti vis perspicietur atque

elegantia, si Knobelii teneamus animadversionem, verissime monentis ad *manus* hîc respici *sanguine foedatas*, quae modo antea, *sect.* 15, justâ cum indignatione erant memoratae. En alterum igitur, quod in eo, hunc ipsum interpretante versum, laudandum esse dicebamus.

Ibidem, *sect.* 23. Pulchre miserrima hîc pingitur conditio regionis Orientalis, quam parvi diripiunt vexantque *Tyranni*, quales hodie etiam passim Turcici sunt imperii Magnates. Primum dicuntur סוררים, *rebelles*, Regis jussa non multum curantes. Deinde, eodem hoc versu, *non unum*, sed duo diversa, quamvis affinia, iis objiciuntur crimina. Quod dubito an satis accurate noster attenderit Interpres. Dicuntur חברי גנבים, *furum socii*. Quod, utrâque in editione, sic explicat, ut *furibus* sint *annumerandi*, *iis similes habendi*, male partas sibi opes acquirentes corruptorumque mercedem anhelantes judiciorum. Nimis tenuiter, si quid video, nec, quae diversa erant, accurate distinctis. *Furum* latronumque *socii* appellantur, quod cum iis, quibus palam gravissimas quasque poenas intentabant, eâ lege clandestinum aliquod pactum inierant, ut furibus impunitis, Magnatibus sua rapinae pars promitteretur ac constaret. Minus quidem eleganter, sed verissime in *Scholiis* rem enuntiat Rosenmullerus: »*Socii furum, ad eos connivebant, furta approbabant et participa-* »*bant.*" — Tum, reliquâ vs. parte, ab iis altero crimine *corrupta* arguuntur *judicia*. Minus distincte etiam Hitz. aliique.

De orationis, quae *Cap.* II—IV consignata exstat, universo argumento ac tempore multa scite monet et accurate. In quibus praeclaras esse affirmo animadversiones, quibus (p. 14) *unam* eamque continentem hanc esse demonstrat orationem; cujus cum clausulâ, *Cap.* IV, concinne admodum conveniat initium, *Cap.* II. 2—4. — Atque hoc ipso de oraculo, quum alia laudabiliter, tum hoc acute docet, nec *Jesaïam* primum ejus Auctorem esse, nec vero *Micham.* Quamquam mallem de *minus liberali,* quae *huic* fuerit, sentiendi ratione nihil adjecisset, ac potius singularem

illius admiratus esset *liberalitatem*, cujus testem habemus locupletissimam, quam *Petrus* Apostolus (*Actt. App.* Cap. II. 17 sqq.) laudavit, orationem propheticam. — Verum hoc *Seculum* est, cui multa condonanda puto! — Ejusdem oraculi de clausulâ, *versu* 4, plura (p. 16) dicit, quae laudem habeant. In quibus tamen non censendum, quod iterum iterumque vage atque indefinite *montes* nuncupat, ubi de uno agi *Sionis monte* loci docet argumentum, confirmat historia.

Cap. II, *sect.* 8. Ubi Deorum imaginibus repletam esse terram Propheta conqueritur, reprehendere eum videtur Interpres, quod immodice rem exaggeret atque amplificet. Quae eo magis mihi mira accidit reprehensio, quoniam haud incommode non nulla afferentem videmus ipsum, unde non vanam fuisse Jesaïae querelam apparet. Nec vero est quod de solis hîc agi putemus, quae publice expositae essent ac publice colerentur, Deorum imaginibus. Si enim olim jam ipsius adeo Patriarchae *Jacobi* uxor dilecta *Rachel*, patri Labano surreptos, venerata erat *Theraphim* (1); quis dubitabit quin, longe corruptioribus his Prophetae temporibus, multis Judaeis Lares fuerint domestici ac Penates? Quorum privatus cultus quum eandem, quam publica Idolorum veneratio, turpitudinem haberet, huc etiam eum respexisse probabile est. — Caeterum a pulcritudine locum laudare praestiterat, quam ab amplificatione notare. Sententiarum enim in consecutione atque in eodem ter repetito, superiore et hocce versu, verbo תמלא quam admirabilis *satirae* vis est et acumen! Quam necopinato conversâ oratione atque inflexâ, quasi civium stoliditati ipse sese accommodet Propheta, pretiosissimis quibusque in divitiis Deorum ista reponuntur simulacra!

(1) Vid. *Genes.* XXXI. 19. 34, coll. Wineri *Realwörterbuch* h. v. et quos laudat.

Verum quando ex priore harum vaticinationum parte pauca delibavimus interpretationis Knobelianae specimina; age, ne committamus ut posterior earum pars plane intacta a nobis relinquatur.

In salsâ igitur *Idololatrae* irrisione, *Cap.* XLIV, *sect.* 17, quâ quicquam in hoc genere praestantius dici potuisse nego, ad *Deum*, quem modo antea suis ipse manibus fabricatus erat, has illum preces convertentem Vates informat: הצילני *etc. libera me: meus enim Tu Deus es!* Quo de loco et alia recte monet utraque operis editio, et hoc ingeniose ac pulcre: »*Ideo has* »*potissimum imaginum cultoribus preces tribuit, quod ut a* Cyro »*in angustias redigerentur triste iis fatum proxime instaret.*" — Quo lucidior haec est, quâ pingit Propheta superstitionis insaniam, tabella, eo magis mihi laudanda videtur vel minima, quâ illustretur, animadversio.

Addi potuerat, quod, eâdem hac ineunte sectione, pro *dimidiatâ*, quam exspectaveris, *ligni parte*, ejus *reliquiae*, ad usus domesticos inutiles scilicet, nuncupantur; majorem id et opificis et operis contemtionem spirare, quam aequalis ligni redoluisset ac bipertita distributio.

Proximâ sect. 18, Hitzigii aliorumque exemplo, ante verbum טח subjectum supplet *Jehova.* Non absurde profecto. Verum quum in praecedentibus non nisi magno intervallo *Jehovae* nomen scriptum exstet, malim hîc supplere, quod proximâ sect. 17 praecesserat, subjectum פסלו; ut ipsum illud *simulacrum,* cui sese prosternunt ac supplicant ejus cultores, eorum oculos occaecare dicatur ac quasi *oblinere.* Quae interpretatio et a simplicitate commendari videtur et cum satiricâ, quâ totus hic locus cernitur, ratione apprime convenit.

Hocce cum loco *ibidem* compares velim *versum* 20; ubi denuo quaeritur, ante prima verba רעה אפר לב, ecquod cogitandum sit orationis *subjectum.* Knobelius aliique ipsum esse putant *imaginis cultorem.* Videat vero Vir acutissimus, qui plura hîc

recte docet, nonne elegantius longe intellexeris, quod praecessit, עץ, *lignum;* quod igitur miselli illius insanum animum *cinere* veluti *pascat* ac *nutriat.* O quam admirabilis sic nobis elucet imago! Ligni istius pars in *cinerem* evanuerat ipsa (vs. 16. 19); reliqua pars, in *Deum* jam conversa, pabulum servo suo eundem praebet *cinerem.* Ecce igitur! plane *cineream* tibi religionem.

Ibidem, versu 26, nollem Interpres priore ex editione in alterâ hâc monitum repetiisset, עבדו *populum* esse *Israëliticum* ejusque singulatim partem theocraticam, cui Sacerdotes praeirent ac Prophetae, Theocratiae custodes. Enimvero non *populum* significari, sed solos, qui Jehovae consilia praedixissent, *Vates*, docet contextus ac luculenter imprimis *membrorum* confirmat *parallelismus;* quo accurate huic voci respondet v. מלאכיו.

Nec magis perspicio quid caussae sit, quod, *ultimo*, s. 28, *Capitis* XLIV *versu*, utraque moneat commentarii editio, recentiore ex usu, vocab. חפץ *opus* etiam notare. Proximae enim sectionis, quae Jehovae *consilium* memorabat, collatio hoc certe loco Ejusdem *placitum* cogitandum esse docet. Quae ordinaria vocis est potestas. — Profecto nobis cavendum est Hebraeorum Graecorumve vocabulis ne *recentiores* praeter necessitatem affingamus significationes, atque hinc, ut errorem parere solet error, seriore demum aetate ipsa exstitisse, ubi talia deprehendisse nobis videmur, scripta temere concludamus. Quod hodiernae Critices vitium frequentissimum meos etiam forte in errorum societatem pertrahat Commilitones lectoresque nolim.

Ad Knobelium ut redeamus, atque auspicatam tandem huicce relationi clausulam adjiciamus; hic si nunc jam interpretandi diligentiâ ac sanitate non unum superavit *Enchiridii* hujus *exegetici* Auctorem, optamus ut, ubi *secundam*, de quâ diximus, *tertia* aliquando exceperit commentarii editio, se ipse superâsse ab idoneis censeatur nostrarum Litterarum Arbitris.

Euangelia apocrypha, adhibitis plurimis Codd. Graecis et Latinis, maximam partem nunc primum consultis atque ineditorum copiâ insignibus, edidit Constantinus Tischendorf caet.; Lips. 1853. Pp. 463, f. 8 maj.

In iis, qui sacrâ excolendâ *Criticâ* de nostrâ bene meruerunt disciplinâ, nullius facile feracius fuisse ingenium constat, quam Constantini Tischendorfii. Nec solum enim permultos Librorum sacrorum consuluit ac contulit diversi generis Codices, ex iisque diligenter enotatas publicavit variantes lectiones, quâ in palaestrâ unus fortasse nostrorum fuit aequalium, qui illi quodammodo comparari posset, Scholzius, Bonnensis; sed plura, quam ille vel quisquam alius, integra vulgavit, nunc demum bibliothecarum ex claustris eruta, magni pretii monumenta vetusta. Haec vero atque alia multa ne memorem, ipsum *Novum Testamentum Graecum,* iteratis identidem curis, testium ex fide illius expolitâ oratione, *quinquies* jam ediderat. In quibus non acquiescens, *sextam* paucis post annis subjecit editionem, quam vere *triglottam* inscripsit. Nam, unâquâque paginâ ternis distributâ loculis, textum *Graecum,* brevissimâ aliquâ non nullarum variantium notatione auctum, cum Hieronymi *Latinâ* et Lutheri *Germanicâ* versione, *quam emendatissime,* sicuti profitetur, adjectâ utrâque, comparandi facilem lectori dedit opportunitatem (1).

---

(1) *N. T. triglottum. Graece, Latine, Germanice. Graecum textum addito*

Verum non sola sunt *canonica* N. T. scripta, quorum emen-

---

varr. lectt. delectu recensuit; Latinum Hieronymi notatâ Clementinâ lectione ex auctor. Codd. restituit; Germanicum ad pristinam Luth. ed. veritatem revocavit Aen. F. C. Tisch.; Lips. 1854, f. oblongâ. Brevia sunt praemissa *Prolegg.*, ex ed. a. 1849 partim repetita, sed in compendium redacta. Nunc autem ab illâ editione, non nullorum locorum lectione constituendâ, denuo recessit. In uno enim *Matthaei* Euangelio, ut hoc utamur, undecim sunt loci, quibus antiquiorum editionum lectiones, ibi repudiatas, hîc restituerit, quinque alii, ubi alias novas substituerit. Hoc certe monentem legimus Virum doctum, in Eph.: *Theol. Literaturbl. z. A.* (*Darmst.*) *K. Z.* 1855, No. 141. Quem si audis Censorem aut laudatorem potius, ad triplicem, quem hîc prodidit, N. T. textum constituendum tam singularem adhibuit curam ac diligentiam, *ut nemo quisquam, iis quidem, quae nunc nobis suppetunt, subsidiis usus, emendatiorem eum praestare possit ac meliorem.* — Nec multo minores Critico laudes impertit Fr. Duesterdieckius, in Reuteri *allg. Repert.* ad m. *Junium* 1855, p. 181 sqq. Quamquam hic non ita, ut alter ille, omni plane his in rebus errandi periculo immunem eum existimare videtur.

Haec dudum scripseram. Verum ne huic quidem *triglottae* diu honorem constitisse, quem *ultimis* tribuere solemus ac maxime castigatis editionibus, postea comperi. Nuper enim *septimum* publicare N. T. Graecum idem incepit Tischendorfius, qui eâ haec studia persequitur constantiâ, ut Caesaris instar, *nihil actum reputare* videatur, *dum quid agendum superest.* Hanc omnium nunc recentissimam editionem inscripsit: *Novum Testamentum Graecè. Ad antiquos testes denuo recensuit, apparatum criticum omni studio perfectum apposuit, commentationem isagogicam* [nec dum tamen proditam] *praetexuit* Const. Tischend.; *Lips.* (1856). Illius duas tantum adhuc consulere potui particulas, in *Marci* X. 21 desinentes illas. Uberiorem habet, quam praecedentium ulla, criticum apparatum; ac, si brevi fides est, quod adjectum comparet, *Monito*, quum aliis aliorum, tum Tischendorfianae a. 1849 editioni, a textûs denuo constituti puritate aliisque meritis, longe praeferenda est. Ego quidem longe plerisque, quos adhuc comparare potui, locis, ubi diversae nobis a Codicibus judicandae offeruntur lectiones, cum proxime praecedente *triglottâ* plane convenientem *septimam* hanc inveni editionem. Interdum tamen inter utramque levioris discrepantiae aliquid intercedit. Veluti, *Matth.* V. 20, *illa*, ex vulgato verborum ordine, habebat: ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν; *haec* vero praebet: ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη. Item, *ejusdem Capitis sect.* 48, *illa* pro vulg. ὥσπερ habebat ὡς. Sed illud *haec* jam reponit. Ac fieri potest ut postea gravior appareat ac frequentior inter utramque lectio-

dando textui ac constituendo laudatissimam dedit operam. Nam, sicuti antea *Acta Apostolorum apocrypha* (1), sic nunc *Euangelia apocrypha*, de quibus hîc quidem solis relaturi sumus, novâ frequentavit eâque criticâ editione. Atque horum *de origine et usu*, biennio aut triennio ante, tanquam editionis praenuntiam, *disquisitionem commentârat historicam et criticam*, quam, aureo praemio ornatam, suis in operibus collocandam *Hagana* curavit *pro Christi religione tuendâ Societas*. Quam, quum, sicuti nunc est, optime meritas idoneis ab arbitris tulerit laudes, majores etiam laturam esse confido, si quando, quod jam dedit (2), *accuratius* eam *repetendi* solvere potuerit promissum Auctor. Quod quum aliis de caussis et ipsi et lectoribus optabile est,

---

num diversitas. — Haec ideo monui, ne forte Tischendorfii admiratores, qui in omnibus ejus sequendam putant auctoritatem, non accurate ultimis illius collatis editionibus, imprudenter ab ejus mente recedant.

Caeterum litterarum Graecarum elegantiam, quâ septima haec cernitur editio, jure nuper laudavit nostras aliquis Vir doctus. (In *Godgel. Bijdr.* 1856. 3, p. 268). Sed vellem equidem hâc certe in re Griesbachii diligentiam imitatus esset Criticus, ut integras, quae in *annotatione* scriptae exstant, voces Graecas non sine *accentuum* ac *spirituum* notatione reliquisset. Ita enim nude positae, ne de minore dicam perspicuitate, barbaro quodam habitu peritiorum oculos offendunt. Quo magis nobis laudandus est, quod in *apocryphorum* certe Euangg. editione, orthographicas has notas nos desiderare non passus est.

(1) *Acta Apostt. apocrypha. Ex* 30 *antiquis Codd. Gr. vel nunc primum eruit, vel secundum atque emendatius edidit* Const. Tisch.; *Lips.* 1851. Primum hîc, p. I—LXXX, *Prolegg.* continentur, quibus de horum scriptorum origine, pretio, Codd. docte disputatur. Tum, p. 1—276, ipsa sequuntur Apocr. Graece, adjectâ lectt. var. Hoc de op. breviter retulit Ewaldius, in *Jahrb. der bibl. Wissensch.* IV. 1851—1852, p. 126 sqq.; — copiosius L. Peltius, in Reuter's *allg. Repert.* ad m. Oct. 1853, p. 8 sqq. A quo optime meritas tulit Criticus laudes, quod, vel primum vel emendatius, quam antea factum erat, XIII hisce editis Actis, insigniter Litteraturam sacram locupletandam curavit. Etiamsi enim Apostolorum atque antiquissimae Christianorum Ecclesiae historiam non locupletant pleraque haec Apocrypha, nec multum lucis illi afferre censenda sunt; pretiosas tamen continent ad Historiam Dogmatum atque Archaeologiam explicandam symbolas. Quod vere monuit Peltius. Item horum fabulae *Lucae* confirmant veracitatem.

(2) Vid. *Euangg. apocr. Prolegg.* p. VIII.

tum ut ita non nulla, quae ibi hisce de scriptis vel singulis eorum locis quibusdam prodiderat, judicia ad ea, quae hâc eorum in *editione* professus est paullo diversa, commode refingere possit cum iisque in concordiam redigere.

Sed hujus ipsius editionis de ratione, consilio ac praestantiâ quo accuratius nobis constet, cum proxime praegressâ eam comparemus, quam, ante hos quinque et viginti fere annos, curavit Joannes Carolus Thilo, Theologus Halensis. Hujus quidem, quem publicare inceperat, *Codex apocryphus Novi Testamenti* (1) mansit inchoatus, nec *Tomum primum*, *Euangelia* continentem *apocrypha*, ullus est alius secutus. Adversâ enim valetudine plures per annos valde depressus Vir eximius, cognominis operis Fabriciani caeteras etiam partes adjiciendi consilium perficere non potuit. Ac si quae forte de opere aliquando absolvendo non nullis spes supererat, hanc, a. 1853, plane praecidit Auctoris obitus (2). Verum ad eorum, quae memoravimus, *Euangeliorum* et emendationem et illustrationem tantum industriae, tantam Critices facultatem, tam exquisitam universe contulit eruditionem, ut, usu edoctus, in praestantissimis doctrinae nostrae monumentis Thilonis hunc librum reponere non dubitem. Ac, si cui forte levius nostrum hoc videatur judicium, idem plane clarissimi censuerunt Germaniae Theologi, in quibus, alios ne memorem, Lü-

---

(1) *Lips.* 1832, f. 8 maj. pp. CLX et 896.

(2) »J. C. Thilo, *Philos. ac Theol. Doctor, adhuc in Acad. Hal. Professor* »*publ. ord.*, *d.* XVII *m. Maji h. a.* (1853) *annum agens undesexagesimum*, *et* »(Necessariis) *suis et Academiae*, *cui magno erat ornamento*, *et Theologiae erep*»*tus est.*" — Sic fere ejus mortem annuntiavit D. J. H. Goldhornius; ubi doctissimam ad exitum adducebat, cujus commentandae initium fecerat Thilo, praefationem, ante *Bibliothecam Patrum Graecorum dogmaticam*, *Vol.* I. Hanc enim *Biblioth.* edere instituerat Th.; nec alias tamen ejus partes editioni parare potuerat, quam Athanasii *Opp. dogm. selecta*, quae Goldhornii curâ sunt publicata; *Lips.* 1853. — Plura eaque valde memorabilia de Theol. hoc Hal. vidd. in *Literaturbl. z. A.* (*Darmst.*) *K. Z.* ejusdem anni N°. 73.

ckius fuit ac Gieselerus (1). Quibus tantorum Virorum laudibus admoniti, si quando recentissimo a Critico *Lipsiensi* paullo studiosius reprehensum videmus *Halensem*, id non ita hujus in dedecus interpretari oportet, quasi minus honorifice nobis de ejus statuendum sit editione. Veluti de *Proteuangelio Jacobi* disputans Tischendorfius (2): »Primi *operam dedi-»mus*," inquit, »*ut textum conformaremus ad optimorum codicum »consensum*." Ubi de laudato illo *Codicum consensu*, qui hîc quidem dubiis in locis oppido rarus est, non quaerimus. Verum nolim quisquam, contra Tischendorfii, qui saepius Thilonis secutus est sententias, mentem ac consilium, his ex illius dictis minore quodammodo fide ac religione in textu constituendo versatum esse Editorem Halensem efficiat. Quo sane judicio nihil esse posse iniquius, unaquaeque paene docet commentarii subjecti pagina.

Operi *Prolegomena* Thilo praemiserat, copiosa, docta, laboriosa, quibus de scriptorum, quae publicaturus erat, Codicibus, Editionibus, Versionibus accurate ac diligenter disputabat. Atque eâdem palmâ dignum se praestitisse Criticum *Lipsiensem* mihi constitit. Quamquam hic, qui multa in memoratâ praeceperat commentatione Haganâ, perspicuitatis sine detrimento, quae praefanda habebat longe minore nunc paginarum numero complecti poterat. -- Nec vero plane eadem sunt, quae utriusque fasciculo continentur, scripta antiqua. Tria enim, quae suam in syllogen prior receperat Editor, posterior hic excludenda putavit, *Euangelium Marcionis*; — *Codicem Euangelii Joannei*, *Parisiis in*

---

(1) *Illius* exstat judicium in Ullmanni et Umbreitii *theol. Stud. u. Krit.* (a. 1833) VI. 530 sq.; *hujus* est *ibidem*, p. 1156 sqq. Quid quod Lückius honorificum admodum *Germanorum Theologiae* hoc monumentum esse affirmat! Ac similia fere Gieselerus. Verum digna etiam est quae consulatur docta censura ac copiosa in Röhrii *krit. Predigerbiblioth.* XV. 3. p. 375 sqq. Cujus mentionem facio censurae, quo magis appareat longe dissentientes a sese invicem et a Thilone Theologos in hâc illius consensisse laudandâ editione.

(2) *Prolegg.* p. IX.

sacro Templariorum tabulario asservatum; — *librum s. Joannis apocryphum;* quem Albigensium ex historiâ, a Joanne Benoist vulgatâ, *Halensis* repetierat Theologus. Ad posteriora quidem bina quod attinet, probabiles sane sunt, quas affert ea omittendi rationes. In quibus igitur facile acquiesco (1). Sed aliter res comparata esse videtur cum *Euangelio*, quod *Marcionis studiis mutilatum esse* vere dicit *et corruptum*. Hoc si addidisset, multis gratum facturus fuisset lectoribus. *Genere* quidem *differre* illud ait *a reliquis, quae dicuntur, Euangg. apocryphis. Differre* non nego equidem; at idem eum illi characterem esse contendo, quo universa cerni Euangelia *apocrypha* recte docuit Lückius (2), ut *veri* ac *canonici* hîc sit Euangelii *adumbratio*. Ita quidem excusantem eum audimus omissionem, ut rectius statui posse dicat, »*quos Marcion locos expulerit, quos imprimis suam ad* »*mentem mutaverit, quam quemadmodum singula quaeque legerit.*" Enimvero, quo difficilius erat Marcionis textum probabiliter restituendi pensum, eo pulcrius fecisset ac laudabilius, si, ne hunc quidem refugiens laborem, hîc quoque ducem lectoribus se praebuisset atque adjutorem, non certum quidem (quod nemo jure requirat), at benevolum tamen ac quod poterat facientem. Id post Hahnium Thilo fecerat. Quos igitur propter generosos arduâ in re conatus laudare praestiterat, quam propter minus felicem, si forte, eorum exitum vituperare. Quum praesertim neuter ex iis proficere posset Criticorum de Marcionis Euangelio disquisitionibus, quarum proxime demum superiores hi anni largam nobis messem extulerunt.

Verum, ne iniqui simus atque illiberales, levia esse fatendum est, quae omisit Tischendorfius ac vix in censum venire, cum iis si comparantur Antiquitatis Christianae monumentis, quae, nisi publicâsset Vir indefessus, adhuc abdita laterent. Ne de diu editorum scriptorum iis dicam partibus ac locis, quos

(1) Vid. *Prolegg.* p. XI in annot.

(2) L. l.

plenius jam atque emendatius, quam ab aliis factum erat, edendos curavit. Nec mirum profecto. Longe plures enim, quam antea quisquam, contulit ac diligenter suos in usus adhibuit illorum Codices. Sed his de rebus vere ac modeste in *Prolegomenis* exponentem ipsum audiamus. »*Plus quadraginta*", inquit, »*instrumentis criticis apparatum cl.* Thilonis *eorumque*, *qui* »*illum praecesserunt*, *augere nobis contigit. Septem editionis* »*nostrae libellos primi dedimus* (1); *emendandis euangeliis anti*»*quissimis*, *quae Jacobi*, *Thomae*, *Nicodemi nominibus insigniun*»*tur*, *plurimam operam impendimus*; *reliquorum nihil non labore* »*nostro emendatum aut illustratum* (2) *prodit. His studiis om*»*nibus etsi rem gravem*, *quae intelligentibus viris videtur*, *majo*»*rem in modum promotam esse confidimus*, *tamen nequaquam ita* »*absolvisse videmur*, *ut jam nostris aut aliorum*, *quorum hanc* »*litterarum partem subtilius nosse intersit*, *desideriis penitus sit* »*satisfactum*" (3). — Haec ille; quem omnium votis satisfacere non potuisse, et ne ibi quidem, ubi potuerat, satisfecisse quis est qui non videat? Multi certe, ut hoc utar, qui subtiliore has Litteras persequi cupiunt cognitione, praestantissimam hanc editionem novercam potius, quam matrem, se praebuisse mecum dolebunt et *Historiae Josephi Fabri lignarii* et *Euangelio Infantiae.* Thilo enim aliique quum utrumque hoc scriptum et *Arabice* edidissent et *Latine*, Tischendorfius, sepositis *Arabicis*, soli locum dedit *Latinae* Versioni. Satis quidem speciosis argumentis *Coptice* ab initio conscriptam esse *Historiam Josephi*

---

(1) Quos nunc primum edidit, septem libellos, exeuntibus *Prolegg.* p. LXXXVIII, sic nuncupat ipse: *Pseudo-Matthaei Euang.* (alterâ parte ineditum); — *Euang. Thomae.* Graece B; — *Euangel. Thomae* Latinum; — *Gesta Pilati.* Graece B; — *Descensus Christi ad inferos.* Latine B; — *Mors Pilati, qui Jesum condemnavit.* Latine; — tandem *Vindicta Salvatoris.* Latine.

(2) *Illustratum.* Hoc quum ad testium notationem referri nequeat, textui subjectam, *Prolegomena* spectet necesse est, scriptorum originem ac rationem *illustrantia.* Quod monendum puto, Auctoris dicta ne male lector interpretetur.

(3) Dicta, *Prolegg.* p. XI, sic reposuimus, ut perspicuitatis ergo minus accurata paullum immutaretur *interpunctio.*

probare conatus est Criticus. At fatebitur ipse, puto, arctiore vinculo cum archetypo conjunctum esse textum, quem omisit, *Arabicum*, adeoque ex *hoc* paullo certius de *illo* ferri posse judicium, quam ex *Interpretationis* eâ, quam solam vulgavit, *Interpretatione* Latinâ. — Atque idem fere convenit in *Euangelium Infantiae*, cujus plures certe partes *Syriacis* ex fontibus haustas esse probabiliter disputat. De posteriore tamen hocce libello, recentissimae hujus editionis in usum emendandâ Versione Latinâ, bene meruit Fleischerus, Philologus apud Lipsienses clarissimus. Ac de praecipuis locis, ubi ab Henrici Sike, primi Editoris, interpretatione hic sibi recedendum putârat, brevi subjectâ annotatione utiliter monuit Tischendorfius.

Hic autem quum, sicuti dicta docent, universe longe plures haberet, quam superiores Editores, Euangg. apocryphorum, quos consulere posset, Codices manuscriptos, in quibus variantium lectionum magna copia exstabat ac gravitas; factum est ut textûs conformatione saepe longe diversus ab illis abiret omnibus. Quod aliquando ejusmodi est, ut vix eundem, quem antea, legere tibi videaris Auctorem. Quum praesertim recens inventorum testium non nullorum auctoritati plurimum tribuendum putaret Editor. Quâ omni in re agendâ quin acute ac subtiliter versatus sit nemo, qui qualis ille Criticus sit cognoverit, facile dubitabit. Forsitan tamen, ut dicam quod sentio, si majore otio usus Vir occupatissimus, singula accuratâ judicii lance ponderare potuisset, non nullis certe locis probatiores praetulisset lectiones meliusque sibi constitisset. In *Prolegomenis* enim (1), ubi de *Proteuangelii* Codice Venetiano disputabat, qui *lectionum brevitate* commendari videbatur, et alia et haec monuerat: »*Praeterquam* »*quod ea brevitas*," inquit, »*passim haud dubie ad describentis* »*negligentiam referenda est*, *in scriptis hujusmodi apocryphis* »*videndum est ne textus catholicâ retractatione in breviora sit* »*contractus*." Haec Auctor. Nec semper tamen verissimi hujus

(1) Pag. XVI.

moniti satis memor fuisse videtur ipse. Nam, spretâ subinde probatissimorum testium auctoritate, eas praeferre deprehenditur lectiones, quae, quum praecipuam a *brevitate* commendationem habeant, *Catholicorum* illam, quam vocabat, manifesto redoleant *retractationem*. Atque in aliis etiam non nullis, quae de lectionum varietate ferentem eum audimus, judiciis *festinationis* vestigia quaedam apparere nemo mirabitur, qui *quot et quanta sustineat onera solus* accurate meminerit.

Sed magnum imprimis Thilonis inter et Tischendorfii rationem discrimen intercedere videmus, si eam comparamus, quâ textum uterque locupletavit, *annotationem*. Thilo enim multas certe horum Apocryphorum partes commentario illustrârat critico, exegetico, historico, item, sicubi opus esse videbatur, archaeologico, cujus non posses non diligentiam admirari et copiam et eruditionem. Cujusmodi illius est, alia multa ne memorem, commentarius in *Proteuangelium Jacobi* et *Nicodemi* in *Euangelium*. Nec dubitandum quin majora etiam praestiturus fuisset ac meliores subinde lectiones recepturus, si eâ, quâ recentissimus hic, de quo dicimus, Editor, subsidiorum copiâ abundâsset ac praestantiâ. *Hujus* vero longe arctioribus continetur finibus editio. Quam enim singulis textûs paginis subjectam habet, annotatio unum hoc indicat, quae cujusque loci et quos apud testes exstent variantes lectiones. De quarum igitur majore aut minore probabilitate quod nullum prodidit judicium, quae praestitit suspiciens gratoque accipiens animo, non reprehendo equidem. Quamquam si, vel brevissimis usus sive verbis seu notis, hîc ducem se lectoribus praebuisset, multo etiam praeclarius eorum de studiis meriturus fuisset. — Sed vellem ad eos, quos Thilo jam memorârat, Codices significandos *iisdem*, quibus ille, *litteris* usus esset ac *signis*. Quo facto longe commodior lectori editionum reddita fuisset ac testium, quos laudant, comparatio. Veterum enim monumentorum, eorum imprimis, quae variantium lectionum multitudine laborant, Codicibus si unusquisque Editor suo pro sensu nova indit nomina, nonne

verendum est ne Criticorum studiis, per se satis difficilibus, novae sine ullâ necessitate difficultates objiciantur?

Sed cum eâ, quam instituimus, utriusque editionis collatione fortasse te juvabit, amice Lector! Ewaldii comparare judicium (1); cujus auctoritas nostra confirmabit monita cavebitque ne tuis ex manibus liber tollatur utilissimus. Hic igitur postquam brevissime de iis dixerat, quae vel nova adjecerit (2) vel vetera omiserit recentissimus hic Apocryphorum Editor, ita fere pergit: »*Quae jam ediderat* Thilo," inquit, »*ea ex parte aucta* »*multisque collatis Codicibus emendata tradit* Tisch. *Quod sin*»*gulare hujus editionis est meritum. Quum vero Graeca tantum* »*ac Latina scripta prodat, ac nihil magnopere ad eorum conferat* »*interpretationem, nunc etiam* Thilonis *libro, quem minime* »*supervacaneum* Tischendorfii *reddidit opera, integrum suum* »*constat ac proprium pretium*" (3).

De novâ, quam *Lipsiensi* debemus Critico, horum scriptorum editione haec sufficiant universe disputata. Nunc autem non nulla

(1) In *Jahrb. der Bibl. Wissensch.* V. 1852—1853, p. 281 sq.

(2) Longe plura nova prodidit, quam ex minus accuratâ effeceris Ewaldii recensione. Quod ea docent, quae supra, p. 122, monuimus, ipsius repositâ Tischendorfii notatione. Vere quidem dicit Ew. a Birchio jam editum esse opusculum, quod p. 436 sqq. repetiit Tisch., q. d. Ὑφήγησις Ἰωσὴφ τοῦ ἀπὸ Ἀριμαθαίας. Apud illum enim, quamvis vitiose descriptum, exstat in *Auctario Cod. Apocr. N. T. Fabriciani* (*Havn.* 1804), p. 183 sqq. Verum illam Ὑφήγησιν non reposuerat Thilo, nec in iis, quae nunc primum a se edita sint, recenset Tisch.

(3) Critici *Lipsiensis* editione quid contineatur, summo jure Editoris singulari praedicatâ industriâ, copiose refert Censor L., in *Theol. Literaturbl. z. A.* (*Darmst.*) *K. Z.*, ad a. 1853, No. 138. Atque hic commodam etiam probat ac *facilem* illius *Latinitatem*. — Equidem quod, et hîc et alibi, prisco more nec Seculi contagione infici sese passus, *Latine* scripsit, vehementer laudandum censeo. Nec quisquam, qui pulcrum hoc illius imitatus erit exemplum, me quidem orationis, dummodo non plane improbabilis ac satis perspicuae, *difficilem* habebit judiçem.

singulatim de eo moneamus, quod omnium consensu principem in iis locum obtinet, *Proteuangelio Jacobi*. Cognitum id jam habuisse *Origenem*, post alios probabiliter monet Editor (1). Ac nunc *Justini* etiam *Martyris* dictum affert, unde ne hunc quidem id ignorâsse constet aut effici certe possit. Sed biennio ante non injuriâ *dubium* hoc ipsum censuerat testimonium, »*quoniam quod* ἐν σπηλαίῳ τινὶ συνεγγὺς τῆς κώμης *Jesum* »*natum esse dicit*, *ex traditione habere poterat*, *quam et ipsum* »*Proteuangelium* (capp. 18, 19) *secutum videtur* (2)." — Nec vero majorem vim habere mihi videtur *Clementis Alexandrini*, quod utroque loco affert, dictum. Hic enim quae de Mariâ post partum ab Obstetrice inspectâ narrat ac *virgine* adhuc deprehensâ, quidni ex eâdem haurire potuit traditione? Quum praesertim *non nullos esse, qui id perhibeant* (φασί τινες) testificetur. Quod ad *famam* potius, incerto sparsam auctore, quam ad certi testis fidem referri, quis non, a me monitus, perspicit? Prudentissimum igitur hîc est laudandum Thilonis (3) judicium, quas fabulas et *Justinus* narrat et *Clemens*, eas vel *ex traditione* haurire potuisse utrumque vel *alio ex libro* docentis.

Secundo ex seculo eoque medio fere repetendum esse Proteuangelium, *Hagana* in commentatione docte probârat et nunc iterum monet Tischendorfius. Verum eâdem *Prolegomenorum* paginâ duae proditae exstant sententiae, quas, ubi primum legeram, plane conciliare non possem. *Altera* enim, eâ ipsâ aetate, *Ebionitarum et Nazaraeorum aliorumque haereticorum opinionem obtinuisse* recte statuit *de Jesu vero Josephi et Mariae filio*, et

---

(1) *Prolegg.* p. XII sq.

(2) Comment. Hag. *de Euangg. apocr. origine et usu*, p. 33. Ubi tamen aliquid adjicit, quo non omnem plane huic testimonio vim abjudicare videri possit. — *Justini M.* locus exstat *in dial. contra Tryph.* Cap. 78; *Clementis Alex.* dictum, de quo mox, *Strom.* L. VII exstat, ed. Pott. p. 889.

(3) *Prolegg.* p. XLV. Eâdem praeiverat prudentiâ Fabricius, qui, *Cod. apocr. N. T.* I. p. 41, *Origenis* quidem aliorumque dicta refert, nec tamen *Justini* aut *Clementis Al.* facit mentionem.

quae plura ibi seculi illius placita memorantur. *Altera* vero, quae mox subjicitur, contendit sententia Proteuangelii auctori, *homini Gnostico eique Ebionaeo,* sic *Ebionitarum* illas displicuisse et *Nazaraeorum* opiniones, ut eas hocce sibi scripto refutandas putaret. Haec ubi secum invicem comparare instituеram, ita incertus haerebam, ut modo hominem *sua caedentem vineta* mihi objectum putarem, modo aquam cum igne conjunctam et amice conspirantem. Dubiae tamen lucis aliquid postmodùm commentatio attulit *Hagana,* ubi monere eam vidi, *ipsos inter Ebionitas et, qui iis cognati essent, Nazaraeos contrarias* valuisse de Christi natalibus opiniones (1). Verum ne nunc quidem hominis illius *Ebionitae* ejusdemque *Gnostici* tam claram ac lucidam, quam volueram, mihi informare possum imaginem. Quod utrum mei forte ingenii tribuendum sit torpori, videant acutiores.

In Codicum, quos ad Proteuangelii textum emendandum adhibuit Tischendorfius, largo proventù insignem sine dubio locum obtinet *Venetus* ille *Marcianus* (i. e. *sancti Marci* in bibliothecâ repositus), quem, omnium primum in Indice positum, appellat A. Totum eum se descripsisse profitetur, atque ad sec. fere X referendum putare. Hic autem Codex, et de Manuscriptis et eorum de Editoribus quam inconstantia hominum sint judicia, memorabili docet exemplo. Ante hos enim sedecim et quod excurrit annos, eum ad modum Proteuangelium ediderat Carolus Adolphus Suckow, apud Wratislavienses, dum vivebat, Theologiae Professor extraordinarius, ut *Veneti* illius *Marciani,* quem caeteris omnibus anteponebat Codicibus, ubique sequeretur auctoritatem (2). Quem illius libellum universe laudandum censuerunt ac de Pseudojacobi scripto bene meruisse, primi statuerunt, qui de eo referebant, Judices (3). A quibus vero ita

(1) Cum *Prolegg.* p. XIII conf. *Comment. Hag.* p. 31.

(2) *Proteuang. Jacobi ex Cod. ms. Venetiano descripsit, Prolegomenis, varietate lectt. notis crit. instruxit* C. A. S.; *Wratisl.* (1840) — *Ibidem,* decennio jam antea, *commentationum de Proteuang. argum. et indole primam* ediderat *partem.*

(3) Praeter Rheinwaldii *allg. Repert.* ad m. Jul. 1842, p. 4 sqq. —

recessit Criticus *Lipsiensis*, ut nihil in eo laudaret, omnia fere severe reprehenderet. Utrâque enim in disputatione magno numero locos excitat, quos perverse legerit Suckowius. Cujus operam, nec antea honorifice a se habitam, in *Prolegg.* ita vituperat: »*In legendo Cod. suo*," inquit, »*tam saepe tamque graviter* »*falsus est, ut suscepto operi imparem se praestiterit, ac laborem* »*suum tantum non perdiderit.*" Sane, quam incommodo sibi tempore ad consulendum Manuscriptum utendum fuisset, suis in *Prolegg.* summo candore ac modestiâ professus erat Suckowius. Quo igitur in plerisque legendis et accuratiorem fuisse et feliciorem Tischendorfium, equidem facile crediderim. Utrum in omnibus, id qui post eum, in eâdem peritiâ minus festinantes, s. Marci bibliothecam adibunt, judicent velim Critici. — Ad ipsum autem Codicem quod attinet; a Suckowio quidem, *reliquis omnibus eum anteponente*, se *non dissentire*, *Haganâ* in commentatione, *Lipsiensium* dixerat Professor. Nunc vero et ab illius et a priore *suo* judicio ita diversus abit, ut *magni* quidem sit *faciendus*, verum *nullo modo reliquis omnibus praeferendus* (1).

Sed in judicando Cod. A parum sibi constiterit Vir occupatissimus. Quod ab aliis ad alia festinanti facile est condonandum. At in ultimo, quod R appellat, Manuscripto laudabile admodum curae suae ac diligentiae collocavit exemplum. Hoc enim etsi satis recens habebat, potiores tamen ejus variantes lectores ignorare noluit. In commentario igitur quum ultimo demum, i. e. XXV, Proteuang. Cap. illius rationem habere potuisset, ex Capp. I – XXIV in *Prolegg.* permultas accurate enotandas curavit illius lectiones (2).

---

consulatur imprimis Schnitzerus, cujus copiosa exstat censura in *allg.* (*Hall.*) *L. Z.* ad eundem m. Jul. 1842, N°. 55 sqq. (*Erg. Bl.*). Quo judice, »*quum Ven. hic. Cod. multo praestantiores habeat, quam reliqui, lectiones, dubitari* »*non potest quin, Proteuangelii textus si quando retractetur, fundamenti loco sit* »*ponendus.*"

(1) *Comment. Hag.* cum *Append. crit.* cff. *Apocryph. Prolegg.* p. XV sq.

(2) Cum p. 49, ubi ex Cod. R. totum proditur Cap. XXV, cf. *Prolegg.*

De *Proteuangelii* vel Codd. vel Editoribus quae adhuc diximus, eo nunc nostrae hujus relationis telam sponte deducunt, ut, unum alterumque singulatim illius locum attingentes, in ejus textu constituendo quantus Criticorum sit dissensus paucis demonstremus. Quo facto et quae hîc praestiterit Doctor *Lipsiensis* clarius nobis apparebit, et quam multa plenius inquirenda restent certiusque definienda, anteaquam de verâ *Pseudojacobi* manu atque interpretatione inter plerosque certe ubique constet Criticos. Atque hîc, antiquioribus non plane sepositis, Thilonis maxime ac Tischendorfii rationem habituri sumus. Nam si, a primo quoque exorsi, cunctorum conatus recensere institueremus, ne taediosa lectoribus redderetur criticae disputationis ariditas verendum nobis esset.

Ineunte igitur *Capite primo*, *Joachimus*, Annae maritus, Mariae pater, dupla Deo dona dicitur obtulisse. Ubi post vocab. *διπλᾶ* Thilo addidit *κατὰ τὸ ἔθος*, quod ita ad pium *ipsius* morem refert, ut explicandum sit *εἰώθει προσφέρειν*. Ubi Codicis auctoritatem sequitur, cujus, quum antiquissimum eum haberet ac praestantissimum, vulgato sibi substituendum textum existimabat. Fuit Codex olim *Colbertinus*, quem nunc *Regium Parisinum* appellat Tisch. Hujus vero *nova* Manuscriptorum *nomenclatura* nostros ne incertos reddat lectores, monendi sunt eum, quem in deliciis habebat Criticus *Halensis*, Codicem, ab ipso quidem notari A, a *Lipsiensi* vero nostro C. — Jam additamentum illud *κατὰ τὸ ἔθος* habent etiam C. I. O. (1). Ne de *Eustathio* dicam, qui etiam ipse ei favere videtur. Nec tamen reprehendendus est Tisch., qui non magis id recepit,

---

p. XXI—XXIV, ubi priorum Capp. eodem ex fonte ductae recensentur variantes.

(1) Ubi simpliciter, alphabeti per litteras, Codd. memorabo, recentissimam eorum notationem secuturus sum *Lipsiensem*. Quod semel hîc monuisse sufficiet. Nolim enim ut dubitationes et inanes altercationes, quas ex signorum hâc novitate reformido, mea haec augeat relatio.

quam Fabricius, Birchius ac Suckowius. Plures enim omittunt, quam admittunt, testes. Possit autem quis ita Thilonis defendere lectionem, ut multum eam praesidii habere moneat Codicis illius in auctoritate, qui nec antiquitate nec praestantiâ sit *Veneto Marciano* postponendus. Quum praesertim Auctoris ea consilio plane conveniret, quâ maximâ posset operâ, *Joachimi* pietatem amplificandi. Accedit quod, ipsius Editoris recentissimi de monito, his in Apocryphis breviorem saepe lectionem longiori male librarii praetulerunt. Addo, quamquam huic non multum tribuo similitudini, apud *Lucam*, quem frequentius etiam, quam caetera Euangg. canonica, *Pseudojacobus* imitatur, Cap. XXII. 39, eâdem plane ratione absolute poni *κατὰ τὸ ἔθος*, scil. *αὐτοῦ*. Quae quum ita sint, si mihi, Proteuangelium forte edenti, Griesbachii, N. T. edentis, ratio sequenda esset (quod utinam fecisset Tisch.!) huic loco ejusmodi signum apponerem, quo in aequilibrio judicii bilancem esse significaretur.

Continuo post, *eodem Cap. primo*, quibus ad dupla Deo sacrificia offerenda impulsum se sentiret, caussas exponens auditur Joachimus. Cujus dictum ita refert Fabr., quocum, si a typorum mendo quodam in v. *ἱλασμόν* discesseris, plane convenit Birchius: *Ἔσται τὸ τῆς περισσείας παντὶ τῷ λαῷ, καὶ τὸ τῆς ἀφέσεώς μου κυρίῳ τῷ Θεῷ εἰς ἱλασμὸν ἐμοί.*

Apud Thil. autem idem sic sonat dictum: *Ἔσται τὸ τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ, καὶ τὸ τῆς ἀφέσεως κυρίῳ τῷ Θεῷ μου εἰς ἱλασμὸν ἐμοί.* — Cujus vero Graeco cum textu nec hîc nec passim alibi convenit, quam, minus fortasse prudenti consilio, suâ reposuit editione, Latina Guilielmi Postelli interpretatio, ex alîus cujuscunque fontis auctoritate ducta illa. Ea enim sic sese habet: »*Sint facultates meae totius populi, in* »*remissionem peccatorum meorum apud Deum, ut misereatur mei.*"

Apud Tisch. tandem haec dicti est conformatio: *Ἔσται τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ, καὶ τὸ τῆς αφέσεώς μου κυρίῳ εἰς ἱλασμὸν ἐμοί.* — Cui Tischendorfii plane Suckowii

convenit textus; nisi quod hic quartum a fine omittit voc. *κυρίῳ*.

Jam ex tantâ hâc, brevissimo in dicto, lectionum varietate quomodo nos expediemus? Quod ex me si forsitan quaesieris; priorem loci partem sic constituo: *Ἔσται τὸ τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ*. Etenim art. *τό* post *ἔσται*, testante ipso, qui eum ejecit, Tisch., plerique inserunt testes. Tum, syllabis *ται* et *της*, fortasse per scripturae compendium, interposita, facile potuit absorberi. Ac, mox sequente dicto *τὸ τῆς ἀφέσεως*, articulum hîc requirit loci concinnitas; cujus, quantum ex infinitâ lectionum varietate judicare licet, universe studiosum sese prodit, aut certe non incuriosum, Auctor. — Verum laudandus idem est Criticus *Lipsiensis*, quod, secus ac Fabr. fecerat ac Birchius, Thilonem recte secutus, ac plerisque obtemperans testibus, pro *περισσείας* rarius posuit atque exquisitius voc. *περιουσίας*, quod, etsi in N. T. non exstat, *Suidae* tamen in auctoritate praesidium habet.

In alterâ dicti parte: *Καὶ τὸ τῆς ἀφέσεως κ. τ. λ.* primum quaeritur, utrum post *ἀφέσεως*, secundum Fabr. ac Tisch., sit inserendum pron. *μοῦ*, an potius praeëunte Thilone, omittendum. Ac mihi quidem, ut sibi constet sententia nec claudicet disjunctio, omnino hoc requiri videtur pronomen. Quae enim pro populo dona offerebat Joachimus, haec etiam ipsa sine dubio ad *veniam peccatorum* huicce populo impetrandam comparata erant. — Tum favet pronomini major Codd. pars. In quibus, alios ne memorem, praestantissimi bini apud *s. Marcum Veneti*. Quod igitur si non admisit Thilo, nimia eum retinuit Codicis, cui omnia summa tribuebat, veneratio. — Tandem post illud, de quo monuimus, *ἀφέσεώς μου*, ubi Fabr. habet *κυρίῳ τῷ Θεῷ*, plenius etiam Th. *κυρίῳ τῷ Θεῷ μου*, ibi Tisch. in breviore acquiescit lectione *κυρίῳ*. Hic autem, plane contrariam judicandi viam secutus, *exeunte eodem hoc primo Capite*, ubi, post *ἐπισκέψεταί με*, Th. brevius habet *κύριος*, copiosius illud admittit, quod hîc respuerat, *κύριος ὁ Θεός μου*. Ad eam igitur revertitur, quam olim Fabr. praeiverat, loci conformatio-

nem. — Constat inter omnes, quum in N. T., tum in Apocryphis, *Dei Christique* nomina describentes, librarios tantâ saepe levitate rem agere et socordiâ, ac tam longe a se invicem recedere, ut peritissimis etiam quibusque Criticis certum ferendi judicium viam praecludere voluisse videri possint. Hîc autem vix satis sibi constare videtur Tisch. *Posteriore* enim loco, nisi minor, non major certe, quam *priore*, quae uberiorem tueatur lectionem, auctoritas adest. Quid igitur caussae sit, quod, quum Capitis *principio* longiorem Dei denominationem repudiâsset, ejusdem in *exitu* eam assumendam duxerit me non perspicere fateor. — Equidem, incertiore in re si quid hariolari licet, et priore loco scripsisse Auctorem putaverim *κυρίῳ τῷ Θεῷ*, et posteriore *κύριος ὁ Θεός*, et hîc et illîc omisso pronom. *μοῦ;* quod perperam librarii adjecerint, id quoque *Joachimi* pietati convenire rati, *suum* ut *Deum* appellaret Dominum.

Verum, misso nunc Capitis exitu, illud, de quo nobis disputatio est instituta, pii Senis dictum sic legendum esse existimo: *Ἔσται τὸ τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ, καὶ τὸ τῆς ἀφέσεώς μου κυρίῳ τῷ Θεῷ εἰς ἱλασμὸν ἐμοί* (1).

Quod reliquum est; *Jobeïdis* initio pulcrâ nobis imagine *Jobi* pietas informatur atque in necessarios amor. Hic enim, *conviviα agitantibus filiis, arcessitos eos lustrabat, et primo mane totidem hostias, quot erant ipsi, immolabat, cogitans fieri posse, ut sui liberi peccavissent, et animo maledixissent Deo* (2). *Jobo* vero pietate antecellens quodammodo nobis pingitur *Joachimus.* Hic enim, et pro se sacrificaturus et pro populo, dupla in altare dona deferebat. Quo facto *Pontificem Maximum* imitabatur; cujus erat, monente *Epistolâ ad Hebraeos*, *καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, οὕτω καὶ περὶ ἑαυτοῦ*, expiatoria Deo sacrificia offerre. Nescio,

---

(1) Quae ita interpretor: *Quod meae est abundantiae,* (id est, meo in sacrificio quod abundat et exuberat, a lege non praescriptum) *toti id prosit* (ad expianda peccata) *populo; et quod* (eodem in sacrificio) *ad peccatorum veniam mihi impetrandam requiritur, Deo Domino meam ad expiationem id offeratur.*

(2) Vid. *Jobi* Cap. I. 4. 5; ubi Castellionis secutus sum interpretationem. — Qui mox laudabitur locus, exstat in *Epâ ad Hebr.* Cap. V. 3.

utrum *Joachimum* hîc dicentem informans, *Pseudojacobus* vel *Jobum* vel *Pontificem Max.* sibi obversantem habuerit. Rerum certe alibi narratarum similitudo digna mihi quae notaretur visa est. Quum praesertim ejusmodi historiae sacrae et institutorum vel imitatio vel amplificatio illius ab ingenio minime abhorreret. Quod postmodum nobis apparebit.

Et propter lectionum discrepantiam et propter incertiorem vocis, quae ibi scripta exstat, potestatem valde memorabilis est locus, qui in eodem mox sequitur *Capite primo.* Magna aliquando Jehovae in honorem solennia celebrârunt Israëlitae. Ubi quum ante alios sacra facere instituit Joachimus, qui olim benevole ejus pietati concedi solitus erat, nunc ei, *quippe nullam habenti prolem,* denegatur honos ac primatus. Quod valde dolet ille. Nunc autem sic pergit, Fabricii ex recensione, narratio: *Καὶ ἀπίει εἰς τὸ δωδεκάφυλον τοῦ λαοῦ, λέγων ἐν ἑαυτῷ, εἰ ἐγὼ μόνος οὐκ ἐποίησα σπέρμα ἐν τῷ Ἰσραήλ.* Atque idem plane Birchius; nisi quod, signo interrogandi in fine apposito, dicti intelligentiam quodammodo adjuvat.

Copiosius vero ita Thilo: *Καὶ ἀπίει εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, καὶ ἐλθὼν εἰς τὸ δωδεκάφυλον τοῦ λαοῦ, λέγει· Ὄψομαι εἰ ἐγὼ μόνος κ. τ. λ.*

Quibus haec substituit Tisch.: *Καὶ ἄπιει εἰς τὴν δωδεκάφυλον τοῦ λαοῦ λέγων Θεάσομαι τὴν δωδεκάφυλον τοῦ Ἰσραὴλ εἰ ἐγὼ μόνος κ. τ. λ.* (1).

Veram hujus loci lectionem quaerentibus primum nobis scrupulum injicit Codex *Venetus Marcianus* A, cujus quanta sit praestantia ex supra dictis apparuit. Hic enim et proxime praegressa omittit: *καὶ ἐλυπήθη Ἰωακεὶμ σφόδρα*, et totum, quem modo antea, triplici ex recensione, adscripsi locum. Quod tantum valuit apud Suckowium, ut et illa et haec ejicienda esse

(1) Textum hîc repono, ut fecit ipse, sine interpunctionis signis.

copiose demonstrare studeret. Non ita quidem, prudentior eo doctiorque, Thilo, cujus non accuratissime traditur ab illo sententia. Verumtamen hic etiam suspenso pede locum tractare videtur. Sed felicissime rem expediit Tisch., qui probabiliter factum esse monet, ut a *priore* illo *ἐν τῷ Ἰσραήλ*, quod post *οὐκ ἐποιήσας* additum exstat, oculis aberrantibus continuo librarius ad *alterum ἐν τῷ Ἰσραήλ*, post *σπέρμα* recurrens, transsiliret, adeoque quaecunque intermedia erant negligeret. Cujusmodi per oculorum errores varii generis omissionum ac transitionum sexcenta scriptorum antiquorum in Mss. exempla exstare, in vulgus notum est. Caeterum non intellectum etiam vocab. *δωδεκάφυλος* (1) ad totum omittendum, quo continebatur, dictum, quod forsitan ineptum putabat, impellere potuit librarium. Verum in palmari licet acquiescere recentissimi Editoris animadversione; quam paullo copiosius, quam fecerat Auctor, commendandam putavi.

Sed si universus retinendus est locus, singulas ejus partes quomodo legendas esse existimabimus? Leviora igitur ut mittamus; post v. *ἀπίει* Thilonem verba inserentem vidimus: *εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ ἐλθών*. Quod et illius, quem caeteris praeferebat, Codicis auctoritate facit, et alîus cujusdam (O.), ei hîc assentientis. Verum utrique caeterorum omnium adversatur testium suffragium. Accedit quod iis inculcandis verbis cavere voluisse videntur, quos memoravimus, Codd. C. et O. ne pro *totâ Israëlis gente*, quam adierit Joachimus, sumeretur *δωδεκάφυλος*. Sive igitur testium auctoritatem spectaveris, seu internam rerum probabilitatem; recte fecisse censendus est Editor *Lipsiensis*, quod his circumscriptis eam hîc restituit, quam Fabricius vulgârat, breviorem lectionem. Prudenter vero ab eodem recessit Critico, post partic. *λέγων* inserente *ἐν ἑαυτῷ*. Quod, etsi testium praesidio non destitutum sit, manifestum ta-

---

(1) De vocis genere ac terminatione infra paucis dicemus. Hîc quidem, Tisch. secuti, sic scripsimus.

men redolet glossema. — Tum quod, post memoratum illud *λέγων*, ita textum constituit idem Tisch.: *θεάσομαι τὴν δωδεκάφυλον τοῦ Ἰσραήλ*, longe melius testatam certe nobis exhibet lectionem, quam fecerat Thilo, qui denuo binis obsecutus, quos diximus, Codicibus C. et O, pro illis, quae recitavimus, verbis solum habet *ὄψομαι*, ut continuo sequatur: *εἰ μόνος ἐγώ κ. τ. λ.* — Ne plura; in hoc quidem loco expediendo ac constituendo tam scienter versatus est et tam accurate Tischendorfius, ut universe laudandum illius existimemus ac sequendum judicium.

Sed pauca monenda supersunt de voc. *δωδεκάφυλος*, sive, sicuti *neutro* genere Thilo edidit, —*ον*. Quod magnas hujus loci in historiâ partes egisse constat. Est illud tam rarum vocabulum, ut, quantum novi atque indagare potui, solo scriptum exstet hoc loco et *Actt. App.* XXVI. 7; ubi non sine emphasi spem attingit Paullus, quam foveat *τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν*, id est *cunctae, quotquot sunt, populi nostri tribus*. Nec aliter hîc interpretandum putavit Fabr.; ut publicus aliquis Israëlitarum coetus intelligeretur, munera Deo offerentium, quem quaesiturus adiisset Joachimus, utrum alii etiam (sacrâ in historiâ memorati) steriles deprehenderentur (pii Dei cultores). Nolim vero praeclari Viri mihi manes irascantur, ubi tam absurdam hanc dixero rationem, quam ne librariorum quidem ferre potuerint ingenia. Quamvis enim saepe ineptum sese praebeat Auctor, non eum in modum tamen Israëlitarum instituta ignoravit, ut id forte quaerenti Seni *Pontificem Max.* potius vel *Sacerdotem* aliquem adeundum fuisse nesciret, quam *duodecim populi tribus*. Verum rei caput est, *Halensi* verissime monente Editore, quod ex solenni, qualem descripsimus, civium conventu, cui modo, minus honorifice exceptus, interfuerat, nunc ad *τὸ δώδεκ.* sese reciperet. Quâ cum rerum scenâ Fabricii consistere non posse interpretationem, quis est qui non videat? Quocirca Thilo potius nobis est sequendus, praeëuntibus Postello ac Jonesio, *decem tribuum genealogiam* intelligens, ac docte hanc illustrans interpretationem. — Miror autem, in tantâ praesertim vocabuli

raritate, neminem fuisse, quem quidem consuluerim, Interpretem, qui cum eâ simillime compositam vocem conferret, quâ, ipsius hujus Proteuang. Cap. VIII, utitur Auctor, ubi ὁ δωδεκακώδωνος (1) vel τὸ δ—ον hyacinthinam notare videtur Pontificis Max. tunicam talarem, cujus fimbriis *duodecim*, quod probabile est, *annexa erant tintinnabula*. Mihi quidem suspicio pridem erat nata, nostro Cap. I loco, forsitan levissimâ mutatione, unâ insertâ litterulâ, legendum esse δωδεκαφύλιον, quo commodius id enuntiatum iri putabam, quod hîc significari debebat. Verum nunc a commendandâ me retinet conjecturâ vocis collatio, quae eandem, quam vulgata Cap. I lectio, analogiam habet partiumque compositionem.

Ejusdem Capitis versus finem, mira aliqua me advertit lectionis discrepantia, non ita tamen gravis illa. De Joachimo enim narrantem audimus Suckowii editionem: καὶ οὐκ ἐνεφάνη σὺν τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. Sic enim suo in Codice sibi legisse visus erat; nec aliter legendum esse illius strenue pugnat annotatio. Verum perverse lectum locum atque editum acriter ei objicit Tisch. (2). Ego quidem *Venetum Marcianum* inspicere non potui, neque igitur illius de scripturâ judicare. *Lipsiensem* tamen laudare non dubito Criticum id edentem, quod et multorum testium in auctoritate praesidium habet et in *Annae* dictis, proximo Cap. II acerbe de suâ conquestae viduitate. Plane diversum enim hoc nobis legendum impertit Auctoris dictum: καὶ οὐκ ἐφάνη τῇ γυναικὶ αὐτοῦ.

Sed haec quamvis pauca, atque ex *primo* solum scripti *Capite*

(1) *Et* in hujus et in nostrae vocis *genere* notando mire nutant *Proteuangelii* Codd. Verum *Actt. App.* XXVI. 7 nec Griesb. nec Scholz. nec Tisch. ullam *generis* discrepantiam memorârunt. Videntur igitur omnes *neutro* gen. scripsisse τὸ δωδεκ. Quod nostro etiam loco praetulerim.

(2) *Comment. Hag.* p. 204.

ducta, specimina quantam Proteuangelium nobis objiciat lectionum discrepantiam, ac quomodo in eâ judicandâ recentissimus versatus sit Editor, satis luculenter lectoribus ostendent. Quibus ne taedium afferam, multa alia, quae mihi tractanda notâram, supprimenda puto. Vix ulla novimus orbis antiqui monumenta, quorum tot locis tam longe a se invicem Codices recedant mss. Multae sint canonicis in Euangeliis, multae in iis *Ciceronis*, quae frequentissime legebantur, operibus, multae alibi lectionis varietates. At earum longe pleraeque leviora solum attingunt, nec tam crebro, quam hîc, ipsas Auctorum afficiunt atque immutant sententias. In *Proteuangelium*, tanquam *in rem nullius*, involâsse videri possint librarii, illudque, vacuum ut agrum aliquem, sibi vindicâsse, quo inferre, unde auferre, ubi, quae vellent, mutare, trajicere, confundere pro suo cujusque liceret arbitratu. Mihi certe hîc non raro usu venit, ut, ubi ex testium dissensu ac discrepantiâ veram ac certam Auctoris manum vix aut ne vix quidem expiscari possem, haec mecum dicerem: »*Deo qualis* »*est habenda gratia, qui, quanto majorem nobis utilitatem cano*»*nica haberent, quam apocrypha Euangelia, tanto certiores ple*»*rumque nos de* illorum *reddendos curaverit argumento ac sen*»*tentiis!*"

Quoniam de multiplici, quâ liber laborat, lectionum varietate pauca ex multis monuimus, ne in exteriore ejus veluti cortice haec haereat relatio, de universâ scripti ratione atque indole non nulla subjicere juvat. Quae recenti cum editione si minus conjuncta sunt, certe a plerisque aliis non aliena erunt Euangg. apocryphis. His enim, quod supra monentem audivimus Lückium, germani veracisque Euangelii simulacra quaedam continentur atque umbrae. Atque hoc ipsum ita nostrum convenit in *Pseudojacobum* ut, hunc si spectas, quodammodo dicere possis: *Ex uno disce omnes.* Neque enim ullâ magis manifestâ cernitur notâ, quam perpetuo quodam, ubique se prodente, *sacras imi-*

tandi Litteras studio ac conatu. *Sacras*, inquam, *Litteras*. Etsi enim ex *Euangeliorum* imprimis fontibus suos irrigat hortulos, non raro tamen, alios etiam vel Veteris vel Novi Foederis libros ac locos adumbrando aut compilando, narrationi ipse suae gratiam conciliare studet et auctoritatem. Ita fit aliquando ut scite atque ingeniose Sacri Codicis vestigia legat. Ac ne ejusmodi quidem illius in scripto loci plane desiderantur, ubi, suo magis, quam alieno, navigans remigio, pulcre non nulla atque eleganter informet. Quibus in locis, alios ne memorem, *Annae*, Cap. III, censuerim orationem, miserabiliter conquestae, quod, quum tota, quâ late pateret, viventium natura vitae procreatrix esset, prole destituta langueret ipsa. Verum plerumque inficete nec raro ridicule S. S. dicta in suos convertit, quidni potius dicam pervertit? usus ac consilia. Quod ejusmodi profecto est, ac si suo ipse exemplo *Horatianum* illud: *Imitatores, servum pecus*, lectorum in memoriam revocare voluerit. Ut plurimum enim, quod in S. C. justo positum deprehenditur et opportuno loco, hîc alieno et incommodo. Quod ibi nativum habet veri colorem, idem hîc ita reponitur aut amplificatur, ut fuco nobis illitum appareat.

Verum paullo disertius, quam adhuc factum esse videtur, duplex nobis distinguendum est, quod alternatim fere sectatur, genus imitandi, vel *pressius* illud vel *liberius*. *Prius* obtinet, ubi quae de *Mariâ, Josepho, Joanne Baptistâ* canonica narrant Euangelia, ad eosdem quidem refert, sed ita reponit, ut ornatiora ea faciat ac magis mirifica suoque pro sensu amplificet, immutet, corrumpat. Ubi eâdem paene ratione versatur, quâ non paucas historiae sacrae partes, exempli gratiâ pulcherrimam Josephi Patriarchae historiam (1), retulit in *Corano* ac suo mutavit arbitratu *Mohammedes*. Sed hoc cujusmodi sit, neminem vel mediocri attentione cum canonicis apocrypha comparantem Euan-

(1) Vid. Corani *Sura* II, quam olim, utilissimâ tironibus operâ, seorsum edidit Erpenius.

gelia, fallere poterit. — Paullo accuratius in omnes Litterarum sacrarum partes nobis circumspiciendum est, ut *alterum* imitandi genus, quod non minoribus certe *Pseudojacobo* fuit in deliciis, suis ubique odoremur vestigiis. Est hoc, quod modo antea *liberius* diximus, nec incommode *subtilius* vocaveris. Latius id patet, ac longe ampliora pro lubitu per spatia vagatur. Neque enim in iis exprimendis se continet, ubi eadem vel similia tractantur, N. T. locis dictisque. Nam si quid, quocunque in Libro Sacro, se legere meminerat Auctor, quo sua posset ornari vel locupletari narratio, non raro ad longe diversos id referebat atque accommodabat homines, vel tempora, vel opportunitates, vel argumenta. Quibus ipsis quae prorsus aliâ ex rerum conditione profecta erant utrum recte concinerent, an secus, non multum quaerebat nec curabat. Ex *liberiore* hoc sive *subtiliore* imitationis genere pauca delibabimus exempla, quibus ad alia quaerenda lectores impellantur.

Capite igitur *primo exeunte, quadraginta per dies totidemque noctes in deserto jejunâsse* dicitur *Joachimus;* non aliter, quam *Christus*, narrante *Matth.* IV. 2. Nec tamen in aureâ acquiescit narrationis euangelicae simplicitate; quam ita potius acuendam putat, ut pio Seni dictum tribuatur, quo, anteaquam se Deus inviserit, ad edendum quicquam vel bibendum sese hinc descensurum esse negat. — Ac continuo post *cibum sibi potumque preces esse* profitetur. Nam eidem denuo *Christo* videbatur aequiparandus, qui similia, sed longe graviora atque ex eâ, in quâ quum maxime versabatur, rerum conditione sponte manantia, de se suoque declarârat de animo, *Joann.* IV. 34.

Incunte Cap. IV, *Mariam* significans virginem, Annae matri pollicetur Angelus: *Λαληθήσεται τὸ σπέρμα σου ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.* Vesti suae si pannus omnino alienus assuendus videretur Auctori, non incommode iis hîc uti potuerat, quae Mariae promittentem audimus Angelum, *Luc.* II. 28. Sed dissimulatâ maluit imitatione, quod non de Jesu matre quidem, scd aliâ tamen

de *Mariâ, Lazari sorore*, narrante *Matthaeo* Cap. XXVI. 13, dixerat Christus, aliquâ cum immutatione suos in usus conferre aut potius compilare.

Sed clarius etiam ejus ingenium, quod *ibidem* postmodum *Annae* tribuit, votum ostendit. Samuelis Prophetae mater *Anna* (sic enim, quam nos vulgo *Hannam*, non adspiratâ voce dicebant LXX) solenni sese voto obstrinxerat, *filius* si sibi daretur, Deo hunc se esse consecraturam. Vid. 1 *Sam.* I. 11, collatâ *ibidem* sect. 27 sq. Hoc vero ita nostra haec amplificat *Anna*, ut idem sese facturam recipiat, sive *filium* peperisset, *seu filiam*. Sine quâ sane amplificatione, quod suo de *filio Samuelis* promiserat mater, ad *Mariam* accommodari non poterat. Sed caetera etiam uberiora eam facienda putâsse, utriusque loci collatio docet.

Capite VI carmen refertur, breve tamen illud, quod, quo tempore primum aetatis annum tenella compleverat filia Maria, Dei in honorem cecinerit mater Anna. Nec mirum. Cecinisse enim virginem ex *Lucae* Cap. II. 46 sqq. noverat Auctor. Quidni hujus certe pietatis sociam atque aemulam faceret *matrem?* Verum non tam hujus cantici, quam potius *Veteris Test.* locos hîc sibi sumsit imitandos. In quibus prae caeteris *Sarae* dictum est censendum, *Genes.* XXI. 7. Quod, Alexandrinorum maxime ex interpretatione, Annae huic voci simillimum est: *Τίς ἀναγγελεῖ — — ὅτι Ἄννα θηλάζει;* Quod recte jam ad h. l. Thilo notavit.

Misere sitienti *Hagari*, Deo jubente, aquae fontem ostenderat *Angelus;* Genes. XXI. 19. — In solitudine degentem Prophetam *Eliam* per *corvos*, aut modo certe plane extraordinario, aliquamdiu nutriendum curârat Jehova; 1 *Regg.* XVII. 4 sqq. — *Christo*, post exanclatam in deserto tentationem, *Angeli* ministrârant; *Matth.* IV. 11. — Quae igitur quum ita gesta esse novisset *Pseudojacobus*, committere noluit ut *Maria*, cui nulla non mirifica tribuere consueverat, *vel* eodem semper, quo caeteri mortales, cibo nutriretur, *vel* Angelorum ministerio destitueretur.

Quocirca, *Cap.* VIII, *Angeli de manu* nutrimenta eam accepisse tradit. Atque hâcce narrandâ fabulâ ita sibi placuit, ut eam bis deinceps lectoribus in memoriam revocandam putaret; *Cap.* XIII per *Josephum, Cap.* XV per *Sacerdotem.*

Placetne memorabili aliquo cognoscere exemplo, quam absurde *Veteris* Test. historias ad suam exornandam adhibere soleat narrationem? En tibi, quod ne negligas velim, Proteuang. *Caput* IX. Ubi pio seni *Joachimo*, nisi uxorem domum duxerit Mariam, a Sacerdote severissima *Corachi* et *Dathanis* et *Abirami* poena intentatur. Hos enim, quod in Moïsem atque Aäronem rebellionem fecissent, terram hiatu patefactam devorâsse, *Numer.* XVI. 32, relatum legerat.

Haec igitur ex quarto Pentateuchi libro hausta erant. Verum illius etiam exordium attendere juvat ac te rogare ut *decimo tertio* Proteuang. cum *Capite* primorum compares Parentum nostrorum historiam. Quo facto reformidâsse videbis *Josephum* ne, sicuti olim *Evam,* ita nunc *Mariam* callidus decepisset Serpens, adeoque ne *Adami* sese fatum maneret.

Sed ad *Novum* potius nos referamus *Test.;* cujus locutionibus ac sententiis dictu difficile est, quam insulsâ non raro ratione *arctam* locupletârit, quam *domi* habebat Auctor, *supellectilem.* Cujus rei en novum tibi exemplum. Quis unquam desperantis dictum *Proditoris* a quoquam idoneum habitum iri putâsset quod pio tribueretur *Josepho?* Et hic tamen, *Cap.* XIV, ubi timere sese ait ne, si quid deliquerit Maria civibus aperiat, deprehendatur *παραδοὺς αἷμα ἀθῷον;* quid, inquam, aliud facit, nisi ut *Iscariothae* dictum reponat, quod *Matth.* XXVII. 4 consignatum exstabat? Nec vero sine solitâ sibi dictum dimisit amplificatione. Pannum enim assuendum putat: *εἰς κρίμα θανάτου.*

Cap. XVI *exeunte.* *Οὐδὲ ἐγὼ κρίνω ὑμᾶς.* Ecce Sacerdotis vocem, *Mariam* ac *Josephum* absolventis. Quâ voce noli dubitare quin *Christi*, mulierem adulteram compellantis, dictum exprima-

tur, *Joann.* VIII. 11. Quum praesertim utrâque in historiâ *adulterii* de crimine quaereretur, atque utrobique qui criminis illius rei erant absolverentur. Hinc igitur nec *Joanneum* universe Euangelium nec hunc singulatim, qui multis suspectus est, locum *Pseudojacobo* fuisse ignotum jure effeceris.

Liberioris, quâ multos S. S. locos hic adumbravit Auctor, *imitationis* vario in genere haec exempla sunt ac specimina. Quam vellem autem, quâ ratione in *pressiore* historiarum sacrarum usu versatus sit idem, simili quâpiam in tabellâ lectorum ante oculos proponere possem atque informare! Verum, quum loco me videam exclusum ac spatio, longe facilius hoc, nec minus tamen utile, pensum illorum relinquendum est industriae (1). Quo in penso quo accuratius ac quo diligentius versati sint, eo certius iis verissimum probabitur Tischendorfii judicium, ubi libri in fronte illustrissimo eum inscribebat Falkenstenio, et alia et haec professi: »*Illud*," inquit, »*in apocryphis evangeliis optimae frugis est quod divinam canonicorum auctoritatem quum naturâ tum historiâ suâ sustentant, illorumque fidem suâ ipsorum falsitate egregie confirmant; quod ut nostris temporibus multi male ignorant, ita jam Irenaeus et Tertullianus luculenter probaverunt.*" — Haec Tischendorfius; a cujus constantiâ laudandâ et solertiâ, in antiqui orbis eruendis emendandisque et publicandis monumentis sine intermissione collocatâ, hujusce exordium duximus relationis. Nec minore profecto jure in hâc singulatim commendandâ desinemus, quam ei debemus, *Euangg. apocr.* editione. In quâ plura praestitit ac meliora, quam ab eo requiri potuerant, qui, eodem fere tempore, tot alia eaque tam diversa Critices munera strenue obiret. Vereor

(1) Hoc unum hîc attingere juvat. Mirificis de Christi natalibus quae refert Protevang.; omnino ea simili cum narratione comparanda sunt, quam prodidit, Cap. XI, *Jesaïae* *'Αναβατικόν*. Haec enim *Matthaei* (I. 18. 19. 24. 25) ex fonte hausta esse ejusque igitur fidem confirmare, recte docuit H. Jolowicz, in libro: *Die Himmelfahrt u. Vision des Proph. Jes., aus dem Aeth. u. Lat. — übersetzt u. s. w. Leipz.* 1854.

quidem ne, quod in *Novo Testamento* factum nollem, in his denuo fiat *Apocryphis*, ut coecâ fide illius auctoritatem venerati non nulli, in eâ quam constituit, textûs recensione securi nunc acquiescant de ejusque veritate dubitare nefas habeant ac piaculum. Quae si invalescat superstitio, *'Ἀκρισία* potius, quam *Critica*, nobilissima haec nostra dicenda sit disciplina. Verum cavendum nobis est ne admiratorum vitia ac socordiam iis objiciamus, quos admirantur, doctrinarum Coryphaeis. Quorum in nominibus Tischendorfium censere nulli dubitamus (1).

---

(1) Ubi supra, ineunte hâcce relatione, Critici Lipsiensis *apocrypha* in *Euangg.* merita laudavi, hunc etiam memorare potueram ac forsitan debueram ejus libellum, optimae frugis illum: Pilati *circa* Christum *judicio quid lucis afferatur ex* Actis Pilati. *Ad memoriam b.* Theilii *recolendam — scripsit* Const. Tisch.; *Lips.* 1855. Pp. 30. Cujus quidem opusculi posteriore parte Theilio parentatur, doctissimo Theologo Lipsiensi, cui gravissimum *comm. in Ep. Jacobi* (Lips. 1833) aliaque debemus doctrinae monumenta. Priore vero eâque majore parte, p. 1—25, plura afferre *Acta Pilati* demonstrat Auctor, quae Euangelia can. ac Pilati, Christum judicantis, illustrent agendi rationem. Quem Critici conatum jure laudatum vidi ab Ewaldio: *Jahrb. der bibl. Wiss.* VII. 1854—1855, p. 195. Qui quidem quae hinc resciscamus, non magni ea esse momenti dicit. Enimvero nihil *hîc* leve est ducendum nec negligendum. Verissime enim ac pulcherrime, disputationis initio, Tischendorfius: »*Quo majus in illis rebus,*" inquit, »*ad salutem aeternam humano generi recuperandam inest momentum, eo plus studui* »*ab iis, qui sacram historiam indagant, ad id conferendum, ut singularum earum,* »*quemadmodum susceptae, actae, absolutae sunt, persequantur vestigia.*"

Caeterum libelli in titulo ne quis haereat incertior, monendum est *Apocryphum* illud, quod, novitio atque antiquis ignoto nomine, *Nicodemi* dici consueverat *Euangelium*, id ipsum, *Euangg. apocr.* in Sylloge, ita nunc edidisse Tisch., ut, sublato illo nomine, senos seorsum publicaret libellos, tres Graece, tres Latine, qui antea conjuncti unum continuerant *Nicodemi Euangelium*. Quos ita inscripsit libellos: *Gesta Pilati Graece* A *et* B.; — *Descensus Christi ad Inferos Graece; — Gesta Pilati Latine; — Descensus Christi ad Inferos Latine* A *et* B. Cff. *Euangg. apocr. Prolegg.* p. LIV seqq. Verum, utcunque haec vocentur scripta, quum de iis, tum vero, quod majus est, de historiâ Christi perpessionum ac mortis, praeclare meruisse mihi videtur Criticus idemque Theologus Lipsiensis.

Commentarius criticus et exegeticus in N. T. Auctore H. A. W. Meyer (1).
(Pauca de non nullis illius Partibus, nuper vel denuo editis vel primum emissis).

Ex quo tempore de binis hujus operis Partibus, iisdem his in *Chartis*, retulimus, dupliciter id atque insigniter auctum est et locupletatum. Nam *quum* novis deinceps editionibus frequentati sunt, non omnes quidem, sed plures tamen, quos ipse jam antea emiserat Meyerus, librorum commentarii; *tum* in interpretandis, illius sub auspiciis, iis, quae adhuc intactae manserant, N. T. Epistolis strenue perrexerunt, quos pridem nuncupavimus, Duumviri juniores. De utrâque igitur ratione, quâ communi de penso, *recentissimo tempore*, vel ille vel hi meruerint, hoc loco quam brevissime referre juvat.

Theologi veterani, cujus de nomine dicitur opus, Goettingae *tertium* sunt editi comm. in *Matthaeum*, a. 1853; — in *Marcum* et *Lucam*, a. 1855; — in 2 *Corinth.* a. 1856. Ejusdem ibidem *iterum* sunt editi comm. et in *Acta App.* et in Ep. *ad*

(1) Vix opus est Enchiridii notissimi titulum Germ. apponere: *Krit. exeg. Kommentar üb. das N. T.* Sed singulae Partes singulares etiam habent inscriptiones, quae ad ea referuntur, quae in iis enarrantur, N. T. scripta. — Et de universo opere et singulatim de ipsius Meyeri comm. in *Gal.* ac de Lünemanni comm. in 1 *et* 2 *Thess.*, harum *Chartt.* L. I. p. 50 sqq., paullo copiosius egimus. Quem locum continuabit quodammodo brevior haecce relatio.

Romanos, eodem uterque anno 1854; — in Ep. *ad Ephesios*, a. 853 (1). Quo de operis successu atque honore est sane quod acrarum Litterarum caussâ laetemur. *Emendatas* enim atque *auctas* iterum iterumque posteriores quaeque sese profitentur editiones tque earum praefationes. Quam veram esse professionem quum assim testati sunt librorum Censores, tum posteriorum illarum um prioribus collatio confirmat. — Caeterum eadem, quae olim rat, nunc etiam manet suique similis deprehenditur Meyeriaae Exegeseos informatio. Singulis in interpretandis vocibus ac ocutionibus totus est regnatque nec raro tam accurate, docte, ubtiliter versatur, ut non possit non intelligentium quorumvis alculos ferre lectorum. Universas s. Auctorum sententias paullo requentius nunc, quam ab initio fecerat, explicat, nec eâdem amen, quâ minimas quasque orationis particulas, curâ prosequiur. Atque optandum fuerat ut, quam assidue et quam laudailiter *Grammaticam*, tam diligenter caeteras, quarum luce inerpretatio carere nequit, ejus in auxilium advocâsset doctrinas istoricas. Ac postremis etiam his in editionibus, quamvis non eviter emendatis illis, locos subinde deprehendere mihi visus um, quorum singula quaeque verba premens atque urgens praetantissimus Interpres, integram sententiam minus accurate delarâsset.

Nunquam frequentius id ei accidit, quam ubi adjectiva vel dverbia vel aliae ponuntur orationis partes, quae *genus* aliquod el complectuntur vel excludunt, veluti πᾶς, οὐδείς, μηδείς, ἀντοτε atque aliae multae. Ex familiari enim nullius non linuae consuetudine, saepius haec indefinite usurpari constat ac inus subtiliter. Cujus rei unum exemplum afferre juvat maxime emorabile. Narrante *Lucâ*, *Actt. App. Cap.* II, *sect.* 44, ab itio Christiani εἶχον ἅπαντα κοινά. Id de *plenâ* Meyerus

(1) *Iterum* ibid. editus erat comm. in 1 *Corinth.* a. 1849; *primum* in *Ep. ad Philipp.* a. 1847; in *Ep. ad Coloss.* et *ad Philem.* a. 1848. — Commentarium Joannem, a. 1852 iterum editum, propediem *tertium* exiturum esse comeri; quippe qui prelo jam sit subjectus.

10

explicat *bonorum communione*, voluntariâ quidem, sed quâ proprii nihil ac privi singulis relinqueretur. Quam vero loci interpretationem cum ipso narrationis Lucaneae tenore ac consecutione non bene concinere, post alios accurate nuper docuit Luthardtius (1). Ad unum quidem *Hierosolymae* coetum M. *restringit*, quam ita *amplificat*, omnium bonorum communionem (2). Verum nusquam imitatores invenisse Ecclesiae matris, cujus summa erat primos apud Christianos auctoritas, exemplum vix credibile est. Tum, ubi Christo, in terrâ degenti cum discipulis omnia communia fuisse dicit, ad ejusque igitur exemplum primos illius sese composuisse sectatores, vereor ut falsa falsis fundentur. Neque enim eam Domino cum Apostolis bonorum intercessisse communitatem existimo, ut hi ne navicularum quidem suarum retiumque et domorum, quae Christi caussâ ad tempus reliquerant, veri nominis possessores manerent. Caeteroquin enim, *Matth.* VIII. 14. *Luc.* VIII. 38 atque alibi, pro *Petri domo* potius *Christi discipulorumque* κοινόβιον nuncupandum fuisset. Verum ideo tantum haec, quae copiosius exposuerunt alii, paucis attigimus, ne, quamvis invito gravissimo Interprete, *Socialismi*, quem hodie vocant, patroni aut praecursores haberentur Christus et Apostoli (3).

---

(1) Vid. comm. Meyeriani in *Acta App.* ex tertiâ ed. censura, quam reposuit in Reuteri *allg. Repert.* ad m. Jun. 1855, p. 487 sqq. Hâc illius ex relatione, quae multa bonae frugis continet, postmodum non nulla duximus exempla.

(2) Adeo verum est ne severissimum quidem sibi constare posse rigorem grammaticum.

(3) Quantopere saepe, si adject. πᾶς *sine exceptione* sumere velit, torquere se debeat Interpres, luculenter docet locus *Joann.* I. 9; ubi πάντα ἄνθρωπον, *in mundum venientem*, *illuminare* dicitur ὁ Λόγος. Quod, praeëunte Lückio, accipere non dubito de *quocunque homine, qui fide habitâ ad ipsum accesserit.* Hanc vero limitationem ne admittere cogatur Meyerus, distinguit *empiricam* inter necessitudinem, quam hîc esse negat, et *idealem*, quae *a parte* τοῦ Λόγου omnino obtineat. Quod cujusmodi sit me non intelligere fateor.

Haec ubi scripseram, ecce! mea forte inspiciens annotata, similia de h. l. interpretatione Censorem monuisse video, qui de comm. in *Joann.* ed. 2

Nunc etiam, sicuti antea, nullâ in re minus sibi constitit Criticus, quam in aestimandâ N. T. *fide historicâ.* Neque igitur spem nostram plane confirmavit exitus, *fore ut, si quando* tertiâ editione *Euangeliorum interpretatio repeteretur, nulla amplius pristini Scepticismi ac gravissimis in rebus inconstantiae vestigia remansisse appareret* (1). Singulatim hîc *Lucanea* paullisper scripta attendamus. *Lucam* enim, Paulli comitem, utriusque, qui ei tribuitur, libri verum esse Auctorem luculenter atque acute demonstrat. Nec paucas illius narrationes, quarum veracitatem in dubium vocârant Strauszius, Baurus, Zellerus, alii, strenue tuetur atque ab illorum vindicat objectionibus. Quam operam iis ipsis etiam subinde praestat locis, ubi mirifici quid memoriae proditur. Cujusmodi et aliae sunt et hae, quas exempli gratiâ affero, *Lucaneae* narrationes: de viduae Naïniticae filio ab ipso Christo, item de Tabithâ, Christi potestate, a Petro in vitam revocatis, *Euang.* VII. 11 sqq., *Actt. App.* IX. 40—43; — de visione nocturnâ, Paullo objectâ, *ibid.* XVI. 9; — de mirificâ ejusdem Paulli ac Silae liberatione, *eod. Cap. sect.* 25. 26; — de Angelo, quem sibi apparuisse dicentem audimus Paullum, *ibid.* XXVII. 23. 24; — de viperâ, ejusdem manum prehendente ac mordente, *ibid.* XXVIII. 3 sqq. Quorum omnium characterem ac fidem *historicam* praeclare defendit. Nec minus recte et alibi versatur et in Christi, Sacram Coenam instituentis, verbis, quae solus retulit *Lucas*, *Euang.* XXII. 19 sqq.

Verum hoc in genere recte dictorum vim et auctoritatem enervat ipse et infringit, ubi alias ejusdem historias, non minora

---

refert, laud. in *Literaturbl.* 1854, N°. 134. Hic enim, paullo severius, quam ego feceram, judicans, tam contortam hanc vocat interpretationem, quam nemo facile sit amplexurus.

(1) *Chartt.* l. l. p. 55. — Plane contraria, ne quid diffitear, contendit Anonymus in Eph. *Theol. Literaturbl. z. A. K. Z.* 1855, N°. 73. Hic enim de comm. in *Acta App.* posteriore editione sic refert, ut *non satis scepticum* eum esse satis aperte arguat. — Atque idem, eodem in opere, Censor agit, quem modo memoravi, commentarii in *Joannem.*

veri indicia habentes, in malam adducit falsi suspicionem. Sic enim vel incertis ex traditionibus aut mythis hausta esse opinatur vel dubiae certe fidei esse conjicit, quae tradentem audimus *Lucam*, de Christi quum infantiâ (1), tum illustri in coelum adscensione, id est de vitae, quam in terris egit, et ingressu et exitu; — de Angelo, in Gethsemane eum corroborante ac de sanguineo illius, ibidem manante, sudore, *Luc.* XXII. 43. 44; — de sanatâ Christi miraculo Apparitoris aure, *ibidem, sect.* 51[b]; — de *ἑτέραις γλώσσαις*, *Actt. App.* II. 4; — de Petro ex vinculis ac vitae discrimine servato, *ibidem*, V. 19; — de Tertulli, Judaeorum Advocati, oratione, cujus certam tamen fidem habeat initium, *ibid.* XXIV. 3 sqq.

Ecce non nulla ex pluribus! Jam vero non videre me fateor, quidni, suo pro acumine, Theologi Tubingenses, de his aliisque narrationibus Meyeri cognito judicio, sic *ex concessis ab illo argumentari* possint eumque refutare: »*Haec si dubiae sunt fidei* »*nec certum habent characterem historicum, quae ullâ sine dubi-* »*tatione, summâ narrandi simplicitate, tanquam historica tradit* »*Lucas suaeque ut plurimum historiae arcte annectit; — quid* »*caussae est ut magis honorifice de aliis multis illius locis sta-* »*tuamus, quos Tu, O Critice! licet nulla certiora habeant veri* »*indicia, ac magnâ ex parte eodem in genere versentur, historicos* »*declaras nostrisque ab objectionibus tueri conaris?*"

Paucis ut concludam; Theologi Hanoverani subtilitatem laudo ac subinde admiror doctrinamque grammaticam nec raro historicam. Id unum, illius exemplo moniti, perpendant velim lectores, quam infirma sit atque invalida, quam parum sibi constans, anceps illa Critica, quae, pede incedens vacillante, modo

(1) Certe non *historica* ea, sed *idealia* potius ab ipso haberi, comm. in *Euang. Luc.* tertia ostendit editio, ubi, p. 245, et alia et haec: »*Die Wahrheit der* »*Geschichte von den Hirten u. den Engeln liegt im Bereiche der Idee, nicht in* »*dem der historischen Wirklichkeit, obwohl Luk. als wirklichen Hergang sie be-* »*richtet.*"

in hanc inclinat partem, mox justis sine caussis in contrariam inflectit nutatque, nec certis ducendam se curat judicandi principiis.

Verum non minora proximis annis incrementa Meyeri cepit Enchiridion doctâ et industriâ ex operâ binorum, qui Viri gravissimi pensum pertexendum susceperunt, Theologorum juniorum, J. E. Hutheri et Th. Lünemanni. Nam Hutherum etiam, qui, tametsi *Gymnasii* adhuc *Schwerinensis Doctor* est, naviter adeo nostrorum se socium praebet studiorum, jure *Theologum* dicere licet. Suo jam Marte, ante hos quindecim aut sedecim annos, in Epistolam *ad Colossenses* commentarium ediderat; ubi eam universe interpretandi viam sequebatur ac rationem theologicam, quam, explicandâ *ad Ephesios* Epistolâ, praeiverat Harleszius. Ita tamen, ut et commodiore, quam fecerat ille, ordine commentationis argumenta disponeret, nec tam acriter aliter sentientium occurreret opinionibus. Hutheri hanc operam universe laudârunt cives ac de meliore notâ commendârunt. Nec injuriâ tamen nimis diffusam librum habere disputationem reprehenderunt, ac tantam, quantam non requireret Epistolae brevitas, in molem excrevisse (1). Sed haec olim.

Recentiore memoriâ, Meyeri vices supplens, Goettingae commentarium edidit in Epistolas *ad Timotheum et Titum*, a. 1850; — in *utramque Petri et Judae* Epistolam, a. 1852; — tandem *in tres Joanneas* Epp., a. 1855. Prioris utriusque libri supra bre-

(1) Inscribitur liber: J. E. H., *Cand. des Hamb. Minist., comm. üb. den Brief P. an die Colosser; Hamb.* 1841. X et 437 pp. — Quo de opere nostris cum monitis dicta cff. ab Anonymo, in Rheinwaldii *allg. Repert.* ad m. Oct. 1841, p. 1 sqq.; — a Küchlero, in Tholuckii *lit. Anz.* 1842, p. 338 sqq.; — a Wilh. Klose, Chiloniensi, in *N. Jenaïsche allg. Lit. Z.* 1842, No. 185. Qui omnes universe commentarium laudârunt. Postremus tamen, quem dixi, Censor Paullinorum in eo desiderat cogitatorum explicationem. Ubi nollem Rückerti potissimum imitandum commendâsset exemplum.

vissimam aliquam fecimus mentionem; tertium, qui nuper demum sacras locupletavit Litteras, nondum memorare potuimus. Hos igitur si cum eo, de quo modo antea dixi, conferimus illius commentario, quamvis scholastici muneris negotiis implicatum, Sacri Cod. interpretandi peritiâ atque arte insignes eum fecisse progressus, indubiis passim probatum videmus indiciis ac documentis. Atque universe tam feliciter, nunc in gravissimo versatus est penso, ἵνα ἡ περικοπὴ αὐτοῦ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν. *Paulli* enim hoc ad Timotheum dictum (1) in Interpretem quodammodo licet accommodare, qui pluribus, quibus juvenilis ejus laborabat opera exegetica, vitiis et erroribus nunc laudabiliter eximendum sese curavit ac liberandum. Sanequam, ubi *Joannis Epistolarum*, quarum pluribus locis vera lectio atque interpretatio non sine difficiliore definitur inquisitione, criticam commentationem atque exegeticam 255 paginarum spatio eum absolvisse deprehendimus; non est amplius quod justo longiorem ac nimis extensam Sacris in Scriptis enarrandis eum consumsisse disputationem arguamus. Atque hîc igitur, secum ipso si Virum doctum comparaveris, non incertus erit judicii exitus.

Verum plures fuisse Criticos video qui cum Meyero, cujus pensa continuavit, Hutherum conferre mallent, quam secum ipso. Quorum agmen duxit G. E. Leo; qui, quum eodem, quo ille, anno *alteram ad Timotheum* Epistolam interpretaturus erat, *non eâ eum curâ atque dexteritate in Paulli verbis explicandis versatum esse* affirmat, *quâ* Meyerum *usum esse Viri docti lubenter largiantur* (2). Cujus sese consentire judicio ali-

---

(1) 1 *Timoth.* IV. 15.

(2) Vidd. illius *Prolegg.* (p. XXXVIII sqq.) libro praeposita: *Pauli Ep. altera ad Tim. Graece. Cum comment. perpetuo edidit* G. E. L.; Lips. 1850. Perspicuâ atque elegantiore hic ejus liber commendatur Latinitate. Verum paullo acerbiores mihi videntur, quas l. l. in Hutherum prodidit, animadversiones. — Et hujus et illius commentarium eodem complexus judicio, sobriae certaeque quaerendae interpretationi studuisse utrumque atque operam navâsse, vere affirmat Ewaldius. Cujus vidd. *Annales* laudd. III. 1850—1851, p. 252.

quamdiu post Censor aliquis professus est anonymus, a doctrinâ non imparatus (1). Ac similes quasdam querelas nuper repetiit, de comm. referens in *Petri* ac *Judae* Epistolas, Luthardtius, qui magnas quidem illius industriae laudes impertit, nec tamen ipsum ab eo nobis referri ac reponi Meyerum, se dolere significat (2).

Verum id quidem per rei naturam fieri non poterat, neque igitur requiri debebat. Neque enim unquam duo reperti sunt homines, ita plane eodem vultu atque eâdem totius corporis usi temperatione, ut inter utrumque nihil quicquam discriminis intercederet nec discrepantiae. Nec magis bini usquam exstiterunt scriptorum interpretes, quorum sic eadem essent ingenia ac veluti coaluissent animi, ut quodcunque hic, idem ille sentiret, cogitaret, vellet, judicaret. Quid, quod ejusmodi metamorphosis, si vel absurditate careret, ex interprete simium faciat, cui non tam id quaerendum sit, quid lectori significârit, quem enarrat, auctor, sed potius, quomodo hunc, in quo quum maxime versetur, locum explicaturus ille fuisset, a quo recedere nefas, dux et magister. Sed praesentem in rem veniamus. Sumitur, ni fallor, in eâ, quam attigi, reprehensione perfectae artis exemplum junioribus praeivisse Veteranum; cui consequens sit ut, si hi vel tantillum ab illius ratione ac consuetudine recesserint, nec plane eadem, quae illum dicturum fuisse probabile est, dixerint, eo minores sese demonstrent atque inferiores. Verum nemini magis, quam venerando Theologo Hanoverano, hanc displicituram esse consecutionem, ipsius nos confidere jubet modestia et sapientia. Atque ut candide quod sentio dicam, non tot, quot Meyerum, subtiles peperisse Hutherum atque acutas verborum interpretationes affirmanti facile crediderim Censori. Verum qualiscunque hic defectus insigni aliquo bono compensatur ac virtute, majore, quâ plerumque cernitur, perspicuitate

(1) Laudato in *theol. Literaturbl.* 1853, No. 146.

(2) Vid. copiosa illius ac lectu dignissima relatio, in laud. Reuteri *Repert.* ad m. Novembr. 1855, p. 89—127.

eâque imprimis facilitate, quae, sensum secuta, certe non spernens, communem, contortam refugit nec sine magnis partûs doloribus editam locorum enarrationem (1).

Verum a comparatione discedo, quam iniquiore hîc institutam esse ratione, supra etiam, de Lünemanno referens, *Epp. ad Thess.* interpretato, non dissimulandum putavi. Et principem operis Auctorem palmâ dignum existimo et strenuum utrumque illius Adjutorem. De *illo* enim nemo facile aequalium dubitavit. Ad Hutherum autem singulatim quod attinet; quum ejus *pastoralibus de Epp.* librum antea non immerito laudatum videram, tum plerasque *catholicas* in *Epp.* commentarii de meliore notâ mihi sese commendârunt, ubi proximo denuo hocce biennio cum Commilitonibus eas interpretatus sum. Quâ imprimis allectus opportunitate, non raro meis cum scidulis, olim paratis, nunc accuratius retractatis, illius vel criticas contuli vel exegeticas animadversiones. A quibus si non nunquam, ut assolet,

---

(1) Hisce cum monitis universe judicium convenire videbis, quod Hutheriani in *Epp. Petri et Judae* commentarii Censor, nomine L., reposuit laudato in *Literaturbl.*, 1853, N°. 21. Quem si audis, *pressius*, quam fecerat Meyerus, *ecclesiasticum servandum curavit characterem* Hutherus; quod tamen integro atque illibato factum sit disquisitionis candore. De neutrius equidem dubito candore; de illo, quem ambigue vocat, *charactere* in utramque partem disputari potest. — Festive autem atque ad Seculi liberalitatem scilicet indicandam apposite dicit idem, *alteram Petrinam* si quis germanam habuerit, Haereticum eum ab hodiernâ judicari Criticâ. Quam profecto *haeresin* non commisit Doctor Schwerinensis, qui non priori tempori, quam ineunti seculo secundo hanc tribuendam esse Epistolam opinatur. Ad quem vero refellendum non nulla *hicce* Censor, plura eaque acuta in eâ, quam proxime laudavi, relatione contulit Luthardtius. Quae omnibus legenda ac perpendenda commendo, qui illius, quam diximus, *haereseos* notam atque ignominiam non reformidant. In quibus meum profiteri nomen non vereor.

Breviore relatione hunc ipsum laudavit commentarium Niermeijerus, in Dresselhusii suoque *Mag. voor Krit. en Exeg. des N. T.* III. 4, p. 356 sqq. Cf. etiam Gunningii *Referens*, 1856, p. 31.

Ejusdem Hutheri *Joanneas in Epp.* commentarius memorato in *Literaturbl.* 1856, N°. 92, judicem invenit, qui a *grammaticâ* libri parte eum laudaret, ab historicâ ac dogmaticâ reprehenderet ac vituperaret.

mihi dissentiendum putavi; universe tamen boni, accurati, docti Interpretis ac Critici munere et officio laudabiliter eum functum esse, haud sine approbatione comperi.

Verum qualicuique huic de recentissimis, quibus Meyeri Enchiridion locupletatum est, symbolis relationi multum nimiumque ad integritatem deësset, si plane intactam Interpretationem relinqueret, quâ nuper *Epistolam ad Hebraeos* ornavit Lünemannus (1). Cujus libri titulo inspecto, Theologiae apud Goettingenses Professoribus extra ordinem adscriptum esse Virum doctissimum comperi, ac novo hoc laetatus sum honore, quem in eum Academia merito contulit *Georgia Augusta.* Quâ de re non Doctori solum, sed illustri etiam huic doctrinarum sedi gratulamur. Alia enim ne memorem, ante hos plures jam annos, *Paulli ad Philippenses Epistolam contra* F. C. Baurium strenue *defenderat* (2). Quo in penso, passim testantibus, qui de opusculo retulerunt, Viris eruditis, perspicue, accurate, eleganter ac subtiliter versatus erat (3). Ex quo vero tempore quantum ad doctrinae maturitatem ac copiam profecisset luculentum nobis testimonium edidit, de quo antea retuli, commentarius in *Epp. ad Thessall.* Cui quas impertivi laudes, eas *Epistolae ad Hebraeos* cum interpretatione magis etiam communicandas existimo. Ne enim de majore pensi difficultate dicam atque ambitu; eadem hicce liber habet, quibus superior ille cerneba-

---

(1) Singularem hanc inscriptionem liber habet: *Krit. exeg. Handb. üb. den Hebräerbrief von Dr.* Gottl. Lünemann, *a. o. Prof. der Theol. an der Univ. zu Gött.; ibid.* 1855.

(2) Pro *defenderat*, quod mea hîc oratio requirebat, si posueris *defendit* ac sustuleris v. *strenue*, ipsissimum fere titulum disputationis habebis, Goettingae a. 1847 editae.

(3) V. Brunsii et Häfneri *neues Repert.* ad m. August. 1847, p. 97 sqq.; — Guerikius, in Rudelbachii *suâque* Ephem.: *Zeitschr. f. d. lüth. Kirche*, 1848. 1, p. 156; — tum ipse Meyerus, comment. in *Ep. ad Philipp.*, Introitûs p. 5.

tur, bona ac virtutes. Ac solutiore etiam aliquâ nunc libertate usus Interpres, quos incipienti scopulos objiciebat debita fere Viri eximii, qui operi praeërat, imitatio, eos plerumque, vires acquirens eundo, feliciter evitavit.

Erunt fortasse non nulli, qui, post editum ante hos plures annos praestantissimum Frederici Bleekii commentarium (1), superfluam paene habeant atque *Iliadis post Homerum* instar Lünemanni hanc operam atque interpretationem. A quorum judicio pluribus me nominibus dissentire profiteor. Primum enim Theologi Bonnensis opus, quamvis magnis cumulatum justisque laudibus, neque omnibus parabile est neque omnium pariter usibus accommodatum. Nam quum satis magno venit pretio, tum plerisque in locis explicandis longiorem consumere solet disputationem, quam commode in frugem convertere ii possint sacrorum Antistites (quales quam multi!), qui, plurimis intenti distentique gravissimi muneris occupationibus, expeditissimum quodque ac paratissimum, quo ad pleniorem adjuventur totius Epistolae intelligentiam, adminiculum sibi quaerere debent atque *Enchiridion* (2). Quorum igitur studiis utilissimum fore confi-

---

(1) *Der Br. an die Hebr. erläutert durch Einl., Uebers. u. fortlaufenden Comm. von* Friedr. Bleek; *Berol.* 1828—1840. II Voll., III Ptt.

(2) Bleekii de libro et alii olim sua quisque judicia prodiderunt, et bini his ipsis a studiis in paucis nobilitati Censores, Davides Schulz, Wratislaviensis, ac Car. F. A. Fritzsche, primum Rostochiensis, postea Giessensis Acad. Professor; *ille* quidem in *Allg.* (*Hall.*) *L. Z.* ad a. 1829, N°. 105 et ad a. 1837, N°. 4; *hic* vero in *Allg. Jenaïsche L. Z.* ad m. Mart. 1843, N°. 58 sqq. Universe magnas uterque ei laudes impertit. Liberalius tamen *ille;* qui perennem Auctori honorem peperisse opus affirmat. Parcius *hic;* qui, pro inexorabili suâ severitate grammaticâ, non nullos illius locos arguit, quibus Kuinoelii vitiorum in memoriam revocemur. Iniquius profecto, quam verius. Uterque autem quum vastum esse ac diffusum librum dolet, tum Lachmanni a Criticâ, quam *Arithmeticam* non inepte vocat Fritzschius, saepe eum pendere affirmat. Atque *hic* alia etiam praeclaro in opere reprehendit, quae referre longum est. Verum, quo plenius libri bona cognoscantur ac virtutes, accurata conferenda erit relatio, in Rheinwaldii *allg. Repert.* ad m. Septembr. 1842, p. 193 sqq. Ubi

dimus lucidiorem hunc brevioremque Lünemanni librum. — Tum, postremis his annis, Bleekii post editum opus, de hâc singulatim Epistolâ multae proditae sunt subtilesque disputationes, quas *illum* breviter memorantem audire atque accurate judicantem operae pretium est. Tandem, quod minime est dissimulandum, non pauci sunt loci, quos melius, quam Theologus fecerat Bonnensis (cujus ipse merita atque officia modesto gratoque laudat animo), recentissimus expediisse videatur, de quo agimus, Interpres. Quod ut quodammodo certe comprobetur judicium, brevissimâ notatione pauca quaedam recensere juvat Auctoris dicta, quae *Cap.* XI et XII, pulcherrimo utroque ac gravissimo, consignata exstant.

Hebr. XI. 3. Paucos hodie sibi consentientes habiturum esse Bl. existimo, ubi *ῥῆμα Θεοῦ* de Dei *proprietate* sumit, quam ut *personam* informârit Auctor. *Illo* igitur recte refutato, potentissimum Dei creantis *jussum* intelligit Lünem.

Ejusd. Cap. sect. 6. *Haec nobis fides sit oportet ὅτι ἔστι.* Hocce *εἶναι* sic *παραφράζει* Bl., ut plerasque, quibus ad piam Supremi Numinis adorationem impellimur, Illius contineat virtutes. Quae vero circumlocutio enervat potius, si quid video, gravissimum dictum, quam illustrat. Quum praesertim *qualis* nobis sit Deus, proxima doceant: *καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν κ. τ. λ.* Quod, si ita verbi *εἶναι* potestas extendatur, elumbe aliquod sit additamentum, a quovis alio potius exspectandum illud, quam disertissimo ab Epistolae Auctore. Recte igitur et acute L., cui Bl. refutando praeiverat De-Wettius: »*Nihil aliud, nisi* esse, *indicat enuntiatum.*"

Ibidem, sect. 27. *Πίστει — Αἴγυπτον.* In duas veluti acies nobilissimos quosque hîc secedentes videmus Interpretes. Alii enim, quorum in numero multis cum recentioribus Bleekius, ad totum referunt *Israëlis populum*, duce Moïse, ex Aegypto profectum. Alii, plerosque Ecclesiae Patres secuti, solum ad

---

Bleekii inter et Tholuckii *Interpretationem* comparatio instituitur, utrique honorifica.

Moïsem, in tractum fugientem *Midianiticum*. Posteriorem autem hanc interpretationem ita tuetur Lün., et cum loco *Exod.* II. 14, quocum pugnare videri possit, in concordiam redigit, ut a plerisque ejus sententiam probatum iri confidam. Mihi certe eam probavit.

Cap. XII. 1. *Νέφος μαρτύρων*. Sine dubio, qui proximo Capite a *fide* erant celebrati, iidem hîc respiciuntur ac laudantur. Sed quaeritur quâ de caussâ aut cujus rei h. l. *μάρτυρες* audiant. Permulti, in quibus Bl., ideo hoc iis nomen tribui putant, quod pietatis certamini, cui committendo lectores obstringebat Epistola, *testes* adessent. Quae sententia num cum universâ N. T. hujusque singulatim Epistolae doctrinâ concinat, est quod dubites. Certe non video equidem, si illustrem aliquem certaminis illius testem Christianorum oculis repraesentare vellet Scriptor, quidni prae caeteris ipsum nuncupaverit *Christum*, cujus quum maxime ejus menti obversatam esse imaginem, quae proxime sequuntur luculenter ostendunt. Quocirca non possum non subtilem tibi perpendendam commendare Lünemanni disputationem, quâ ex hujus loci cum praecedentibus nexu et conjunctione *testes* hîc dici probare conatur, qui ipsi *τῇ πίστει testimonium edidissent*, id est, puto, suâ virtute de fidei praestantiâ veluti testati essent. Sed velim alterâ, si quae sit, editione paullo copiosius dicti sententiam exponat Interpres.

Ibidem, *sect.* 5. *Υἱέ μου*. Pron. *μοῦ*, paucorum auctoritate testium uncinis incluserat Bl.; plerique, in quibus Tisch., recte retinuerant; tam accuratâ autem disputatione defendit Lünem., ut quicquam adjicere nihil attineat. Atque universe, hujus potissimum Epistolae non paucis locis, in lectionum varietate judicandâ criticam demonstrat solertiam et subtilitatem. — Cujus rei novum mox nobis exemplum *sectio* 7 suppeditat. Ubi, Tischendorfii alteram editionem Lipsiensem (a. 1849) ac Bleekium recte secutus, prudenter vulgatam defendit lectionem *εἰ παιδείαν*.

Ibidem, *sect.* 14. *Μετὰ πάντων*. Quod hic commendatur officium, ad pacem ac concordiam, *cum Christianis* singulatim

colendam, alios non nullos secutus, restrinxerat Bl. Verum, hoc si sibi voluisset Auctor, exspectandum potius fuisse μετ' ἀλλήλων, vere monet Lün. Nec praecepti limitationem vel contexta commendat oratio, vel rei natura requirit, vel loci *Rom.* XII. 18, qui nostro huic commentarii fere instar est, collatio suadet.

Eo eoque solo consilio haec justae veraeque vel criseos vel interpretationis exempla, pauca ex multis, memoravimus, ut pro nostrâ caveretur virili parte, ne Lünemanni operam, iniquiore denuo cum aliorum libris institutâ comparatione, vel superfluam quis existimaret aut certe minus necessariam. Quo facto non ipsius solum laus interciperetur, sed, quod gravius, commentationis usus atque utilitas impediretur. Caeterum, quum *extraordinariam*, quam nuper Goettingensium in Academiâ suscepit, professionem supra ei gratulatus sim, facere non possum quin hoc nuncupem votum ut ita brevi Georgiae Augustae commodis prospiciatur, ut *ordinariis* illius in Theologis Virum collocent Moderatores, nostrâ de disciplinâ et olim et nunc optime meritum.

De Bleekiani autem commentarii praestantiâ nihil quicquam me detractum voluisse, non opus est monere. Quem potius tanti facio, quanti perpaucos aliorum hoc in genere libros. Atque, universe re spectatâ, *nondum illum superatum* esse, suae Interpretationis in praefatione affirmanti, plane consentio Lünemanno. Qui quum feliciter nunc utrumque, quod ipsi demandatum erat, absolverit pensum Meyerianum, spero fore ut suo tempore, Reichii Collegae alliorumque exemplo, *eâ, quae Eruditorum est*, *linguâ Latinâ*, tale aliquod doctrinae criticae atque exegeticae monumentum condendum curet, quale ab Epistolae *ad Philippenses* eleganti doctoque Vindice exspectare nobis licet (1).

---

(1) Post scripta jam ac typothetae tradita superiora, brevem aliquam de Lünemanni hocce comm. cognovi relationem, a rever. S. Hoekstra

B. f. proditam in Gunningii *Referente*, 1856, No. 18. Quae etiam ipsa valde honorifica recentissimo est Interpreti relatio. Etsi enim *incomparabilem* adeo Bleekii librum appellat, dignum tamen *illum* judicat qui proxime *huic* adjungatur. Quod autem plerisque in locis difficilioribus consentire monet utrumque; id cujusmodi sit ex iis, quae supra diximus, satis apparebit. Nec alii multi desiderantur Epistolae loci, ubi vel a *Bonnensi* Theologo diversus abeat *Goettingensis*, vel recte ab eo dicta accuratius confirmet ac luculentius.

BREVIORES

DE LIBRIS RELATIONES.

De De-Wettiani *in Nov. Test.* commentarii (1) *Partibus, mortuo Auctore denuo editis, brevissima relatio.*

De notissimi hujus commentarii quum virtutibus tum vitiis ita supra diximus, ut et aliorum proderetur et nostrum qualecunque judicium (2). Item editiones, quibus pleraeque ejus Partes vel iterum vel ter vel quater adeo frequentatae essent, brevi notavimus tabellâ. Nec ullas nunc a me ipso dissentiendi caussas video nec a sententiâ, quam olim lectori judicandam tradidi, discedendi. Verum breviore, quam post defunctum Auctorem exspectaveram, temporis intervallo factum est ut valde manca redderetur nec nisi inchoata appareret editionum illa notatio. Proximo enim hocce quadriennio tres deinceps operis Partes, novis aliorum curis expolitae, prodierunt; una, nullum habens, nisi praefationis, supplementum (3). Quae quum ita

(1) De Wette, *kurzgef. exeg. Handb.* — Operis singulae Partes XIII, singulis etiam distinctae titulis, librariorum in tabernis venales prostant.

(2) *Chartt.* L. I. p. 140 sqq.

(3) Sic igitur, temporis, quo non nullae denuo sunt editae Ptt., ratione habitâ, continuanda est ac supplenda, quam loco allato exhibuimus, editionum tabella.

Tom. I. P. III, in Joann. Euang. et Epp., ed. quarta, cur. B. B. Brückner, 1852.

— — III. — I, — epp. Petri, Judae, Jac., ed. secunda, cur. eodem, 1853.

sint, hanc certe nostrâ culpâ mutilam non relinquamus atque ἄποδα, sive caudâ carentem, relationem. *Nostrâ culpâ mutilam*, inquam: neque enim meam argues, Lector aequissime! socordiam, si forte, anteaquam nostra haec cognoscere potueris monita, libri, multorum studio quaesiti, alias denuo Partes novis repetitas esse comperies editionibus. Verum in rem praesentem veniamus; et, quod nunc facere possumus, id quam brevissime faciamus; quo facilius certiusque de iis, quae vel tibi emenda putes, vel librariorum in tabernis relinquenda, tuo judicare possis commodo et arbitratu.

Hinc igitur ut ordiamur, post De-Wettii, a. 1849 defuncti, abitum ipso fere triennio, illius *in Euangelium Joannis atque Epistolas* commentarium quartâ editione repetendum curavit Benno Bruno Brückner, qui tunc sacrorum apud Hohburgenses Antistes erat, postea, Theologiae Professoribus adscriptus Lipsiensibus, doctrinae debitum tulit honorem. Quarta haec libri editio quod *valde auctam* sese profitetur; quo quisque accuratius cum proxime antegressâ tertiâ eam contulerit, eo certius de professionis veritate persuasum sibi habebit. Primum enim non nulla sunt adjecta monita, non magni tamen illa, ut videtur, momenti, quibus adscriptis suum ipse exemplum auxerat De-Wettius. Sed longe graviora sunt latiusque patent quae Editoris curae debemus atque eruditioni. Quâ in re, pro eorum, quae addenda putabat, diversitate, diversâ viâ usus est ac ratione. Quae enim id tantum agebant supplementa, ut de iis referretur, quibus, post editum imprimis ab Auctore opus, Joanneis hisce scriptis Critici prodesse conati erant atque Interpretes; haec igitur ita illius vel interseruit orationi vel adjecit, ut nullâ ab iis

---

Tom. III. P. II, in Apocalypsin, ed. secunda, cum praef. Lückii, 1854, non aucto textu.
—— II. — II, -- epp. ad Corinthios, ed. tertia, cur. H. Messner, 1855.

Joannis Euang. et epp. ed. Brückneriana brevissime jam l. l. est memorata.

disertâ notâ distinguerentur. Ubi igitur caute lectori videndum est ne, quae Brückneri sunt, De-Wettio ea tribuenda putet. Verum longe plures erant loci, ubi suum ipse judicium interponendum existimaret Editor, illius a sententiâ non raro plane recedens eique repugnans. Quae utriusque placitorum dissensio quum alias apparet, tum ubi, criticis atque historicis in rebus, suo pro more *Scepticum* egerat Auctor, nec vero suas Editori probaverat varii generis conjecturas ac dubitationes (1). Hic igitur, ubicunque illius dicta suo vel comprobare volebat vel refutare judicio atque argumentis, uncis inclusam, primâ sui nominis appositâ littera B., a caeteris sejungendam curavit ac distinguendam annotationem.

Eâdem plane ratione atque eâdem, nisi majore etiam, industriâ ac diligentiâ alterum peregit pensum, ubi, proximo deinceps anno 1853, De-Wettiani in *utramque Petrinam*, item in *Judae* ac *Jacobi* Epistolam commentarii *secundam* curavit editionem. Verum hunc imprimis librum tot ac tam amplis suo ex fonte haustis adauxit supplementis, ut num *idem*, qui fuerat, dicendus esset, dubitare posses, atque ut subinde tanquam *rarae nantes in gurgite vasto*, brevissimae ut plurimum, apparerent principis Auctoris animadversiones. Quod quam vere a me dictum sit, vel ex rudiore hâc utriusque editionis elucebit paginarum comparatione. *Prior* 156, *altera*, eâdem manente conformatione typographicâ, 255 habet paginas. *Introitus* singulatim *priorem* in *Petrinam*,

---

(1) Unus instar multorum nobis locus sit *Joann.* II. 19—22. Ubi, dissentiente quamvis D. W., recte Christi verba interpretatum esse *Joannem* conclusâ demonstrat argumentatione. Vid. ejus annot. p. 50, 51. — Verum hae etiam Brückneri perpendantur, Theologum Basileënsem refellentis, disputationes. Pag. 4 sqq., ubi de τῷ *Λόγῳ* agitur; — p. 66 sq., ubi colloquio, quod cum *Nicodemo* Christus fecerat, vere historica vindicatur indoles et character; — p. 172, ubi veri nominis miraculo sanatum esse a Christo demonstrat hominem, a natalibus inde captum oculis. Nec negligenda illius sunt monita, quibus multa, quae in *Introitu* ad Joannis Euang. et primam Ep. dixerat D. W., vel supplenda curat vel refutanda. — Sed pauca haec ex multis. Neque enim frustra plura quaesiturum esse lectorem confido.

qui *illic* tribus fere continebatur paginis, *hîc* ejusdem modi 26 implet; — in *alteram Petrinam illic* duas, *hîc* 25 habet pagg.; — in *Jacobum illic* denuo duas, hîc quatuordecim. Et sic in caeteris. Atque, in isagogicis certe hisce disquisitionibus, longe saepius ad refellendas De-Wettii sententias Brückneri pertinent disquisitiones, quam ad confirmandas.

Jam quaeri potest, de hoc illius instituto, eâ, quâ diximus, ratione vel supplentis De-Wettium vel refingentis, quale nobis ferendum sit judicium. Nec mirum sane est Viros fuisse doctos, qui alieno in opere tantum sibi sumere illicitum putarent, aut certe defuncto cum Auctore, qui suum non amplius tueri possit librum, minus pulcre te agere, ita si eum repetieris, ut quae dixerat iterum iterumque per interspersas vel adspersas enervare ac refutare studeas objectiones (1). — Verumtamen, Hilgenfeldii judicium ne denuo memorem, Editori honorificum (2), Lückium haec res offendisse non videtur, Virum in paucis candidum eundemque De-Wettii et, quamdiu vivebat, Amicum integerrimum et, posteaquam abierat, laudatorem propensissimum. Hic enim, De-Wettii commentario *in Apocalypsin*, iterum edendo, praefatus, valde sese dolere profitetur, quod non possit huic ipsi etiam Enchiridii Parti eandem, quam aliis, peritam adhibere manum Brücknerus, operi vere proficientem illam (3). Nec enim quemquam facile repertum iri, qui ad retractandum illud ac continuandum magis sit idoneus. Quo in judicio nullos non sibi assensuros esse confidit exegeticae doctrinae studiosos. Assentientem certe sibi Vir eximius Ewaldium habuit, non nimis facilem sane judicem. Hic enim multa recte supplevisse testatur et emendâsse Brücknerum; ac quaestiones generales,

---

(1) Brückneri rationem improbat Messnerus, praef. editi a se comm. De-Wettiani in *Epp. ad Corinthios*, de quo mox, p. VIII. Cui consentit L. W. E. Rauwenhoff, in Gunningii *Refer.* 1856, p. 35.

(2) Vid. supra, I. 141.

(3) Germ. *Seine kunstreiche und wahrhaft fördernde Hand.*

quas intactas fere reliquisset De-Wettius, suo eum nec alieno stantem judicio copiose excutiendas curâsse (1).

Post haec audita tam praestantium judicia Duumvirorum, quin in utroque Theologi Basileënsis libro retractando scienter, accurate ac docte versatus sit Editor, neminem facile dubitaturum esse existimo. Habet sane incommodi quid conjuncta illa ac conflata binorum opera Criticorum atque Interpretum. Nec sine gravi equidem caussâ sic alienum opus meâ obruere audeam disputatione ac refutatione. Verum de *jure* Praetor respondeat aut caussarum Patronus. Id unum affirmare non vereor, longe majore cum doctrinae fructu ac minore errandi cum periculo Brücknerianas te consulturum esse, quam superiores, utriusque commentarii editiones. Quae De-Wettiana omnia ita reponunt, ut, gravissimis quibusque locis, ea vel confirmata reperias vel refutata.

De repetitâ a. 1854 commentarii in *Apocalypsin* editione non est quod multa dicam (2). Solum enim auctarium habet, sed egregium illud, Lückii praefationem. Ubi et de Hengstenbergio atque Ebrardo dicit, recentissimis libri interpretibus, et totius imprimis operis De-Wettiani dotes accurate laudat ac praestantiam, leviter ac modeste defectus attingit. »*Amici* »*hoc judicium est;*" inquit, »*sed qui germanus est Amicus*, *hic*

(1) Sic, de comm. in *Petrinas* aliasque epp. iterum edito referens, Ewaldius, memoratis in *Annall.* V. 1852—1853, p. 279 sq.

(2) Supra, loco allato, ipsius De-Wettii ex praefatione memorabilia non nulla reposui. Nunc vero, hoc relegens illius veluti testamentum, atque eorum recordatus, quae nostra nuperrime commendata audiit Patria, commentorum, facere non possum quin hoc etiam Auctoris adscribam, Seculi impietatem aegre ferentis, dictum, non minore omnium attentione dignum: »*Auf den Rath derer, welche auf der Höhe der Zeitbildung zu stehen vorgeben* »*und dafür gelten*, *soll der Staat sich des christlichen Princips entschlagen und* »*sich auf den Boden der Gleichgültigkeit*, *wo nicht gar des Atheismus*, *stellen:* »*welch ein Fortschritt zu einer neuen*, *noch nie dagewesenen Barbarei!*" — Sic ille. Qui quam detestatur *Civitatem Atheam*, utinam nunquam eam condere contingat *Nederlandiae* Novatoribus!

»*etiam ipse a partium studiis alieno judicare potest animo.*" — Quod profecto, quo magis, animi candore atque integritate, Lückium nobis aliqui retulerit, eo verius de eo praedicari poterit. Mihi quidem, etsi, nec de De-Wettio nec vero de Ebrardo, optimo cum Viro plane consentienti, vario tamen nomine lecta haecce placuit ac relecta illius praefatio.

Restat ut pauca de Hermanno Messner dicamus, Academiae modo antea Goettingensis, nunc Berolinensis (1), Doctore privato. Quo curante, a. 1855, *tertium* est edita De-Wettiana *utriusque ad Corinthios Epistolae* interpretatio. Cujus pensi suscipiendi suasore usus est ac monitore eo, quem modo nominavi, Lückio. Cui, quamdiu viveret, quantopere curae cordique Basileënsis esset Amici commentarius, quum nobis testis est Messnerus, tum comprobat, quem memoravimus, *Apocalypseos* prologus. Lückii igitur, praefationis initio, pie salutatis manibus, quale sibi libro repetendo consilium proposuerit, accurate deinceps exponit. Bruckneri enim, quod descripsimus, institutum quum videret quam gravibus premeretur difficultatibus, illius quidem exemplo, quae pauca repererat, inseruit Auctoris annotata manuscripta; caeterum arctiores hîc sibi limites ponendos esse existimavit. De criticis igitur atque exegeticis, quae in censum veniebant, quaestionibus suâ vix unquam interpositâ ac proditâ sententiâ, sic Auctoris quasi vicarium agere maluit, ut, quod ipsum, si viveret, facturum fuisse probabile erat, id illius loco praestaret Editor. Quo sibi proposito consilio, plerumque operis solam, quam vulgo eximie vocant, *annotationem litterariam* sive *Litteraturam*, supplendam sumsit ac locupletandam. Ubi, non unice quidem, sed maxime tamen id egit ut de iis, quae, post iterum editum commentarium, ad has illu-

---

(1) Goettingâ Berolinum abitum se parare, nuper significavit Vir doctus, operi praefatus a se edendo: *Die Lehre der Apostel dargestellt;* Lips. 1856. 421 pp. — Moderate scriptum hunc librum, qui a Neandri mente non longe recedere videtur, nondum, ut par erat, legere potui.

strandas Epistolas contulerant Viri docti, lectores edoceret. Quaecunque autem hoc in genere adjicienda putabat, uncis ea includenda curavit, atque ita ab iis, quae dixerat Auctor, accurate ac perspicue sejungenda.

Ecce igitur retractati hujus libri consilium, quod se secutum esse modeste profitetur Messnerus. In quo exsequendo consilio quum diligentiam lectoribus probaverit et prudentiam et eruditionem minime vulgarem; fore speramus ut, non Bruckneri solum, sed item Messneri laudabilem per operam Theologi Basileënsis ex commentariis uberiores etiam, quam antea, fructus multi capiant doctrinae sacrae studiosi!

Clavis Librorum Veteris Testamenti apocryphorum philologica. Auctore Christ. Abrah. Wahl, *Philos. et Theol. Doct.; Lips.* 1853. F. 8vae maximae pp. 510, in binas singulae columnas distributae.

De suppositis *Novi* Test. Euangg. quae supra diximus, in memoriam ea nobis *Veteris* Test. revocârunt Apocrypha. De quibus igitur, antequam de *Clavis*, cujus inscriptionem reposui, Auctore ipsoque hoc ejus opere brevissime referam, pauca quaedam historice praemonere juvat. Ubi tamen, quum antiquiora passim alibi narrata exstent (1), recentissima solum leviter attingam. — Nullum facile Christi Societati tempus fuit, quo tantâ,

(1) Brevi conspectu antiquiora illa informata reperies Bleekii lectu dignissimâ in commentatione, quam postmodum accuratius laudabimus.

quantâ proximis hisce annis factum esse novimus, acerbitate ac pertinaciâ, inter ejusdem potissimum formulae Christianos, de eorum, quos dixi, librorum pretio, dignitate, legitimo usu atque honore ecclesiastico disceptaretur, quin potius dicam, litigaretur. — *Biblicae*, quae dicuntur, *Societates*, *aliae* quidem Vet. Test. tabulis Apocrypha aggregabant, *aliae* vero haud sine indignatione illarum hoc improbabant institutum. Quarum igitur Societatum ex dissensione litium origo repetenda videtur, quae, ante hos triginta tres et quod excurrit annos (a. fere 1823), in *Scotiâ* exarserunt. Unde in Europae continentem perlatae ac disseminatae, in Germaniâ imprimis multorum apud Protestantes Theologorum animos incenderunt. Ibi enim Veteris Testamenti Apocryphis (nam de his tantum nunc agimus) *Sacro* in *Codice* locum omnino vindicandum esse aut reddendum, *alii* studiose affirmârunt, *alii* non minus acriter negârunt. Eorum in patronis censendi sunt Stierius (1), Hengstenbergius (2), Bleekius (3), Böhmerus (4), Rudelbachius (5). Quos tamen, diversâ admodum ratione caussam agentes, eodem loco habere iniquum sit. *Alii* enim, in quibus Bleekius est et Böhmerus, a moderatione sunt laudandi. *Alii* acerrimos sese

---

(1) Vid. Rud. Stier, *die Apocryphen. Vertheidigung ihres — Anschlusses an die Bibel; Brunsvic.* 1853. 148 pp. Ejus vehementiam reprehendit Ewaldius, laudatis in *Annall.* V. 1852—1853, p. 306 sqq.

(2) Vid. illius *Evang. K. Z.* 1853, No. 54 sqq. Ubi de recentissimâ harum litium historiâ memorabilia tradita exstant.

(3) Vid. Fred. Bleek, *Abhandl. üb. die Stellung der Apokryphen des A. T. im Christl. Kanon*; in *theol. Stud. u. Kritiken*, 1853. 2, p. 267 sqq. — Adversus eum non allatos esse nec laudatos in N. T. Apocryphorum locos, probare conatur J. Riggenbach, Prof. p. o. Basileënsis, *eâdem in Ephem.* 1855. 3, p. 588 sqq.

(4) V. Wilh. Böhmer, in *Literaturbl. z. A. K. Z.* 1856, No. 30. Qui breviter contra Keerlium, cujus mox memorabo libellos, Apocrypha tuetur.

(5) In editâ *a se* et Guerikio Ephem. *Zeitschr. f. d. ges. Lüth. Theol. u. Kirche*, XVI. 1855. 1, p. 137. Ubi valde laudantur memorata Stierii et Hengstenbergii commentariola.

praebent Apocryphorum vindices. In quibus Stierius est; qui a nullo non Novi Test. Scriptore ea lecta esse contendit et imitatione expressa, eosque, qui ea ejecta volunt, vehementer vituperat. Cui assentiens Hengstenbergius, haec qui repudiet scripta, *fidem* repudiare asseverat, sanctae Christi Ecclesiae habendam. Quid, quod Strauszii, Feuerbachii ac Br. Baueri adjutores eosdem illos appellare non veretur Rathusius (1).

Sed non minore vel animorum contentione vel disputationis acumine Sacro ex Codice *ejicienda* statuunt Apocrypha, vel in perpetuum *excludenda*, Keerlius (2), Krauszoldius (3), Wildius (4), Krummacherus (5) aliique. — Prius, quod hâcce de quaestione Keerlius edidit, scriptum ab *Interioris*, quae in Germaniâ audit, *Missionis* Moderatoribus Badensibus honorifico ornatum est praemio. Et hanc et, quam postea sub-

(1) Ejus libellum memoratum videbis ab Anonymo R. in *Literaturbl.* 1854, N°. 93; ubi censetur et valde laudatur Wildii comment., de quâ mox.

(2) Phil. Fred. Keerl, Hohensachseniae sacrorum Antistes ac Decanus, bina certe edidit, quae hanc caussam agunt, scripta. Alterum dicitur: *Die Apokryphen des A. T. Ein Zeugnisz wider dieselben auf Grund des Wortes Gottes; Lips.* 1852. 200 pp. — Alterum: *Die Apokryphenfrage, mit Berücksichtigung der darauf bezüglichen Schriften Dr.* Stier's *u. Dr.* Hengstenberg's, *auf's neue beleuchtet. Mit einem Anhang: Philo im N. T.; ibidem;* 1855. 348 pp. — De utrâque commentatione aequum videatur Böhmeri l. l. judicium. Posteriorem, quam *plane nihili esse* Stierius arguerat, accurate excerpit laudatque Vir doctus, memorato in *Literaturbl.* 1856, N°. 46. Item facit *ibidem*, N°. 87—90, B. Baehring.

(3) *Zwei Episteln üb. die Apocryphen; Fürthae*, 1851. De hisce Krauszoldii, Consiliarii consist., epistolis et de universâ quaestione lectu digna retulit Goebelius, in Ephem.: *Neue reform. K. Zeit.* ad m. August. 1854, No. 33 sq. Quem tamen, a lenitate etiam et mansuetudine, Wildii scriptum, de quo mox, laudare miratus sum.

(4) Dicitur ejus libellus: *Er ist ein Bann unter Dir, Israël. Ein Wort gegen den üblichen Gebrauch — der Apokryphen in der Ev. Kirche. Von* F. K. Wild, *Ev. Lüth. Pfarrer; Nördling.* 1854.

(5) Vid. E. W. Krummacher, in Krafftii et Goebelii *Monatsschrift*, ad m. Aug. 1854, p. 49 sqq.

jecit, alteram commentationem ab eruditionis copiâ et a fervido Sacri Codicis honorem tuendi studio laudant moderatiores; iniquitatem vero reprehendunt, quâ nullo non vituperio Apocrypha proscindit Auctor. — Keerlium acerbâ illorum criminatione superare etiam velle videtur Wildius; qui ipsâ libelli inscriptione sacrum illorum usum pro *piaculo* sese habere profitetur, quod Ecclesiam inquinet Deique ei poenas contrahat. — Krummacheri *theses*, quas vocavit, *anti-apocryphicae* recensendis sibi placent et amplificandis scriptorum, quae ex C. S. exclusa vult, erroribus ac vitiis. Quod invidiosius non raro, quam verius, eum agere, quo potissimum consilio scripserit attendentes, non mirabimur.

Hujus, quam dicere licet, Vet. Testamenti Appendicis, plures alii memorari potuerant, quorum nuper apud Germanos edita sint scripta, vel patroni vel adversarii (1). Verum quae narravi, cum eorum, quos subjectâ in annotatione laudavi, libellis ac relationibus collata, quaestionem nos attigisse satis superque docebunt, de quâ recentissimo hoc tempore, tanquam pro aris ac focis, sit dimicatum. Tristis sane accidat oportet *Irenicis*, in quibus meum profiteor nomen, Theologis tanta haec litium, *Fratres* inter actarum, vehementia. Est tamen omnino laetandum divinitus periculum esse depulsum, quod, litium sub initio, Vicinorum nostrorum Ecclesiae minitari videbatur, ne nova hinc incrementa caperent *Lutheranorum* discidia ac *Reformatorum*. In adversâ enim utrâque secum invicem concertantium acie castrisque et *horum* et *illorum* et *coactae ex utrisque* Borussicae Ecclesiae sociorum non paucos promiscue stantes videmus ac depugnantes. Verum eorum certe probanda non est iniquitas, qui omnia vel pleraque Vet. Testamenti Apocrypha eodem complexi sunt vel honorifico judicio vel ignominioso; quasi e. g. quae

(1) In quibus Ebrardus certe numerandus fuerat, cujus commentariolum (*Zeugnisse gegen die Apocryphen*), *Basil.* 1851, seorsum editum est ex Eph. *Reform. K. Z.*

Judithae in libello reprehenduntur, ea *primo Maccabaeorum* etiam aut *Jesu Siracidis* libro sint objicienda. — Utinam vero, a paucis laudata, omnibus, qui hâc de caussâ suffragia tulerunt, Theologis *moderata consilia* placuissent, quae olim *Confessionis* nostrae *Nederlandicae* Auctores praeiverunt iisque consentientes *Patres Dordraceni!* Et *illorum* enim et *horum* prudenti judicio, non temere contemnendi sunt hi libri nec a Christianis negligendi, nec tamen canonicis V. T. scriptis aequiparandi (1).

Verum ne in acrioribus quidem Apocryphorum vituperatoribus quisquam facile fuerit, qui vel Theologis ea cognoscenda esse neget, vel ad accuratam illorum cognitionem a brevioris alicujus *Lexici* usu nullum iis sperandum esse fructum contendat. Cujusmodi autem subsidio nos adhuc caruisse nemo nescit paullo peritior. Schleusneri quidem exstabat *Novus Thesaurus phil. crit., sive Lexicon in* LXX *et reliquos Intpp. Graecos ac Scriptores apocryphos V. T.* (2). Neque eos equidem laudabo, qui Schleusnero, cujus opera multis profuit, contemnendo nescio quam eruditionis ac subtilitatis grammaticae sibi quaerunt gloriolam. Sed Virum nostrâ de disciplinâ bene meritum plena, quâ nos hodie utimur, Philologiae sacrae lux collustrare non potuit. Ac, si vel potuisset, nonne tamen illius, quod diximus, opus, *Alexandrinos* simul complexum *V. T. Interpretes* adeoque *quinque* constans *Voluminibus*, ne mole suâ et amplitudine Apocryphorum lectorem a quotidiano deterreret usu verendum erat? — Quae quum ita essent, utilissimo profecto instituto, longe breviore paratâ atque editâ, quae solis his tribueretur libris, *Clavi*, eorum intelligentiam facilitavit Wahlius. De cujus ipsius fatis

(1) A moderatione mihi commendari videntur atque a sapientiâ, quae Apocryphorum de usu et auctoritate, *art.* 6, *fidei Confessio* statuit *Nederlandica*. Cui *Synodus* assensit *Dordr.* Cf. Brandt, *Hist. der Reformatie*, Tom. III. p. 49 sq.

(2) Lips. 1820 sq.

pauca haec, si forte ignores, teneas velim. Quamvis magnâ floreret eruditionis famâ, nulla tamen unquam, quantum novimus, eum sibi vindicare conata est cathedra academica. Donec enim, non diu ante mortem, rude donaretur grandaevus, *Koetzschenbrodensi* in pago prope Dresdam sacrorum fuit Antistes idemque *Saxoniae Regi a consiliis consistorialibus, ecclesiasticis ac scholasticis.* Biennio autem et quod excurrebat post absolutam hanc atque editam *Clavem*, d. 30 Novembris a. 1855, vitae annum agens octuagesimum et tertium, fato functus est (1).

Ultimum igitur hunc nobis oblatum videmus vitae senilis fructum. Et quis non Senis indefessam mecum admirabitur constantiam qui, id aetatis agens, post tot exanclata munerum negotia, novum *Lexici* scribendi pensum aggredi ac perficere non dubitaret atque illud adeo strenue perferret onus, cujus molestiae ac taedio nullum non praeferendum esse laborem magnus ille putaverat olim Scaliger?

Atque ad ejusmodi nobis parandum Apocrypha facilius intelligendi subsidium, quod et a brevitate commendaretur et hodiernâ Litterarum luce collustratum esset, in paucis aptum fuisse atque idoneum Wahlium, inter omnes constabit, qui *Clavis Novi Testamenti*, quam illius industriae debemus ac doctrinae, quae praestantia sit perpenderint. Cujus quidem operis priore utrâque in editione non nulla erant, e. g. nimis diffusa quaedam orationis particularum tractatio, quae minus commodum illius usum redderent. Nec alia quaedam reprehendendi materia Criticis deërat. Sed qualiacunque haec vitia ac defectus jam ab initio magna bona compensabant ac virtutes, philologica imprimis diligentia atque accuratio (2). Verum tertiam prae caeteris operis

---

(1) L. Peltium hîc secutus sum, relationis de hoc ipso libro in fronte, Auctorem in memoriam nobis revocantem. Vid. Reuteri *allg. Repert.* m. Mart. 1856, p. 208 sqq.

(2) Prae caeteris dignus est quem hîc consulamus Chr. Fr. Fritzsche, qui, accuratâ doctâque collatione institutâ ac censurâ, Bretschneideri *Lexic. in N. T.* ac Wahlii *Clavem N. T.*, utriusque ex alterâ editione, formâ octavâ, eo comparat exitu ut et hujus et illius bona recenseat ac de-

editionem, quae, uno quartae formae majoris Volumine comprehensa, a. 1843 emissa est (1), de meliore notâ Commilitonibus commendare soleo; quippe quae, iis, quibus carere poteramus, circumcisis, alia contraxerit, alia nec pauca illa emendaverit. Atque hoc igitur opere iterum iterumque retractato, et eas, quibuscum Lexicographo colluctandum est, difficultates feliciter superare didicerat, et cum recentiore eâque hebraizante Graecitate cum iisque, quibus plenius cognoscitur, varii generis subsidiis intimam contraxerat notitiam ac familiaritatem.

Sic igitur ad novum hoc pensum feliciter aggrediendum optime praeparatus, » *eandem,*" inquit, » *quam ante in Clavi N. T. philol.* » *operam collocaveram, ad libros V. T. apocryphos transtuli, ita* » *ut omne, quo, per annos circiter viginti et quinque, per munerum* » *publicorum mihi demandatorum rationes, frui licuit otio, in* » *tractandis et cognoscendis illis consumerem.*" Haec ipse, in brevi illâ, quae posteriori demum operis Parti praeposita comparuit, praefatione Vir modestus. Etenim non tam sponte suâ se rem aggressum esse affirmat, quam invitantibus ac suadentibus God. Hermanno, Fritzschio, Giessensi, Dav. Schulzio, Winero. Nec vero, multorum arrogantiam imitatus aequalium, eorum, qui ante ipsum eâdem desudârant in palaestrâ, fastidiose contemnit operam. Nam Bielium quidem non memorat; sed diserte Schleusneri diligentiam laudat atque assiduitatem; cujus sibi omnium, quae in censum veniebant, vocabulorum indicem paranti, non defuerit auxilium. Omnia quum sibi complectenda putaret V. T. Apocrypha, ne *Estherae* quidem *Addi-*

---

fectus. Vid. omnino *allgem.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* ad a. 1830, N°. 82, et ad a. 1831 m. Majum (Erg. Bl. p. 321 sqq.).

(1) Hanc anni 1843 editionem diserte *tertiam* appellat, in Cl. *Apocr.* praefatione, ipse Wahlius. Sed tamen, si ab illâ discesseris et a binis, quae praegressae erant, octavae formae editionibus, *minor* exstat *editio*, quae *usibus scholarum et juvenum accommodata* dicitur; Lips. 1831. Pp. 343 f. 4tâ. De quâ vid. *A.* (*Hall.*) *Lit. Zeit.* 1834, N°. 64 (Erg. Bl.); item *Goett. Gel. Anz.* 1831, N°. 154.

tamenta neglexit nec eum, qui satis inepte vocatur, *quartum librum Maccabaeorum.* Ex quibus igitur omnibus hâcce in commentandâ Clavi singularem ab Auctore collocatam esse industriam apparet ac constantiam. Ac tantae huic, senilium quidem, sed longo probatarum usu virium nervorumque contentioni felicissimus operis exitus respondit ac successus. Quas enim Wahlianae *Novi Testamenti Clavi* supra tribuimus laudes, eas cum recentissimo hoc illius eodem in genere libro communicare non dubitamus.

Universe valde honorifica nobis assentiunt judicia, quae de hâcce singulatim *Apocryphorum* Clavi hujusmodi librorum ferre cognovimus Censores. In quibus bini singulatim memorandi sunt Viri celebrati, Ewaldius ac Peltius (1). Quorum tamen uterque, contrariâ quodammodo viâ, magnas temperat, quibus opus ornandum putârat, laudes. *Alter* enim inopiam quandam ei objicit et defectum. *Alterum* si audis, superflui quid habet, quo carere possis, argumenti. Ewaldio quidem judice, difficilioribus in illustrandis Apocryphorum locis major Auctori fuerat opera collocanda. Sed facilis, si quid video, atque in promtu posita huic fuisset, si viveret, responsio. Id vero si egissem, (sic dicentem eum audire mihi videor) ut, nisi omnia, pleraque certe, quae in tot diversi generis atque aetatis libris difficilia exstant atque impedita, quantumvis breviter expedirem; vastum aliquod atque ingens mihi condendum fuisset Promtuarium, Schleusneri *Thesaurum* Voluminum numero superans illud, atque ad consilium, quod brevioris hujus Clavis commentationi proposueram, assequendum nequaquam accommodatum.

(1) *Illius* brevior vid. relatio memoratis in *Ann.* 1852—1853, V. 221; — hujus copiosior censura in Reuteri *Repertor.* ad m. Mart. 1856, l. l. Ab ἀκριβείᾳ philologicâ Wahlium laudat uterque. Peltius caeteris adeo illius eodem in genere operibus Apocryphorum hanc Clavem praeferendam existimat. Valde honorificum conferri potest judicium memor. in *Literaturbl.* 1854, N°. 98.

Contra non defectu, sed abundantiâ potius aliquâ librum laborare Peltius existimat. Cujus quidem de sententiâ, quae in *generali* solum vel *universae* l. Gr. vel *Hellenisticae* singulatim aut in eo, quod *Reale* vocant, Lexico justum habeant locum, ea nunc, prudentiore, quam alias fecerat, delectu instituto, recte sibi circumcidenda curavit Wahlius. Sed, eodem tamen judice Viro clarissimo, arctiores ejusmodi limites Clavi ponere praestiterat, ut iis, quae in nullo non Lexico Graeco tractantur, exclusis, de nominibus imprimis et praepositionibus aliisque de orationis particulis non alia, nisi quae his priva propriaque essent Apocryphis, breviter traderentur. Verum videat, cujus magni facio judicium, Censor ne, hocce dato consilio, tironi certe, hos accurate intelligere cupienti libros, tria alternatim adeundi Lexica necessitatem imponat, quorum primum *universam*, alterum *seriorem* complectatur Graecitatem, tertium *Apocrypha* singulatim persequatur. Hoc quidem lectorem spectat. Sed ipsi etiam Lexicographo novum hinc ac longe difficillimum nasceretur officium, anteaquam opus aggrederetur, inquirendi ac definiendi quae nomina sint ac verba aliaeque orationes partes, quae nusquam alibi, nusquam certe eodem, quo hîc, usu scripta exstarent. Quâ profecto de re nemo quisquam, nisi qui omnia plane, quae aevum tulerunt, accurate legisset atque excerpsisset Graecorum scripta, certum ferre posset judicium.

Verum alias memorare nihil attinet, cujus ejusmodi premeretur institutum, difficultates. Nam et praeclari, quos memoravi, Duumviri et alii, qui his de rebus judicare possunt, arbitri magnâ concordiâ de meliore notâ perenne hoc doctrinae Wahlianae monumentum commendandum existimant. Cujus profecto, quamvis non nulla habeat humanae tenuitatis indicia, ea est utilitas ac praestantia, ut nulli dubitemus quin diu multis superfuturum sit, qui nuper *Apocrypha* vel laudârunt vel vituperârunt, libellis ac disputationibus.

DISPUTATIONES, MONITA, QUAESTIONES.

DISPUTATIO ALTERA,

DE DEFUNCTORUM PROXIMIS ANNIS GERMANIAE THEOLOGORUM VEL CELEBRATÂ VEL NEGLECTÂ MEMORIÂ.

Primo harum *Chartarum* Libro de non nullis diximus, qui proximo hocce decennio terrestri ex vitâ migrârant, Germaniae Theologis de eorumque vel passim laudatis meritis vel neglecto a plerisque nomine. Quod, age, pensum inchoatum ita nunc persequamur, ut paucorum certe aliorum, qui, eodem fere tempore, nostrae disciplinae in stadio sunt celebrati, Virorum vel memoriam pro virili parte instauremus, vel nomen certe non plane inornatum a nostris hisce Chartis praeteriri sinamus. — Sed qui ante caeteros mihi celebrandi sint incertior haereo. Tot enim proximis his annis apud Vicinos nostros, de quibus dicimus, ac tam illustria sunt exstincta sacrae disciplinae lumina, ut, alios memorans, alios hîc quidem non attingens aequales, horum de laudibus aliquid detraxisse videri possim lectorumque ideo, corum merita jure suspicientium, in offensionem incurram. Praesertim quum magnam alterius hujus Libri partem *Narratio* sibi vindicaverit *de* Royaardsio, neque igitur breviori huicce disputationi, quae aliis lectorum in memoriam revocandis Theologis destinata est, multum spatii reliquerit.

Atque hîc, si res mihi integra esset, vellem de binis certe

Collegae illius dicere Amicis, Lückio ac Gieselero; quorum *hunc* absens admiratus sum, *ille*, quem coram conspicere aliquando contigit, ne me quidem benevolentiae suae testimoniis carere passus est. Gieselerum enim ipsa defleret, si forte vocem emittere posset animata, *Christi Societatis Historia*. »*Vae mihi!*" sic conquerentem eam audiremus, »*cui, ubi vixdum* »*exaruerunt*, *quae* Neandri *mihi fuerunt ac* Royaardsii *in* »*funere fundendae lacrimae, nunc jam tertius hic brevi spatio* »*lugendus est meorum Coryphaeus cultorum atque Antesignanus*. »*Nam*, Gieselero *potissimum accuratissimo Interprete ac doc*»*tissimo*, *quid de Ecclesiae fatis ac placitis ipsi narraverint* »*singulorum temporum* testes *atque* aequales, *certius multo ple*»*niusque*, *quam antea*, *resciscere potuerunt posteri*" (1). — Lückio autem, quem alterum haud injuriâ dixerunt Melanchthonem, eximia haec laus constat atque honos immortalis, quod eodem opere et *Joanneae* orationis verba locutionesque criticâ ac grammaticâ sit interpretatus subtilitate, et *Joannei* pectoris, in quo solus vivebat spirabatque Christus, intimos sensus ac cogitationes lectoribus repraesentaverit et ante oculos veluti depinxerit (2).

---

(1) Johannes Carolus Ludovicus Gieseler, d. 3 Mart. a. 1793, in pago Petershagen Mindeniae prope urbem natus erat, docto Patre usus pioque. Nostri instar Royaardsii, juvenis militiae adversus Francogallos voluntariae strenuum sese dedit socium. — Alia ne memorem illius munera, a. 1819 Bonnae ad Rhenum, a. 1832 Goettingae Theologiae Professor creatus est. Atque hîc, d. 8 Julii a. 1854, aetatis annum agens secundum et sexagesimum, fato est functus. — *Vita* illius, conscripta ab E. R. Redepenningio, Tomo V, posthumo illi, praemissa comparet operis classici Gieseleriani. Quo in Tomo, recentissimam a. 1814—1848 historiam narrante, eorum, quae ipse ediderat Auctor, plane desiderari ἀκρίβειαν est dolendum. Melioris longe frugis est ac nostris adeo commendandum Commilitonibus ejusdem Historici alterum opus posthumum: *Dogmengeschichte*; item inscriptum: *Lehrb. der Kirchengeschichte, VIter u. lezter Band; Bonnae*, 1855. Quod Auctoris ex scidulis idem edidit ac luculentâ praefatione ornavit Redepenningius.

(2) Fredericus (sive, ut plenius dicebatur, Gothofredus Christianus Fredericus) Lücke, d. 24 August. a. 1791, in oppidulo Egeln

Verum ne nunc, animi desiderio morem gerentes, de magnis his dicamus Duumviris aliisque, quorum recentissimâ memoriâ fatali ex *urnâ sors exiit*, Theologis, limites obstant, qualicuique huic vel disputationi vel narrationi olim positi. Ante triennium enim et amplius haec scribere exorsi, nec seram demum ad pensum redeundi opportunitatem nobis concessum iri sperantes, de iis solum agere decrevimus, qui proximo tunc septennio hinc abierant, rerum divinarum Doctoribus Germanis. Quod si nunc deseramus consilium, infinita nos obrueret dicendorum materia.

Ubi igitur, recentioribus a funeribus mente avocatâ atque oculis, reditum ad pensum meditamur olim inchoatum, continuo nos cogitatio advertit, tam late nostrae hujus disciplinae vim patere atque ambitum, ut quam maxime diversis rationibus aut scribendo aut dicendo vel doctos demerere possint vel indoctos, qui eruditionis praestantiâ cernuntur, rerum divinarum Antistites. Veluti, ut hoc uno nunc utar, eorum alii ita demum vivere sibi videntur, si conclavium in solitudine ac recessibus abditi, nec aliis fere nisi mortuorum vel viventium *libris* usi

---

prope Magdeburgiam natus erat. Sic enim annum natalem, quem aliter alii tradiderunt, accurate edidisse videtur, Winero consentiente (in *Handb. der theol. Literatur*), Julius Müller, in Viri *Memoriâ*, proditâ in Schneideri *deutsche Zeitschrift*, 1855, No. 16. 17. — Lückius igitur, posteaquam aliquamdiu Berolini, modo privatim, mox extra ordinem, Theologiam docuerat, a. 1818 in Academiâ Rhenanâ ejusdem disciplinae Professor ordinarius creatus est. Quo munere posteaquam plures per annos strenue functus erat, Bonnensem stationem cum *Goettingensi* commutavit. Atque in *Georgiâ Augustâ* illâ, caeteros ne memorem honorum titulos, ordinarius fuit Theologiae Professor; donec, d. 14 Febr. a. 1855, aetatis anno quarto et sexagesimo, ad aeternum pacis Regnum migraret, qui litiganti huicce Ecclesiae terrestri monitis et exemplo pacifica commendare studia nunquam desierat, non doctrinae copiâ magis excellens, quam vitae morumque sanctitate, Vir praeclarus. — De quo, praeter laudatum jam Jul. Müllerum, prae caeteris consulendi sunt Hagenbachius, in Gelzeri *protest. Monatsbl.* ad m. Martium 1855, V. 3. p. 145 sqq. et Ehrenfeuchterus, in op. *Studiën und Kritiken*, 1855. 4. p. 731 sqq.

comitibus, suis ipsi scriptis sacram excolere possint atque illustrare doctrinam. Quorum ex umbraculis quam clara saepe lux Christi manaverit in Societatem inter omnes constat. Alii contra, non minus laudandi illi, in templorum amplitudine pro concione dicentes, quodcunque ingenii habent atque acuminis, a naturâ acceptum, quodcunque facundiae, usu atque exercitatione comparatum ac confirmatum, id ad mortales Christi nomine et auctoritate docendos, consolandos, salutariter adhortandos, migrationi in coelum praeparandos adhibent ac convertunt. In quo vero penso gravissimo non subsistentes non nulli, sanae etiam *Homiletices* praecepta tradendo, sancti muneris tironibus quâ via ac ratione ad eandem, quam ipsi consecuti sunt, dicendi laudem adspirandum sit acute commonstrare conantur. In *illo* genere plerique erant, de quibus antea diximus, Germaniae Doctores. In *hoc* nuper, quum apud cives tum apud exteros, nobilitati sunt, de quibus nunc pauca ex multis narrare juvat, LUDOVICUS FREDERICUS FRANCISCUS THEREMIN, JOHANNES HENRICUS BERNHARDUS DRÄSEKE, RULEMANNUS FREDERICUS EYLERT.

Eloquentiae sacrae in historiâ nostrorum quidem lectorum nemo facile tam hospes erit, confido, ut nunquam merita celebrata audierit FRANCISCI THEREMIN. Sic enim breviore plerumque se nomine dicebat. Cujus terrestre curriculum si quis forte sibi describi velit; Ukermarkiensis erat, d. 19 Martii a. 1783 Grumzoviae natus; ubi coetui Pater Antistes praeërat Francogallico. Quid mirum si, eâdem aliquando, quâ Parens, linguâ usus, Euangelium annuntiare cupiebat adolescens? Id agens igitur, posteaquam Halensi in Academiâ F. A. Wolfii imprimis ac Knappii disciplinâ erat institutus, quo commodius ad elegantiorem memoratae linguae usum exerceretur, Genevam Helvetiorum se contulit; ubi aliquamdiu commoratus, sacro ministerio inaugurandum se curavit. Nunc autem quantam ac quam maturam sibi comparâsset eloquentiae laudem luculenter apparuit. Nam, decimo jam hujus seculi anno, honorifice admodum Berolinensium coetui Francogallico praeficitur Antistes. Nobilissimo

enim illi sufficiebatur Ancillonio, cui nunc Principis Borussiae haereditarii commissa erat institutio, quique postea, Administri Regii dignitate auctus, magnarum rerum auctor fuit ac suasor. Nec diu tamen, exterâ linguâ pro concione usus, Francogallicum templum eloquentiae habuit ac laudis suae theatrum. Quinquennio post enim *Concionator cathedralis* dictus est atque *Aulae regiae sacris a concionibus.* Ac dignitati ne quid deësset, aliquot annorum spatio, *supremo Regni Borussici Concilio ecclesiastico* socius adscribitur. Tandem, sexto antequam hinc migrandum ei fuit anno, Berolinensium in Academiâ *Theologiae Professor* dictus est *honorarius* idemque, rarâ ornamentorum copulatione, *ordinarius.* Verum, quamvis gloriosa haec censerentur, non tam dignitatis amplitudo sapientum judiciis eum commendavit atque admirationi, quam variae ac reconditae eruditionis copia et elegantia, quam rara dicendi vis ac facultas, quam id, quod Knappii, dilectissimi Praeceptoris, ex disciplinâ hauserat, germanam Christi doctrinam profitendi tuendique studium constantissimum. Quod ne illo quidem tempore dissimulabat nec remittebat studium, quo, Seculo placere si velles, Rationalistam te facere debebas.

Orationum sacrarum, nisi plura, octona certe deinceps edidit Volumina; quorum inscriptiones recensere, quibus singula distincta comparent, longum est nec necesse. Monere praestat, ubivis Oratorem te cernere, praestantissimorum quorumque apud veteres recentioresque exemplorum meditatione ita excultum, ut *suus* tamen semper maneret. Dicendi genus est, modo nativâ commendatum atque eleganti simplicitate, modo poëtico aliquo tinctum colore. In quo magnas elocutionis dotes et exquisitam aliquam stili absolutionem non injuriâ laudâsse videtur Hagenbachius (1). Cujus profecto aequitas Censorum Rationalistarum non nullorum praeferenda est iniquitati, qui *Palaeologum* eum se praebuisse atque alienis non raro locis Ecclesiae com-

(1) Vid. illius *Encyclop. u. Methodol. der theol. Wissenschaften, ed.* 3, p. 380, coll. p. 383.

mendâsse placita orthodoxa, satis acriter arguerent. Neque enim eorum sensui conciones attemperatae erant, quales primis jam consignatas videbant Fasciculis, *de Christi naturâ divinâ*, *de homine Christiano Martyre*, atque eodem in genere aliae. Verum hoc maxime sibi honorificum ducere potuit Thereminius, quod iidem, qui ipsius in orationibus multa reprehendebant, Rationalismi patroni, ad auditorum animos pellendos ac commovendos valde accommodatas eas esse faterentur atque erga dissentientes lenes et liberales (1). De universâ ejus ratione si meam profiteri licet sententiam; subtilius inter *Germanorum* ac floridius *Francogallorum* medium aliquod sequebatur dicendi genus; quod id potissimum boni civibus attulit, ut, ejus exemplo moniti, Reinhardii jejunitatem ac dialecticam ariditatem, quae multos admiratores nacta erat atque imitatores, laetiore aliquâ ac vegetiore exhilarare discerent orationis ubertate.

Verum longe majorem etiam Thereminii ad nomen nobilitandum vim habuit ac momentum fecit elegantissimum illius opusculum, quo scripto *virtutum* adeo in numero censendam esse *Eloquentiam* probare conabatur (2). Ad quem commentandum libellum Kantii eum impulerat in pulcherrimam artem iniquitas. Princeps enim hic Philosophus, qui solam in deliciis habebat definiendi, distinguendi, demonstrandi solertiam, nec hominis sensibus vel internis vel externis multum juris permittebat, alto despexerat *Eloquentiam* supercilio, ac *fallendi* eam dixerat artem; cui igitur ne judicialibus quidem in caussis locus concedendus esset, nedum sacris in pulpitis (3). Hunc igitur ut

---

(1) Vid. impr. W. D. Fuhrmanni *Handb. der theol. Lit.* T. II. P. II. (Lips. 1821) p. 251. Ubi, in prioribus Thereminii oratt. sacris, a. 1817—1819 editis, quae maxime reprehenderent, quos dixi, Censores accurate refertur.

(2) *Die Beredsamkeit eine Tugend, oder Grundlinien einer system. Rhetorik*; *Berol.* 1814. Altera libelli editio (XXXIV et 206 pp.), non multum mutata illa, publicata est *ibidem*, 1837.

(3) Vid. Kantii liber: *Kritik der Urtheilskraft* (*Berol.* 1790), p. 205—

refutaret Kantium, nullam esse posse probare conatus est Thereminius, nomine dignam, templorum Eloquentiam (nam de hâc potissimum agit), quae non sincerâ exsistat ex *fide*, quam Deo Christoque habeat Orator; haec vero quum *virtus* dicenda sit fides, idem hoc *virtutis* nomen atque honorem in illius filiam convenire *Eloquentiam*. Sic ille; qui sibi assentientes invenit Danzium, Peltium aliosque non paucos, in multis et ab ipso et a se invicem dissentientes, Theologos; cujusque, de quo agimus, libellus laudatores passim est nactus, qui de scriptis recenter editis apud Germanos referebant, Censores (1). Prudentes quidem erant Viri, qui nobilissimam artem, quam inique

---

216. Unde praecipuos aliquos, qui *Eloquentiam* spectant, locos reposuit Clarissius, ad Ewaldii librum: *Voorlezingen over de uiterl. Kanselwelsprekendheid; ed. alt. Arnh.* 1839, p. 10 sqq. Non tam veram Kantium carpsisse *Eloquentiam*, quam fallacem *Sophistarum* artem, probare conatur G. S. Franke: *Theol. Encyclop.* (*Alt.* 1819), p. 674, in annot. Verum ne de ipsâ quidem *Eloquentiâ* valde honorifice judicâsse Philosophum Regiomontanum, luculenter ea docent, quae et ejus ex libro attulit et monuit illius de sententiâ Clarissius.

(1) Vid. J. T. L. Danz, *Encycl. u. Methodol. der theol. Wissensch.* (*Vimar.* 1832) p. 347. 348; ubi pulcherrimum hoc ejus exstat dictum: »*So lange* »*man die Beredtsamkeit überhaupt und die des geistlichen Redners insonderheit* »*nicht zur* Tugend *macht, wird sie auch nur eine mehr ästhetisch-praktische, als* »*religiös-praktische Wissenschaft seyn, und mehr auf Kanzel-Rednerei, als auf* »*wahre geistliche Beredtsamkeit wirken.*" — Nec facere possum quin, eodem praeëunte Danzio, sapientissimum hîc adscribam Senecae monitum. Qui, *Epist.* 75: »*Haec sit propositi nostri summa,*" inquit, »*quod sentimus loquamur;* »*quod loquimur sentiamus. Concordet sermo cum vitâ. Ille promissum suum im-* »*plevit, qui, et cum videas illum et cum audias, idem est.*"

Alia judicia, Thereminii libro honorifica, prodidit Fuhrmannus, l. l. Vol. I. p. 569; ubi ad bonos formandos Oratores sacros atque Antistites idoneum esse scriptum a pluribus monetur. — Verum nemini magis placuisse videtur disputatio, quam Peltio, qui *praeclaram* vocat eam, in opere: *Theol. Encycl. als Wissenschaft*, p. 654, coll. p. 645.

Posteaquam libelli: *Die Beredsamk. eine Tugend*, a. 1837 altera prodierat editio, eam universe valde laudârunt hae Germanorum Ephemerides: Rheinwaldii *allgem. Repert. der theol. Wiss.* ad m. Decembr. a. 1837, p. 144 sqq.; — *Allg. Hall. Lit. Zeit.* 1839, No. 37; — *Journal für Prediger*, ad m. Mart. et Apr. 1840, p. 244 sqq.

vituperatam videbat, nimis ample eum praedicâsse non injuriâ statuerent (1). Verum hic illi omnium bonorum judicio constet honos oportet, quod vere et strenue Ciceronis sententiam tuitus sit, quae *Oratorem Virum bonum esse* affirmârat, *dicendi peritum.* Nec ullus facile Rhetor exstitit, qui Christianorum imprimis Oratori summum hoc propositum esse debere consilium, ut Deo magis, quam hominibus, placeat, luculentius vel orationis copiâ vel vitae exemplo doceret ac demonstraret.

Alia, quae edidit, scripta accurate hîc recensere nihil attinet (2). Est in illis lectu dignissima Demosthenis ac Massillonii comparatio, nostram etiam in linguam conversa illa (3). Sunt in iis, quas appellavit, *Vesperae,* dialogorum, carminum, commentationum magnam habentes varietatem. Est item, quam vocavit, Adalberti *confessio;* ubi suum ipse ingenium mentisque suae conformationem nativâ veritate depinxisse censetur Auctor (4). Alia praetereo; in quibus exterorum carmina imitandi quaedam sunt pericula. Sed quae memoravi omnia scribendi elegantiam ad docendos potius ac sapientiae praeceptis augendos,

---

(1) In his Clarissius, cujus dignum est quod l. l. consulatur moderatum judicium.

(2) Non omnia quidem, pleraque tamen, in opere recensentur, unde non nulla meos in usus hausi: *Neuer Nekrolog der Deutschen, Jahrg.* XXIV. 1846. T. II, p. 640—643. Ibi enim Thereminii vita breviter descripta exstat.

(3) Hâcce, quae Germanam plane refert, inscriptione: Demosthenes *en* Massillon. *Eene bijdr. tot de geschiedenis der Welsprekendheid, door* Fr. Ther. *Uit het Hoogd. door* J. Schade; *Hagae Com.* 1847, f. 8 min. Opusculum eximie laudatur, quum in Eph. *Rec. o. d. Recc.* 1848, p. 26; tum in Eph. *Vad. Letteroeff.* 1848, p. 49 sqq. Ubi accurate libelli summa refertur. De interpretatione honorifice prior judicat Censor, non item posterior.

(4) Germ. *Abendstunden*, III *Bande; Berol.* 1833—1839; — Adalbert's *Bekenntnisse; Berol.* 1828 atque iterum 1835. — Diu antea jam gravissimi argumenti librum ediderat: *Die Lehre vom Göttl. Reiche; Berol.* 1823. De quo vid. Fuhrmanni *Handb. der neuesten theol. Lit.* Vol. I. p. 655; — Rütenikii comment. in: *Stud. u. Kritiken,* Vol. V. p. 238 sq.; — imprimis vero Zimmermanni et Heydenreichii *Monatsschrift für Predigerwissensch.,* Vol. IV. p. 586 sqq.

quam ad delectandos, adhibent lectores. Pleraque autem omnia honorificis, quantum novi, probata sunt et civium et exterorum judiciis.

Verum in nullos magis convenit Theologos, quam sacros in *Oratores* ac *Rhetores*, quod supra nos monere meminimus: »Tempus, *varium et mutabile semper*, *laudes parit ac confert*, Tempus *adimit et aufert* (1)." Thereminium enim, ut hujus nunc unius afferam exemplum, quem gloriosâ Eloquentiae ac Rhetorices palmâ plerique donandum censuerant aequales, hunc ipsum postremis hisce annis iterumque studiose sibi reprehendendum putavit, cujus his in rebus a multis magni fit auctoritas, Christianus Palmerus. Quem si audis, ubi dicendi praecepta commendat, ea vel negligit vel certe non satis accurate attendit, quae *Christi* priva sunt ac propria Religioni. Atque universa ejus Rhetorica, quum abstractis fundetur atque ab Euangelio remotis principiis, Homileticae, nisi noxia, certe plane infructuosa est habenda (2). Haec et alia Palmerus, quem a Thereminio dogmatica maxime dissensio videtur alienâsse. Hic enim, quamvis sanae studiosus Orthodoxiae, non tam severam, quam Censori placebat, tuitus erat Dogmaticam. Mihi quidem non omnia pariter Oratoris ejusdemque Rhetoris vel dicta sese probârunt vel praecepta. Nec vero ejusmodi esse existimo Palmeri reprehensiones, quibus impulsi *haerentem multâ cum laude coronam* Thereminii *de capite detrahere* debeamus vel licitum reputemus.

Quicquid sit; humani judicii vel levitatem vel inconstantiam vel acerbitatem diu jam superavit Vir optimus, quem τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ studiose quaesivisse omnia docent.

---

(1) *Chartt.* L. I, p. 125.

(2) Vid. Palmer's *euang. Homiletik;* tertiae ed. (Stuttg. 1850) p. 13. 434. 459. 515 sq. 659 sq. Nam nullam non cupide arripit Thereminium vituperandi opportunitatem. Quamquam subinde singulas non nullas laudat illius conciones.

Die enim 26 Septembris a. 1846, aetatis anno septimo et sexagesimo, Berolini mortem obiit (1).

Thereminio triennium amplius superstes fuit J. H. B. DRÄSEKE, Brunsvicensis, qui ineunte anno 1774 vitam ingressus terrestrem, exeunte anno 1849 Potsdami, ubi nunc senili habitabat aetate, eâdem ex vitâ, cujus sextum et septuagesimum fere compleverat annum, est egressus (2). Ab oratoriâ maxime facultate *illum* esse celebratum, nobis modo antea constitit et constat inter omnes. *Hujus* autem nomen magis etiam, si fieri poterat, eadem nobilitavit ac totam paene per Europam populare reddidit sacrae facundia cathedrae. Ubi verba faciens uterque, quo tempore, permultis patriae suae in templis, tanquam *Sapientem* tantum *Nasarethanum* laudatum audiebat Christum, ut *Dei Filium* fidenter Eum annuntiabat unumque hominum *Conservatorem*. Tum, si illustrem Christianorum in Societate locum obtinuit Thereminius, illustriorem etiam Dräsekius eumque talem, quo splendidiorem Protestantium Ecclesia Germanorum nulli con-

---

(1) Brevis illius consulatur laudatio, quae exstat in Nitzschii et Sackii *Monatsschrift f. d. evang. Kirche der Rheinpr. u. Westph.* V. 11, *Nov.* 1846, p. 260 sqq. Ubi et alia et pulcre haec: »*Eine höhere Bedeutung erhielt* »Theremin, *der Prediger, dadurch, dasz er in einer Zeit, wo die Zahl* »*der unerschrockenen Bekenner der Wahrheit auf den Kanzeln noch nicht sehr* »*grosz war, den übernatürlichen Ursprung der christl. Religion, die Gottheit* »*Christi und das Erlösungswerk mit einer Standhaftigheit und Innigkeit ver-* »*kündigte, der man die Tiefe der Ueberzeugung abfühlte.*"

(2) Brunsvici d. 18 Januar. a. 1774 natus, Potsdami mortuus, d. 3 Decembr. a. 1849. Sic Dräsekii diem et natalem definiunt et fatalem H. W. Rotermund: *Lexicon aller Gelehrten, die seit der Reformation in Bremen gelebt haben* etc. (Brem. 1818) Tom. I. p. 103 sqq. et *Neuer Nekrolog der Deutschen, Jahrg.* XXVII. 1849. Tom. II. p. 969 sqq. Ex quo utroque opere non nulla hîc hausi. Paullo aliter natalem ejus diem notat: *Alg. Konst- en Letterbode*, 1849, N°. 2, cujus etiam lectu non indigna est narratio.

cedere posset Theologo. Verum, age, misso jam Oratore Berolinensi, Dräsekii nobis fata paucis repraesentemus. Helmstadiensi igitur in Academiâ Henkio maxime et Sextrone Praeceptoribus usus, non diu post absoluta studia academica *Diaconi* titulo ac munere ornatus est. Deinde diu publicam egit in Ecclesiâ vitam, quae non mediocriter Christi demeruit Societatem, quamque commode in tres distribuere possumus partes majores. Primâ enim curriculi periodo, per sedecim circiter annos, a. 1798—1814, Lauenburgensi in Ducatu, duobus deinceps praefuit Antistes coetibus vel ruralibus, vel oppidanis non ignobilibus. Tum, a. 1814 Bremam evocatus, in clarae hujus civitatis aede cathedrali, per decem et octo fere annorum spatium, a. 1814—1832, fideliter admodum Euangelio ministravit. Atque altera haec imprimis curriculi periodus ei fuit ad laudem illustrissima. A plerisque omnibus enim nunc in praestantissimis censebatur Oratoribus Germaniae ecclesiasticis. Nec pauci erant qui fore sperarent, ut Dräsekii non secus, quam Clausii Harmsii per lucem nova *Homileticen* in patriâ collustraret aurora. Orationum, quas Christianorum pro concione pronuntiârat, multos deinceps edendos curavit Fasciculos; qui dictu difficile erat, quam honorificam Auctori parerent singularis existimationem eloquentiae. Quibus in Fasciculis ille imprimis omnium excitavit admirationem, quo *Germaniam regeneratam* atque immani Francogallorum tyrannide liberatam celebrârat, et ad patriam amandam ac demerendam civium animos stimulare conatus erat (1). Ubi pectoris commoti sensa potius, quam

---

(1) En Fasciculi inscriptionem vernaculam: *Deutschlands Wiedergeburt, erkündet u. gefeiert durch eine Reihe evang. Reden im Laufe des — Jahrs* 1813; *Lubec.* 1814. Nullae tam amplae cogitari possunt laudes, quibus non has maxime orationes summâ concordiâ celebrârint librorum in Germaniâ Censores; qui ne *Demosthenem* quidem aut *Ciceronem* impensius praedicare potuissent. Laudum earum summam accurate retulit Fuhrmann. *Handb. der theol. Lit.* II. 2. p. 542 sq. Pauci tamen fuerunt, qui hîc jam *imaginum* non nullarum *troporumque* minus commodum usum reprehenderent. — Harum orationum, quae prae caeteris omnibus celebratae sunt ac celebrandae viden-

Rhetorum artificia, tam disertum eum reddiderunt, ut auditorum lectorumque in animis aculeos multa pulcre ab illo graviterque dicta relinquerent. Verum alios etiam haud paucos ejus orationum fuisse Fasciculos, qui multos cupidosque emtores invenirent ac lectores, vulgo notum est (1).

Quum autem, Bremensi potissimum in statione collocatus, summum laudis oratoriae fastigium attigerit Dräsekius; de ejus concionibus de earumque vel virtutibus vel, si quae sint, vitiis universe aliquid monendi justus hic nobis locus esse videtur. In illis igitur alia erant, quae alios allicerent ac caperent lectores. Quorum sane melioribus ac gravioribus non placere non poterat fervidus, quem omnia ejus dicta spirabant, CHRISTI amor ac pia veneratio. Quem, quo tempore *Socrati* ac *Platoni* non longe eum plerique praeferebant Rationalistae, tanquam vere Divinum Regni coelorum Conditorem ac peccatorum nostrorum Expiatorem praedicare non dubitabat Orator Bremensis ac colendum commendare. Quamquam non deërant levioris atque iniquioris ingenii Theologi, qui hâc ipsâ de caussâ nunc jam, ut fieri assolet, haud sine additâ ignominiâ antiquatae atque obsoletae Dogmatices patronum eum dictitarent (2). — Verum elegantioribus universe hominibus mire hîc dicendi genus arridebat, quod tersam elocutionis puritatem cum acutâ sententiarum brevitate et novitate copularet, atque imaginum troporum-

---

tur Dräsekianis, altera editio, duobus distributa Voluminibus, ac politicis non nullis, quas post a. 1813 pronuntiârat Auctor, locupletata concionibus, vulgata est Luneb. 1817.

(1) *Quater* adeo primum est editum Volumen orationum, quibus titulus: *Predigten für denkende Verehrer Jesu.* Quae publicari jam coeptae erant *Luneb.* 1804; quarumque sylloge, tribus distincta Tomis, aequiore pretio proposito, *ibidem* est edita a. 1826.

(2) Et alias hanc ei maculam illeverunt, et ubi orationes ediderat, sic dictas: *Predigten üb. die letzten Schicksale unsers Herrn;* Luneb. 1815. 1818. II Voll. Vel sic tamen ne ab his quidem concionibus multas praestantiae dotes ipsi abjudicârunt Rationalistae. Vid. Fuhrmannus, l. l. p. 340 sq.

que luminibus frequenter illustraretur. Quum praesertim plerarumque, quac tunc audiebantur ac legebantur, orationum sacrarum ariditatem *Kantianam* ac jejunitatem dialecticam fastidire incepissent aequales.

Sed, sicuti multis mortalium in rebus atque inceptis affinia virtutibus esse videmus vitia; ita qui paullo cupidius eas, quas diximus, sermonis elegantias leporesque venantur Oratores, in magno subinde periculo versantur ea, quae fulgeant auditorumque et oculos praestringant et pectora vehementius concutiant, institutioni, nisi substituendi, certe aliquando praeferendi, quae sententiarum veritate ac gravitate, tanquam salutari pabulo, eorum alat animos atque edoceat. Quem scopulum, multorum naufragiis infamem, non semper nec ubique pari felicitate effugisse mihi visus est, quantumvis eloquentiâ praecellens, Dräsekius. Cujus, ante hos multos annos, non nullas me legere memini conciones. Omnes enim aut plerasque certe si a me perlectas esse affirmarem, jactantius dicerem, quam verius. Sed idem, quod ego, passim testati sunt intelligentiores quique librorum Censores. Quorum ex judiciis, quamvis universe honorificis illis, *modo* ita luxurianti frena laxare deprehenditur ingenio ac phantasiae, ut Dialectices atque Homiletices leges non multum curare videatur; — *modo* orationum in dispositione atque elocutione ambitiosum aliquod sectatur artificium, quo sapienter a se dictorum vim atque acumen retundit potius, quam intendit. Accedit subinde ad enervandam Viri facundissimi orationem nimia quaedam novitatis affectatio ac nimis cupidum aliquod ab omnium communi dicendi ratione recedendi studium. Quod recte monuit Hagenbachius (1). Cujus igitur peritissimi harum rerum Arbitri monitum ne frustra sibi in memoriam revocatum esse patiantur optandum est juniores Oratores ecclesiastici; quibus *os* quidem est *magna sonaturum*, sed qui, quâ praeclarâ sunt oratoriâ facultate, multo pulcrius dicerent, multo

(1) *Encycl.* p. 380.

gravius, multo utilius, nisi omnia pulcra, splendentia, nova, acute disjuncta facere vellent. Neque enim solus fuit Dräsekius, de quo verissime testarentur *Aristarchi*, nunquam vehementius eum ac salutarius auditorum commovisse animos ac pepulisse, quam ubi disertum eum *pectoris* instinctus faceret, nec igitur *artis* rhetoricae fucorum meminisse videretur.

Quae quum ita sint, eloquentissimi hujus Bremensium Antistitis orationes non sine exceptione imitandas commendare licet. Sed praeclare tamen et de Homileticâ et de ipso adeo Regno coelorum meruisse censendus est. Quis enim, si ab uno disceseris Harmsio, efficaciore apud cives effecit exemplo, sacra ut concio, quae in aridam degenerare inceperat disputationem, postliminio nomine dignae jura repeteret *orationis?* Ac *cujus* potius eloquentiae id acceptum retulere Germani, ut caveretur ne *Christianâ* ex oratione *Christi* laus honosque paullatim evanesceret ac deleretur (1)?

(1) Non optime sibi constat, ne quid gravius dicam, Chr. Palmerus, ubi eodem loco ita hunc et vituperat et laudat Oratorem: »*Antiquiores etiam,*" inquit, »Dräsekii, *non secus quam* Lavateri *ac* Reinhardii, *conciones* »*ejusmodi quid habent, quod junioribus nobis nauseam faciat ac jejunum videatur* »*et rationalisticum et philistaeum* (*philisterhaft*). *Honorifice tamen his de Viris* »*sentiamus oportet, quippe qui, infausto tempore, fidei patrocinati sint evange-*»*licae.*" Sic ille, in op. *evang. Homilet.* p. 53. Quo ipso tamen in libro singulas non paucas Dräsekii orationes a variis praedicat praestantiae dotibus. Spero fore ut, ubi *Homileticen*, multa bonae frugis continentem illam, *quartum* aliquando edat Palmerus, hujus certe judicii iniquitatem tollat atque importunitatem.

Sed aliud quid hîc nobis monendum est. Multis jam ante annis hocce titulo editus erat libellus: Dräseke *u.* Schuderoff *als Prediger; oder Kritik der Predigtweisen beider Männer u. s. w. Von* Wilh. Schröter, *Pfarrer zu Groszheringen; Altenb.* 1821, 169 pp. Cujus libelli summam retulit Censor in Ern. Zimmermanni *Monatsschrift für Predigerwissenschaften;* Vol. I. p. 640 sqq. Dräsekium igitur laudat quodammodo Schröterus; sed ita laudat, ut multis ei partibus praeferat Schuderoffium, cujus in orationibus, quae in Dräsekianis desiderentur, bona cumulate inveniantur ac virtutes. Quod illius judicium, a Censore jure improbatum,

Sed quando de vitae, quam publice egit Dräsekius, priore utrâque periodo pauca diximus; de tertiâ eâque ultimâ prorsus silere non licet. *Bremae* igitur, duodeviginti per annos, summâ eloquentiae laude floruerat sacrorum Antistes, atque ampla, saepius alios apud coetus sibi oblata, munera deprecatus erat. Tandem vero, anno 1832, in eum migravit regionis Saxonicae tractum, cujus post devictum demum Napoleontem magna pars in provinciae Borussicae formam redacta erat. Hujus enim, quae recenti nomine *Borussiae Provincia Saxonica* vocabatur, nunc *Superintendens generalis* creatus est atque *Episcopus euangelicus*, item *primarius apud Magdeburgenses Concionator cathedralis*. Ecce novos, qui, singulari Regis ipsius, magni eum facientis, favore ac propensâ voluntate, in Virum gravissimum conferebantur, honorum titulos; tam amplos illos, quam apud Germaniae Protestantes longe paucissimis concedi consueverant Theologis. Verum nemo putet, quantum ad munerum splendorem, tantum ad vitae fructum ac felicitatem mutatâ ei statione accessisse. Nam vixdum novam ingressus erat provinciam, ubi, quam difficile saepe sit et arduum negotium, quum *Deo* placere velis, *hominibus* non displicere, molestissimâ sentire coepit, quâ tentabatur, hominum rerumque experientiâ. In magnâ enim illâ ac late patente, cujus jam dictus erat *Episcopus*, Dioecesi Saxonicâ multi sacrorum erant Antistites qui, non satis aequis animis

---

nemo mirabitur, qui quantus fuerit Schuderoffii ac Schröteri, Rationalistae utriusque, placitorum consensus haud ignoret. — Caeterum memorabile hoc etiam mihi visum est Censoris apud Zimmermannum dictum: »Dräseke, *welcher unlängst sehr passend der* Jean Paul *der* »*Homiletik genannt wurde, ist in der That der Koryphäus der sogenannten ge*»*müthlichen Prediger.*"

Eâdem Zimmermanni in Ephem. (sed cujus alter nunc Moderator erat Heydenreichius) Vol. IV. p. 181 sqq. commentariolum exstat, auctore F. E. Petri, *de brevitate, quae Oratori sacro, dicendorum summam* (thema) *indicanti, sit sectanda.* Ubi Reinhardii inter et Dräsekii rationem, valde honorifico *huic* exitu, comparatio instituitur.

nec sine acriore aemulatione, sibi praepositum viderent sibique adeo praelatum hominem exterum, eloquentiâ quidem valentem illum, nec tamen, eorum quidem judicio, reconditâ praestantem eruditione theologicâ. Quum praesertim gravissimis in rebus quam longe a se dissentiret non ignorarent, timerentque adeo illius *Episcopatu* ne sua infringeretur, quam insolentius jactabant, libertas theologica. Eorum enim non pauci in audacioribus nomina professi erant *Rationalistis*. Quorum igitur insanis in Theologiâ atque in Ecclesiâ nihil non innovandi studiis ac molitionibus quid vehementius poterat adversari, quam *Episcopi* pia desideria conatusque, quibus alienatos a Christo Christianorum animos ad Eum reducendos putabat atque ad fidei euangelicae sanitatem? — Quod in tantâ, quae *illos* inter et *hunc* intercedebat, studiorum ac sententiarum discrepantiâ, facile exspectari potuerat ac praevideri, id brevi tristis comprobavit rerum exitus. Episcopus enim, quem nunc minus etiam, quam antea fuisset, *liberalem* habebant, quum, suâ usus aut, ut ipsis videbatur, abusus auctoritate, strenue eorum resisteret audaciae, nec eos suo pro arbitratu quidvis dicere ac moliri permitteret, illi eum odisse, lacessere, publice ac privatim calumniari inceperunt. — Hae autem, quae ab initio jam satis graves fuerant, irae litesque et altercationes aliquamdiu post per infaustum aliquem adauctae sunt eventum atque exacerbatae. Nusquam enim impudentius, quam in Saxonicâ, cui Dräsekius praeërat, Dioecesi praecipites illi grassabantur Novatores, qui *Lucis Amicos* sese vocabant atque, Uhlichio, Magdeburgensium Antistite, praecipuo auctore, Ecclesiae, quorum diu pertaesi erant, vinculis plane se solvere conabantur eosque condere, quos specioso nomine *liberos* vocabant, sacros *coetus*. His vero, quâ maximâ poterat vel persuadendi vi vel muneris auctoritate, obviam ire Dräsekius; quippe qui a *Lucis* scilicet *Amicis* istis puram Euangelii lucem obscurari nollet, atque ex hominum, suae divinitus curae commissorum, animis deleri. Quae tam intolerabilia iis videbantur atque adeo non ferenda illius consilia, ut, uno veluti agmine facto: *Apage lucifugum istum Episcopum!* clamarent ac vociferarentur. Qui

ne irriti essent nec successu carerent acerrimi clamores, pseudonymus aliquis eorum ex grege illum aggressus est adversarius, qui, malignissimâ publicatâ satirâ, *octonos per annos quid rerum* Dräsekius *egisset Episcopus*, se narraturum simulabat; re et veritate ullâ sine verecundiâ acerbissimas quasque in immeritum eum contumelias evomebat atque injurias (1). Tam mordax hic erat turpisque libellus, ut justam bonorum omnium in auctorem, qui non diu latere potuit, moveret indignationem, atque ut Borussiae in regno ne venalis exstaret publicâ prohiberetur auctoritate. Quo decreto, non magnam sane a prudentiâ laudem habente, factum esse ut cupidius etiam, quam antea, satira legeretur, monere nihil attinet. Quid multa? Plurimorum malevolentissimis obtrectationibus nec unquam intermissâ calumniâ lacessitus Dräsekius ac laceratus, non amplius sibi ferendum existimat honorem nec vitalem ullo modo vitam illam *Magdeburgensem*. Quocirca enixe serenissimum rogat et obsecrat Regem ut quam celerrime munere se solvat ac dignitate, quam diutius honeste atque utiliter tueri nequeat. Cui Viri sibi carissimi desiderio precibusque diu Rex resistit. Tandem vero ita ei morem gerit ut, depositâ quidem publice pro concione dicendi provinciâ, Magdeburgiâ Potsdamum migrare liceret, nec tamen *Episcopi*

(1) Dicitur libellus, quem a Königio, Protestantium Antistite Anderbeckensi, conscriptum esse laudata narrat *Germanorum Necrologia: Der Bischof* Dräseke *u. sein achtjährisches Wirken im Preuszischen Staate*, *von* G. v. C.; *Bergen*, 1840. 70 pp. f. 8 min. Cujus satirae quo plenius cognoscatur ingenium, ecce unum aliquem ejus locum: »*Wäre* Dr. *Privatmann*, *so* »*möchte er in Gottesnamen Herrnhuther werden oder Quäker. Er ist aber Gene*»*ralsuperintendent*, — *da sollte er seyn erhaben über alle Sectirer und über alle* »*Parteiungen. Das ist er aber nicht*, *er hat*, *geblendet von den Bischofstitel*, »*sich in dem Kopf gesetzt auch ein Bischof in seiner Art zu seyn*, *den Glau*»*ben zu reinigen*, *die Kirchendiener nach seinem Belieben auszusuchen*, *kurz er* »*hat*, *wo nicht den gottgefälligen*, *doch den selbstgefälligen Plan gefaszt*, *das* »*Reich Gottes in seiner Umgebung so zu gestalten*, *wie er es für gut findet. Das* »*darf er aber nicht*, *und soll es nicht weiter thun*, *dafür ist bereits gesorgt.*" — Profecto nimis bene isti curârunt *Lucis Amici!* — Caeterum libenter fateor non tam plene quaecunque egerit, mandaverit, prohibuerit Episcopus mihi cognita esse, ut justum de iis ferre possim judicium.

nomine ac dignitate se abdicare concederetur. Quae quum ita decreta essent ac gesta, ab anni inde 1843 verno tempore, solitariam Potsdami vitam egit, atque ibi, eo quo supra diximus die a. 1849, placidâ morte occubuit.

Quod Viri, omnium olim laudibus celebrati, postea multorum in immeritam invidiam ac contemtionem adducti, recentiora imprimis fata paullo copiosius narravi; quid maxime spectaverim lectores ignorare nolo. Luculento enim hoc illius proposito exemplo junioribus constet Theologis velim, ab auctis in Ecclesiâ aut, si forte, in civitate honoribus nullum sibi ut plurimum quietis aut prosperitatis sperandum esse incrementum, neque igitur de Providentiae sibi conquerendum esse iniquitate, si diu aut semper adeo, inferiore loco collocati ac relicti, Christi Societati ministrari debeant. Profecto enim, quod verissimo dicitur veterum proverbio, *bene vixit qui bene latuit.* — Tum nulla esse arborum folia floresque, qui citius exarescant, mortalium quam laudes plaususque, Dräsekii denuo nobis eluxit vitâ ac fatis.

Antiquo in *Westphaliae* Circulo, Marchiae in Comitatu, oppidum est *Hammona* dictum, Lippiae fluvio adjacens, quod nullo quidem magnopere conspicuum est externo splendore, sed idem in artium ac disciplinarum historiâ magis celebratum, quam opulentiores multae Germaniae civitates. Longo enim temporis spatio *academicum* ibi floruit *Gymnasium*, sive *Archigymnasium*, quod non paucos variâ doctrinâ claros habuit Professores, qui, posteaquam hîc docendi tirocinia fecerant, in illustriores vel Germaniae vel Nederlandiae Musarum sedes evocati, famae sibi celebritatem comparabant (1). Huic autem Hammonae oppido

(1) Vid. C. F. Wachter, *geschichtl. Nachrichten üb. das Hammsche Gymnasium; Hamm*, 1818. Conf. nostrum opus: *Geschied. der Geld. Hoogeschool*, I. 215. II. 654 aliisque locis, in *Ind. rerum* notatis.

novum aliquod decus peperit, qui ibi et d. 3 Aprilis a. 1770 natus est et diu vixit, RULEMANNUS FREDERICUS EYLERT. Hunc enim, pariter ac Thereminium et Dräsekium, de quibus modo antea diximus, paucosque alios ejusdem palmae socios, in nobilissimis censendum esse, quos recentiore hoc tempore Germania extulerit, Oratoribus sacris, plerique omnes, ni fallor, Clarissio (1) consentient. Verum eloquentiae hanc laudem si cum aliis communem habuit Viris de Ecclesiâ bene meritis, Eylertii singulatim ad immutandam utriusque Germaniae Protestantium Societatis externam conditionem ac necessitudinem efficax consilium apparuit atque auctoritas. De hocce sane Theologo, quo ignorato recentissimam Ecclesiae historiam nemo plene cognoscere potest, pauca ex multis nobis dicenda sunt. — Halensis igitur Academiae institutione usus Eylertius, adeo non, multorum instar commilitonum, *περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγη*, ut fide Christo habitâ confirmatus potius, quam labefactatus, patriam ad urbem rediret ac dilectissimum ad Parentem, Euangelii ibidem Interpretem fidelissimum. Cui continuo Collega datus ac postea Successor suffectus, tredecim per annos, i. e. anno 1794 usque ad a. 1807, Hammonae Reformatorum coetui singulari curâ praefuit et vigilantiâ et assiduitate, eoque Pastorem cum grege conjungente perpetui amoris vinculo, quod nulla unquam solveret neque attenuaret temporis diuturnitas.

Etsi adhuc satis obscuro vixerat in patriae oppido, non obscurum tamen apud cives ipsius manserat nomen. Neque enim mediocrem ei facundiae famam, pro Christianorum concione habitae ac deinde publicatae, parabant orationes; eae maxime, quae ad erigendos Patriae aerumnis depressos auditorum animos accommodatae erant. Atque, exeunte imprimis Hammonensi illius, de quo pauca dixi, tempore, et per illas factum est sacras orationes et per alias, de quibus exponere longum est, rerum opportunitates, ut augusti Borussorum Regis, Frederici Wil-

(1) In *Encycl. theol. epitome*, p. 35.

helmi III, primum in notitiam, deinde in favorem, tandem in amicitiam perveniret. Cujus amicitiae ipse nobis testis est locupletissimus Eylertius. Qui, non diu post defunctum, medio anno 1840, Regem eundemque Patronum propensissimum, copioso edito opere, illius et *characterem* et ex parte certe *vitam* sibi describendam putavit (1). Quem librum, utut praestabilem, integriores etiam laudes habiturum fuisse non nulli putârunt, si brevior esset, nec toties per insertas orationes variique generis excursus abruptam haberet narrationis telam, ac si Regis optimi semper *Historicum*, nunquam *Panegyricum* egisset Auctor. A quorum judicio si non plane dissentio, fatendum tamen est multos hîc me locos invenisse multasque narrationes, tam nativâ lucentes pulcritudine ac tam manifesta habentes veri indicia, ut iis legendis ac relegendis satiari vix possem. Nec dubitandum est quin ex eodem hocce opere permulta haurire liceat, ad temporum illorum res civiles cognoscendas atque ecclesiasticas utilissima et fructuosissima. Verum, ut eo redeat oratio, permultis hîc nobis exemplis constat ac documentis, Regem inter et Eylertium eam intercessisse amicitiae familiaritatem, quâ potentissimo jungi cum Principe rarissime pio ac fideli contingit Euangelii Ministro.

Non mirum igitur in illum alios ex aliis eum non contulisse, sed effudisse honores. Primum quidem, a. 1806, Hammonâ Potsdamum est evocatus, ut et *Aulae regiae* et *militum Praesidio*

---

(1) *Charakterzüge u. hist. Fragmente aus dem Leben des Königs von Preussen* Friedrich Wilhelm III. III *Bande; Magdeb.* 1843—1846. Multos invenisse opus ac cupidos emtores, hinc apparet quod Tom. I quartâ editione publicatus est, *ibidem,* 1844.

Tertiam totius operis editionem expressit rev. A. H. van der Hoeve, cui universe elegantem illius nostram in linguam debemus conversionem; *Amst.* 1847. 1848. Ubi binas in Partes dispertitum exstat Volumen III, ac 1600 circiter pagg. opus implet; de quo accuratam scitamque legendam commendo relationem, cujus auctor dicitur M. V., in Ephem. *Vad. Letteroeff.* ad a. 1848. 1. p. 162 sqq. et p. 203 sqq., ad a. 1849, 1. pag. 335 sqq.

a sacris esset *concionibus* (1). Quam tamen provinciam proximo demum anno ingressus est. Deinde *Superintendentis Potsdamensis regiique Consiliarii* munere est auctus. Tum *rerum Regni internarum Administro* ita eum adjunxit Patronus, ut *in negotiis* ei *a consiliis* esset *ecclesiasticis et paedagogicis et medicis.* Verum ampliora etiam eum munera manebant. Anno enim 1818 defuncto Sackio suffectus est *Episcopus euangelicus.* Ac tandem, alia ne memorem ornamenta atque insignia, ut caeteris etiam praecelleret Ecclesiae Borussicae Praesulibus, *primarium Episcopum euangelicum ac Brandeburgiae Dominum cathedralem* dignitatis eum Fautor dixit constantissimus ac benevolentissimus. Cui per duodecim fere annos superstes hâcce in terrâ vixit, illius a Successore, Frederico Wilhelmo IV, novo adauctus honore. — Tandem, pectoris hydrope posteaquam aliquamdiu laborârat, d. 3 Februarii a. 1852, aetatis annum agens octuagesimum et secundum, hinc abiit Vir aetate gravis ac meritis (2).

Jam si quaeritur, quibus potissimum officiis Ecclesiam sibi devinxerit magni nominis hicce Theologus; duo maxime nobis in censum veniunt rerum momenta; et qualis Regis sui Patronique *Consiliarius* fuerit, et qualis Christi Societatis *Orator?* Augusto igitur, quem diximus, Borussiae Regi et alias ab intimis eum fuisse consiliis inter omnes constat, et ubi hic, a. 1817, tertii instauratorum Sacrorum festi secularis opportunitate usus, diu sejunctos *Lutheranorum* coetus ac *Reformatorum*, et suo in Regno et in aliis quantumpote Germaniae regionibus, unam in *Ecclesiam euangelicam* conjungendos curabat atque aggregandos. Quod ita factum esse novimus, ut simul nova quaedam cultûs sacri ordinandi ratio (3) huicce jam constitutae Ecclesiae sequenda

---

(1) Militibus singulatim prodesse voluit edito hujus nominis Fasciculo: *Predigten, Reden u. Lieder für Militär Gemeinden; Berol.* 1834.

(2) Plura de ejus vitâ atque honoribus vidd. laudatâ *Germanorum* in *Necrologiâ,* loco postmodum accuratius notando.

(3) Germ. *Kirchen-Agende.*

praescriberetur aut certe commendaretur. Ad hanc autem utriusque formulae coetuum conjunctionem et praeparandam et sanciendam et stabiliendam, atque ad Sacrorum ordinationem his potissimum regulis adstringendam, nullius vel Theologi vel rerum civilium Administri tantum apud Regem valuisse consilia atque auctoritatem, quantum unius Eylertii, quum aliunde satis constaret, tum uberius etiam ejusdem Regis ex *Vitâ* constitit, ab illo conscriptâ.

Equidem quantopere lites doleam rixasque et altercationes, quae, veluti pleno ex alveo ex conjunctione illâ manârunt, quam non restituta Christianorum concordia peperit, sed unius sancivit Principis voluntas; hîc denuo dicere ac declarare nihil attinet. Ante permultos enim annos *laetari* me publice dixeram, nostrâ in Patriâ, »*hâc certe aetate, detersas esse* Protestantium »*quidem Theologorum ex mentibus, quae inveterâssent jam, odii* »*in fratres labes ac maculas.*" Ubi haec tunc continuo adjicienda putavi:

»*Quod si quis reponendum putet aut objiciendum, nondum in* »*unam eandemque omnes Nederlandiae Protestantes societatem* »*coaluisse, quum sua quibusque priva maneant ac peculiaria et* »*templa et leges domesticae; ex eo unum hoc arbitror esse quaerendum, si quos fratres noverit, diuturnis inter sese odiis exacerbatos, qui nunc tandem in gratiam redierint, num hos, quo* »*firmior scilicet et constantior reconciliata sit amicitia, in unius* »*sedis putet domûsque claustra cogendos esse et compellendos?* — »*Quicquid sit, vera Protestantium unitas non in corporum cernitur, sed animorum conjunctione; non templorum aut institutorum, sed mentium et sensuum communione spectatur et consociatione*" (1).

Haec ipsa sunt, quae, ante hos triginta tres et quod excurrit

(1) Vid. (in *Annall. Acad. Rheno-Traj.* a. 1823—1824) *or. de Belgio* (i. e. *Nederlandiâ*) *disciplinae theol., nostrâ impr. aetate, sede pulcherrimâ et maxime opportunâ,* p. 22. 23.

annos, profiteri non dubitavi. Ac profecto quae, quum diu antea, tum proximo imprimis hoc tempore, apud Germanos facta vidimus, quae publice ibi scripta vel privatim agitata doluimus, ea ejusmodi fuerunt, ut ad comprobandam potius valerent, quam ad enervandam, quam olim professus eram, sententiam. Nec sane, si vel Fredericus Wilhelmus III vel Eylertius mala praevidisset, ex praematuris exstitura Protestantes unam in Ecclesiam cogendi conatibus, rem tam arduam sibi periclitandam esse putâssent. Verum, etsi minus considerata quis utriusque existimet consilia, non sine summâ tamen iniquitate horum pietatem in dubium revocare poterit ac sanctitatem. Voluit enim uterque *Indifferentiae* frigori, quo multorum in Borussiâ animos obriguisse videbant, remedium parare ac medicinam; ad templa eos revocare voluit ac reducere turpiter deserta; inter eos, quos consociatos tenere ejusdem debuerat amor Domini Christi, pacem restituere voluit uterque ac nimis diu diruptam amicitiam. Nec per maxima, quae objiciebantur, obstacula ac difficultates a generosis persequendis inceptis vel Rex sese deterreri passus est vel Episcopus. Hanc certe piam utriusque *voluntatem* laudet oportet quicunque Christum amat, ac Christi Societatem tandem aliquando *unam* futuram esse sperat. Ne monitum addam *non ab eventu facta notanda esse.* Nec vero diffitendum est multorum certe, qui, quae a. 1817 conjungi incepta sunt, nunc postliminio disjuncta volunt, querelas ac criminationes majore acerbitate ac rixandi studio cerni, quam aequitate, quam prudentiâ et lenitate (1).

---

(1) Per novam Sacrorum, quam commendaverat, ordinationem ipsam adeo *regeneratum iri* ac novam accepturam esse vitam *Ecclesiam,* pie ac fidenter sperabat Eylertius. Quod et aliunde apparet et imprimis ex illius libello: *Ueber den Werth u. die Wirkung der für die evang. Kirche in den K. Preusz. Staaten bestimmten Liturgie u. Agende, nach dem Resultate einer zehnjärigen Erfahrung u. s. w.; Potsd.* 1830. Quo de libello copiose retulit, ac cujus acerbe dictis acriora non nulla reposuit cl. Nitzschius, in Eph. *Stud. u. Krit.* Tom. V. 1832, p. 469—476. — Alia etiam ad commendandam novam q. v. *Agendam liturgicam* vel solus edidit E. vel Socio Jonasio, Antistite Berolinensi, quae singula recensere non possumus.

Verum his de rebus quamvis diversa a lectoribus nostris ferantur judicia; praestantissimis certe editis *orationibus sacris* de civibus suis, partim etiam de exteris, optime meruisse Eylertium omnes, ni fallor, mihi consentient. His illius in orationibus nullae sunt, quae nostratibus magis innotuerint, quam *Homiliae Christi de parabolis*, quibus praemissa est *de privo earum charactere commentatio.* Has enim Homilias nostram in linguam convertit, suis ipse animadversionibus locupletavit, ac de meliore notâ nobis commendavit Nicol. Westendorp; cujus mortem adhuc Archaeologia luget Nederlandica (1).

Sed ibi se ipso mihi major videtur Orator, ubi *consolatorii* generis attingit argumenta. Quam plurimis enim illius concionibus illud propositum erat, quod superiora jam docuerunt, consilium gravissimum, ut depressis per terrae miserias mortalibus coelestem offerret ac commendaret Euangelii medicinam. In quam maxime dicendi partem Auctorem animus impulit Christi fratrumque amantissimus, *gaudens* ille *cum gaudentibus*, *cum plorantibus plorans*. *Modo* igitur lectores obsecrantem eum audimus ut, coelestia spectantes ac sperantes, ne per incertum atque ancipitem rerum humanarum cursum et eventum animi quiete et tranquillitate sese defraudari patiantur. *Modo* domestica auditorum mala respicientem eum videmus ac quantumpote lenire conantem. *Modo* omnes eloquentiae veluti nervos intendentem conspicimus, ut fratres consoletur defunctorum funera lugentes necessariorum. Ecce vero alium tibi ejusdem oratio-

---

(1) *Homilien üb. die Parabeln Jesu, nebst einer Abhandl. üb. das Charakteristische derselbe; Halae* 1806 et iterum 1818. Hîc 20 Homiliis de octo solum agitur Christi parabolis. — Ipsum opus, Nederl. conversum ab N. W., editum est *Gron.* 1810. Commentationem praemissam, seorsum editam, idem subjecit Interpres doctissimus; *ibid.* 1818. Opus universe valde laudatum est plerisque a Censoribus Germanis, de quibus vid. Fuhrmann. *Handb. der theol. Lit.* II. 2. p. 262 sqq.; — item nostrate a Censore, in *Biblioth. van theol. Letterk.* VIII. 2. p. 910 sqq. De commentatione praemissâ vidd. *Bijdr. tot de beoef. en gesch. der godgel. wet.* VI. 2. p. 703 sq.

num Fasciculum, ubi, non minore usus facundiâ, afflictae Patriae de sorte ac liberatione ne desperent, Vatis instar, cives admonet et adhortatur (1). — Hae igitur pulcherrimae fuerunt consolatorii generis conciones, quae Regem, quem diximus, optimum multosque ejus cives, vel per domestica mala depressos, vel per Patriae, ab exteris vexatae, cladem, erigerent atque *Auctori* conciliarent. Quid vero *Auctori?* Id potius praecipuum Oratoris est meritum censendum, quod, *Jeremiae* Prophetae exemplo, *qui fractas sibi cisternas exciderant ac perfluentes*, aequales ad eum, quem reliquerant, reducere conaretur *aquae vivae Fontem*, id est ad Deum Christumque, atque Euangelio, a quo desciverant, reconciliare (2).

---

(1) *Consolatorio*, de quo diximus, in genere haec numerari possunt: *Betrachtungen üb. die lehrreichen u. trostvollen Wahrheiten des Christenth. bei der lezten Trennung von den Unsrigen; Dortm.* 1803, ex 4tâ ed. *Magdeb.* 1834. Hisce orationibus omnium primum, quantum novimus, ab Eyl. editum, scriptum continetur. Cujus *prima* editio si subinde juveniliter exuberantem habebat stilum; *quarta*, multum mutata illa et aucta, senilis sapientiae maturum nobis percipiendum offert fructum. Cf. Fuhrmann. l. l. II. 2. 378. 443. Praeclarus hic liber iterum nostram in linguam conversus est et nostratium usibus adaptatus, hâc inscriptione: *De Christen aan de bron van troost bij het verlies van dierbare betrekkingen. Naar het Hoogd. door* A. H. van der Hoeve; *Amst.* 1849. Interpretis operam merito laudat Censor, qui omnino consulendus est, in Eph. *Vad. Letteroeff.* 1850. I. p. 101 sqq. — *Ueb. Geistesheiterkeit u. Gemüthsruhe, Predigten nach Grundsätzen der Rel. J. C., für gebild. Christen; Brunsv.* 1805. II Tomis. Hocce opus et per se est editum, et proxime laudato ita subjectum atque adjunctum, ut illius diceretur *Tomus secundus et tertius.* Nostram in linguam conversum, inscribitur: *Leerredd. over de blijmoedigheid van geest en de rust des gemoeds, volgens de grondstellingen van het Christend.* II Tomis f. 8 maj. Speramus fore ut pretii, quo nunc nostratibus offertur, aequitas ad librum sibi comparandum multos alliciat. — *Worte der Belehrung u. des Trostes üb. den jetzigen Gang der Dinge, gesprochen in den Tage der Noth u. s. w. Potsd.* 1808. — *Die weise Benutzung des Unglücks. Pred. geh. im J.* 1809 *u.* 1810; *Berol.* 1810. Uterque, quem proxime laudavi, oratt. s. Fasciculus ex miserâ conditione exstitit Regni Borussici, pessime tunc a Napoleonte habiti. — Ac Patriae etiam conditionem conciones respicere videntur, q. d.: *Predigten üb. Bedürfnisze uns. Herzens; Hal.* 1813.

(2) Cf. *Jerem.* II. 13.

Atque eadem haec laus in alias multas convenit (neque enim omnes enumerare possum) illius conciones, quas vel suo Marte seorsum evulgavit, vel in *orationum sacrarum Promtuariis*, ad quorum curandam editionem cum aliis Ecclesiae Germanicae Coryphaeis suam consociaverat operam (1). Ne de *sacris* quid addam *Canticis*, quae vel orationibus subinde adjecit, vel sola publicavit (2). Ubique enim vel *Oratorem* videmus vel *Poëtam* (nam ipsis etiam in orationibus non raro poëtici quid inerat), *quem non puderet Euangelii Christi; quippe quod sit divina potentia, salutaris omni fidenti* (3).

Quo tempore igitur et quibus in regionibus antiquatam jam esse atque obsolevisse multi contendebant hanc salutis doctrinam, non sine Dei O. M. Numine factum est et providâ curâ, ut eam, quâ maximâ poterant orationis copiâ atque eloquentiâ, tuerentur propugnarentque Thereminius et Dräsekius et Eylertius et alii, quos *testes veritatis* jure dixeris, Viri gravissimi ac dicendi facultate plerisque antecellentes aequalibus.

---

(1) Vidd. *Neuestes Magas. von Fest-Gelegenheits u. andre Predigten. Herausgegeb. von* Hanstein, Eylert *u.* Dräseke. VI *Bande; Magdeb.* 1816—1822. — *Mag. von Casual, besond. kleine, geistl. Amtsreden. Herausgegeb. von* Eylert, Arndt, Marheineke, Hossbach, Lisco, de Wette *u. s. w.* VIII *Bande; Magdeb.* (nisi fallor) a. 1830—1842.

(2) *Geistliche Lieder.* I *Spende; Berol.* 1834.

(3) De Eylertio consuli quidem potest opus: *Neuer Necrol. der Deutschen,* XXX. 1852. 1. p. 83 seqq. Sed longe plenius cognoscetur ipse ex *Charactere ac Vitâ,* quam descripsit, Regis *Fred. Wilh.* III.

MONITUM,

QUO, PER SUBLATAM THEOLOGORUM EX SCHOLIS ACADEMICIS LINGUAM LATINAM, QUAE SACRAE DISCIPLINAE SPERANDA SIT PROGRESSIO DISQUIRITUR.

Nulla facile certior ac paratior, quâ permultis nunc te commendare possis aequalibus, via patet ac ratio, quam si confidenter eâque, quae ab omnibus audiatur, voce profitearis atque exclames: »*Non retro nobis gradiendum est, non standum, sed quam celerrime potius et quam longissime progrediendum.*" Contra caute videndum esse si monueris ne, qui *progressus* videbatur, eum re et veritate *regressum* fuisse usu appareat atque experientiâ, neque igitur temere nec sine justâ caussâ Majorum instituta abroganda esse si affirmaveris; eo ipso, Diariorum non paucorum atque Ephemeridum judicio, huicce tempori imparem atque illiberalem te hominem demonstrabis. Illorum enim de sententiâ scriptorum periodicorum, quae a Majoribus nostris lux habebatur, ea, si hujus aetatis cum sapientiâ comparatur, verissima est dicenda caligo.

Hocce igitur *progrediendi*, id est quae diuturno usu invaluerunt aut legum adeo auctoritate sancita sunt mutandi, abrogandi, antiquandi, studium ac desiderium nullas non attingit et afficit artium disciplinas. Nam ita demum pulchram ac fructuosam iis operam dari posse multi statuunt, qui a *liberalitate*

laudari volunt, earum cultores, si aliter plane, quam adhuc factum erat, tractentur ac tradantur. — Magnopere igitur mihi reformidandum est ne aliorum in reprehensionem, aliorum in irrisionem etiam incurram, ubi theologicis ex Scholis Romanorum sermonem non arcendum esse nec abrogandum demonstrare instituero. Verum et hi et illi *retrogradum* me habeant malo, quam meus ipsius animus ita me humilem arguat ac pusillum, ut a caussâ, multis quidem displicente, sed justissimâ eâdem, pro virili parte defendendâ Seculi me deterreri patiar levitate ac temeritate. Nec igitur nunc repetere vereor quae, quo loco Clarissii, magni in paucis Theologi ac Polyhistoris, eandem hanc caussam copiose tuentis, sententiam exposueram, olim me profiteri memini: »*Sit sane* Cassandrae *haec vox, cui non pauci* »*irrideant novitiae suae sapientiae popularitate sibi placentes* »*aequales. At audiant prudentiores utinam nepotes* (1) *!*" Quod vero nunc ita amplifico votum: »*Utinam ne sero nec re amplius* »*integrâ nepotes audiant!*"

Disputationi pauca ex multis praemittamus historica, vel ad *Germanos* pertinentia, vel ad *nostrates* (2). Apud *illos*, teste J. M. Gesnero, qui, medio circiter proximo seculo, magnâ florebat elegantioris doctrinae laude, »*olim nefas putabatur in*

---

(1) Vid. *Memoria Clarissii*, p. 201—203; ubi quomodo, ineunte hocce seculo, quaestionem judicaret Praeceptor, ipsius repositâ disputatione, exponitur. Nec, triginta post annis, sententiam mutâsse Virum constantissimum, luculenter ex ejus apparet *Epit. Enclop. theol.* § 26 (ed. alt.). Eo gravior autem illius hîc est auctoritas, quo majorem ac quo laudatiorem in *Nederlandicis* excolendis Litteris et Juvenis collocavit et Senex. Quâ ipsâ de re plura diximus, *Memoriae* p. 181 sqq.

(2) Alia nuper memoravit cl. C. M. Francken, in *or. de linguae Litterarumque Lat. studio h. t. non negligendo; Leov.* 1856. Cui quae, p. 35 sqq., subjecta exstat, docta annotatio multos alios laudat, qui hoc in argumento versati sunt, auctores. — Multa etiam cognosci possunt historica ex libro, quem edidit M. W. Heffter, Gymn. Brandenburg. Prof. et Prorector: *Die Geschichte der lat. Sprache während ihrer Lebensdauer; Brandenb.* 1852. Pp. 196. Cui postea adjectum comparuit additamentum aliquod.

» *Academiâ aliâ uti, quam Latinâ, linguâ. Et ante* L *aut* LX »*annos ab hoc more nemo recedere audebat. Quum vero, a.* 1695, »*Halensis conderetur Academia, non nulli hoc mutare inceperunt.* »*Sed apud quosdam non satis bene res processit, et apud multos* »*male eo nomine audiebant. Primus fuit* Christ. Thomasius, »*qui prae odio harum Litterarum, quod conceperat, patris* Ja»cobi *disciplinam fugiens, Halam se contulit deditque occasionem* »*Academiae condendae. Hic igitur quum Latinam nesciret lin*»*guam, usus est Germanicâ. — Atque haec satis citos habuit* »*progressus moxque praevaluit. Medici soli retinuerunt antiquum* »*morem usque ad hunc* [id est docentis Gesneri] *diem, in* »*Germaniâ non tantum, sed in totâ paene Europâ. Quod forte* »*ideo faciunt ut excludantur Medici secundarii, Chirurgi et* »*Pharmacopolae. Hinc inter illos semper elegantioris Littera*»*turae statores fuerunt* (1)." — Haec et alia de *Germanis* Gesnerus; cujus in patriâ postea latius etiam serpsisse vernaculi sermonis usum, ac nullas non Academias in iisque nullum non disciplinarum Ordinem inundâsse novimus omnes. Quamquam ne ibi quidem priscae defuerunt eruditionis patroni, qui doctis ex auditoriis doctorum exclusam se nolle linguam significarent (2).

---

(1) Vidd. J. M. Gesneri *primae lineae Isagoges in erud. univ. Accedunt nunc praelectt. ipsae* caet. *Ed.* J. N. Niclas (*Goett.* 1784). Tom. I, p. 99 sq. — Ne supra minus accurate Gesneri definiisse videar aetatem, verbo monendum est diem eum obiisse m. August. a. 1761. Vid. de summis illius meritis elegantissima J. A. Ernestii *narratio, Opuscc. orat.* (L. B. 1762) p. 307 sqq.

(2) Nuperrime Hagenbachii me querela advertit, Theologi praestantissimi, dolere se significantis quod multi hodie humaniores contemnant Litteras Theologiae cultores, atque adeo illud, quod olim cum Philologiâ conjunctam eam tenebat, vinculum ac foedus dissolverint. Vid. illius oratio *de deflorescente disciplinâ sacrâ*, in Gelzeri *protest. Monatsbl.* VII. 6, ad m. Jun. 1856, p. 382. — Verum prae caeteris de meliore notâ Wilhelmi Böhmeri, Theol. Doct. et Prof. Wratislav., commendanda est disp. (in *Allg.* (*Darmst.*) *K. Zeit.* 1851, No. 26) *de notionum Christianarum Latino sermone enuntiatione.* Ubi justâ cum indignatione Richardum Rothe refutat; qui (in

Longe diutius vero eidem sua, quae antiquitus habuerat, jura intacta vindicârunt atque illibata nostratium Academiae. Eas enim non aliarum instar inferioris ordinis Scholarum esse voluerunt Majores, sed ab iis potius omnibus, quum aliis praerogativis, tum ipsâ, quâ doctrinas traderent, propriâ sibi privâque linguâ, sejunctas ac segregatas, disciplinarum *Universitates*, sive civitates eruditas. Quippe ad quas non civibus solum, docendi peritis aut discendi cupidis, sed exteris etiam quum Doctoribus, tum discipulis aditum aperire vellent ac facilitare. Atque hoc, quod condendis tuendisque Musarum sedibus secuti erant, consilium tam feliciter sunt assecuti, ut ad proximi certe seculi exitum usque, illarum in Professoribus ac Studiosis minime rari numerarentur pluribus advenae ex populis exteri. Quos vero nullâ certiore viâ illis a sacrariis arceri posse atque abigi, quam si vernaculo aliquo sermone, solis cognito civibus, uti inciperent, pro suâ facile perspiciebant prudentiâ. Quod profecto si facere instituissent, nec, medio seculo decimo octavo, Hermanni Venemae, Theologi Franequerani, nomen ab ipsis etiam pueris *Hungaricis* celebratum fuisset (1), nec eodem exeunte, ad Pestelii, Juris Antecessoris Leidensis, Scholas ex nullâ non Europae cultioris parte frequentes confluxissent auditores. Verum graviores etiam alias iis fuisse caussas eâ potissimum, quâ diximus, ratione academicam ordinandi institutionem mox nobis apparebit.

Ineunte anno 1795, vehementi rerum conversione concussâ Patriâ, ad nulla non mutanda Majorum instituta coeco multos impetu praecipites ruisse novimus. Ac de Academiis etiam vel

---

op. *theol. Ethik*, T. II, p. 43) ex seposito atque abrogato sermonis illius usu insignia humanitatis cultum incrementa cepisse contendere non dubitaverat. Cui igitur strenue occurrens Böhmerus, Erasmi, Nederlandi, et Melanchthonis, Germani, et Calvini, Genevensis, honorifice nomina nuncupat; quippe qui, quum intimam cum L. L. familiaritatem contraxissent, praeclare iidem de nostrâ meruerint disciplinâ.

(1) Quod factum esse testatur J. H. Verschuir, Venemae in *Elogio* (*Franequ.* 1788) p. 37.

abrogandis vel in formae novitatem redigendis non pauca vel prudentia sunt agitata consilia vel temeraria. Nec tamen academicum antiquare Latine loquendi morem plerisque placuit, quorum alios alii excipiebant, Reipublicae Moderatoribus. *Frisii* quidem, quo tempore maxime fervebant summa imis miscendi studia, ineptum aliquod tulerunt ac publicârunt decretum, quo Academiae, quae tunc erat, *Franequeranae* Curatores eodem tempore alii *Latinistae* praeficerentur, alii *Non-Latinistae*. Quo posteriore nomine eos ibi nuncupatos esse videmus, quos Romanorum ignorare sermonem constaret (1). Verum brevi deferbuit hic eorum, qui nihil non *revolutum* volebant aut *provolutum*, aestus febrilis. Nec quicquam aliud effecisse videtur, nisi ut, et alibi et in ipsâ adeo Frisiâ, moderatiorum omnium vel risus excitaret vel miserationem.

Universe re spectatâ, ne per vehementissimas quidem, quibus, a. 1795—1813, nostra jactata est Patria, rerum civilium conversiones de linguae Latinae juribus academicis quicquam magnopere detractum est. Quod et aliunde constat, et luculenter Academiarum ex Ordinatione apparet, quae, restitutâ in Nederlandiâ, in consilium advocatis H. Collotio d'Escury, H. Tollio, J. M. Kempero, H. Muntinghio, D. J. Lennepio aliisque Viris primariis, d. 2 August. a. 1815 regio sancita est decreto. Hujus enim *articulo* 66, *sicuti antea factum erat* (2), ita porro, *aliis exclusis linguis*, institutionis ad usum solam adhibere Latinam variorum Ordinum jubentur Professores. Quâ tamen lege (ita enim ibidem statutum exstat) nec Litteraturae Nederlandicae Professores tenebantur nec doctrinarum oeconomicarum. Atque alias etiam, si quando id expediret, excipiendi doctrinas copia dabatur Curatoribus. Nec vero

---

(1) Vidd. quae diximus in *Acad. Gelr. Hist.*, Tom. II, p. 447. — Quâ contra severitate ac constantiâ L. L. usum antiquae nostrae tuerentur Academiae, *ibidem* archetypis ex monumentis declaravimus, Tom. I, p. 373, Tom. II, p. 104, 406. Caeteris enim Patriae Academiis non alia hîc fuisse, quam *Gelricae*, studia luculentis mihi constitit documentis.

(2) Hâcce latâ lege diserte *retineri* dicitur receptus L. L. usus.

in generaliore hoc, quod Doctoribus officium scribebat, decreto subsistendum idem sibi putavit Legislator. *Articulo* enim deinceps 101, vetandum curavit ne ulla, quâ ad Candidatorum aut Doctorum gradum obtinendum via pararetur, Studiosorum probatio, nisi diserte permittentibus Curatoribus, alio institueretur, quam memorato sermone. Nec quicquam facile aliarum cautionum eadem praetermisit Ordinatio, quo Musarum his a sedibus vernacula posset arceri lingua. *Latine* enim, quas ad cujusvis doctrinarum Ordinis praemium ambiendum Studiosi probandas offerrent, scribendae erant disputationes. Vid. *Art.* 207. 208. *Latine* item quaecunque solenniore modo vel ritu ageret, statueret, ediceret, vel epistolis datis ad alios perferret, vel suis ipse Actis atque Archivis consignandum curaret Senatus. Haec enim stricte admodum atque accurate praescripta exstant., *Artic.* 247, §. 2, *Art.* 254, *Art.* 258, §. 2[b]. Tandem *Latine* habenda annua quaeque Rectoris Magnifici, magistratu sese abdicaturi, oratio. Quod diserte mandat *Art.* 251.

Ex collatis igitur legis illius praescriptis satis superque eos apparet, de quorum consiliis, a. 1815, Guilielmi I decreto nostrae sunt ordinatae Academiae, Viros gravissimos, qua maximâ possent operâ, ad eandem eas, quâ adhuc usae erant, linguam retinendam obstringere voluisse. Nec iis, qui proxime secuti sunt, annis quemquam apud nostrates Virum exstitisse novimus prudentiorem, cui haec eorum displiceret aut male doctrinarum studiis consuluisse videretur voluntas et institutum. Verum, ultimo imprimis conflati ex Batavis ac Belgis Regni Nederlandici tempore, plurium audiri inceperunt voces Novatorum, qui in ordinatis a. 1815 Academiis quum alia multa reprehenderent, tum impositam iis Latine loquendi necessitatem. Quorum igitur vel criminationes vel querelae quo accuratius perpenderentur, medio fere anno 1828, ex unoquoque Academiarum nostrarum Senatu publicâ auctoritate et aliis de rebus quaesitum est, illarum ad informationem pertinentibus, et, repetitâ adeo quaestione, quid de linguae Latinae judicandum videretur ac Regi suadendum usu

academico. Atque hîc eorum, quae Academiae Rheno-Trajectinae Senatus respondit, summam quam brevissime referre juvat. Huic igitur, re iterum in deliberationem missâ, quod laudatae anni 1815 legis *Articulo* 66 sancitum erat, id non nullis quidem exceptionibus, sicuti antea, ita nunc etiam limitandum, caeterum universe omnino tuendum videbatur ac confirmandum. Secus enim si fiat (sic summatim, quem dixi, Senatus) concident Gymnasia atque una cum iis Litterarum studia humaniorum. Neque enim amplius quemquam eorum alumnum ad discendi industriam cogitatio impellet: »Nisi Romanorum bene perceptâ linguâ, ad Academiam admitti non poteris in eâque fructuose versari." — Deinde optimi quique classicae antiquitatis Auctores tam singulari vel venustate commendantur vel sublimitate, ut, etiamsi quis eo solum adductus consilio iis operam dederit, ut eorum sermonem percipiat atque orationem, eo ipso tamen studio ad ea, quae sua etiam, in quâ vitam posuerit, disciplina bona habeat et pulcra et elegantia, plenius cognoscenda atque accuratiore sensu judicanda conformetur atque adjuvetur. Hic igitur adolescenti doctrinae fructus ita certissime constabit, si, sine cognitâ eruditorum linguâ, nec Praeceptores intelligendi copiam sibi fore sciverit, nec respondendi exercitiis iisque, quibus aliquando probandus erit, disquisitionibus progressuum specimina edendi. — Tum, nostris ut Academiis illud vindicetur, quod eas diu ornavit, decus honosque, ac maneant adeo subtilioris seminaria eruditionis, ab iis disciplinarum *fontes* inquirendi sunt atque *origines*. Cujusmodi eruditio non ex solis hauriri potest nostri hujus temporis scriptoribus, sed iis maxime ex auctoribus, qui Latine scriptis in operibus praeclaram variae doctrinae copiam consignandam curârunt. Quorum igitur operum studio, cum Latine docendi consuetudine atque officio arcte connexo illo, ne nostras quoque Palladis sedes Seculi levitas inquinet, quae, rerum veluti corticem tangens, in medullam non penetrat, efficaciter cavebitur. — Porro, eo inde remoto, qui doctae Civitatis commune bonum est, sermone, exteros removebis, id est vel arcebis vel abiges, quum Professores, tum

Studiosos. — Accedit quod longe arctioribus, quam Vicinorum non nullorum, finibus nostra conclusa est lingua, plerisque in Europae partibus ignota illa. Nobis igitur accurate ac perspicue Latine scribendi in facultate, quam excitant Academiae atque alunt, unum cernitur vinculum, quo cum universâ conjungimur eruditâ Republicâ, firmissimum. — Atque eodem cavetur usu ne multi Academias obruant inferioris loci adolescentes, qui, quum liberali caruerint educatione, illarum institutioni percipiendae minus sunt idonei censendi. — Nostris tandem Academiis nullo non tempore insigne aliquod decus conciliabatur ex conjuncto cum omnibus aliis, quibus haec prodesset conjunctio, disciplinis *classicae* studio Litteraturae. Atque hoc ipsum studium, per usurpatam Romanorum linguam suffultum et incitatum, ab inferioris ac medii ordinis institutione subtiliorem sejungebat doctrinam academicam illique potiorem reddebat. Neque igitur nobis committendum est ut insigni hocce honore Minervae sacraria defraudemus Nederlandica (1).

En igitur breve aliquod argumentorum summarium, quibus allatis, a. 1828, communi consilio sermonis, de quo dicimus, usum tuiti sunt nostrae hujus Academiae Doctores, quorum tunc in numero et alia variarum Lumina erant disciplinarum et Heringa (nam defunctos tantum non nullos nuncupo), J. H. Paravius, Heusdius, Schröderus, Arntzenius, Bleulandius, N. C. De-Fremeryus, H. J. Royaardsius. Quorum nemo, quantum memini, a laudatâ Senatûs sententiâ diversus abiit. Nec minus graviter quum alias eandem caussam multi egerunt Viri doctissimi (2), tum, illo maxime tempore,

(1) Vidd. imprimis altera eaque uberiora *consilia*, quae, d. 8 Julii a. 1828, hâcce de quaestione Academiae Rheno-Traject. dedit Senatus.

(2) Eodem fere, quo ea, quae diximus, agebantur, tempore academicum L. Lat. usum, publice edito commentariolo, tuitus est S. Ip. Wiselius, praeclaris tragoediis aliisque Nederlandice scriptis carminibus jure celebratus Poëta. Vid. ejus *Vita*, eleganter conscripta a Genero P. van Limburg Brouwer (Gron. 1846), p. 267. Quod magni Poëtae Nederlandici judicium memoratu mihi dignum videbatur.

plerique Academiae et Lugduno-Batavae et Groninganae Professores, quorum vita quidem terrestris nec vero nomen ac fama exstincta est, nunc etiam summo jure celebrata.

Sed antiqui memor proverbii: *ne sutor ultra crepidam*, quid aliis in doctrinis vel sequendum sit vel fugiendum, peritioribus judicandum permittere malo, quam arrogantius edicere. *Theologicae* quidem disciplinae, late patentis illius ac multa complexae, diversissimae mihi partes multos per annos docendae fuerunt, easque non audientibus solum, sed creberrime de iis Latine colloquentibus, centenis tradidi Juvenibus *Nederlandis*, permultis *Germanis*, aliis item exteris non paucis. Quocirca his certe, in quibus vitae tabernaculum posui, studiis nobilissimis valde accommodatum atque utilem se mihi longinquo probâsse usu eruditorum sermonem, homini, ad stadii metam proxime jam accedenti, modeste testificari licebit. Nisi forte nostros hos apud aequales nihil amplius diuturnae testimonium valeat experientiae.

Sed id agenti mihi rerum novitatis cupidum quempiam objicientem audio lectorem: »*Quid est*," inquit, »*quod Theologis, »postpositâ Nederlandicâ, mortuam aliquam institutioni adhibendam commendas linguam atque antiquatam?" Adeone innova»tam iterum iterumque hisce tuis studiis, ne obsolescant, vitam »impertiendam esse atque inspirandam ignoras?*" — Bona verba quaeso! Patrium quidem tanti facio sermonem, ut plerisque hodiernis a copiâ, perspicuitate aliisque praestantiae dotibus longe praeferendum eum existimem. Nec mediocriter me dolere profiteor, ubi nostris a civibus, libros edentibus aut orationes habentibus populares, nullâ urgente necessitate, *Francogallicum* illi substitutum video. Verumtamen nemo facile erit qui nunquam nec ullo loco ab ejus usu nobis recedendum esse contendat. Quod igitur si unquam aut usquam facere licet atque expedit, ut Theologorum fiat in auditoriis gravissimae sunt quae suadeant rationes. — Romanorum autem linguam quod *antiquatam* vocant; nostrâ hâc ex doctrinâ si forte omnia removenda sint, quae antiquorum nobis populorum mores legesque in me-

moriam revocent vel instituta vel cogitata enuntiandi rationes; Sacrarum Litterarum, non recentium profecto, studio noli quaerere quale fatum immineat et quanta clades. — Neque vero sine magnâ limitatione nec prudenti sine cautione est *antiquata* vocanda dicendi forma, cujus usu nullâ dum Novatorum operâ nec artibus nec irrisione nostratium certe defraudari sese passae sunt Academiae; — quam adhuc ab ephebis perceptam tenent atque intellectam quotquot per Europam, quâ late patet, et per cultiores alias terrae partes, dispersi habitant nomine digni Theologi; — quamque hoc ipso, quo vivimus, tempore eorum non pauci iique doctissimi ad suos quisque, quibus nostram ornant disciplinam, libros ac disputationes conscribendas adhibere pergunt.

Verum ita mortuum esse et antiquatum, quem loquimur, sermonem facile concedimus, ut nullius amplius populi communi frequentetur consuetudine. Sed perpendas velim nonne hâc ipsâ de caussâ ad ea tradenda ac scripto consignanda, quae non ab aequalibus solum, verum a posteris legi cupias, hodiernis sit linguis aptior atque accommodatior. Hae quidem *vivae* dicuntur ac sunt, nec diu tamen plane eandem agere vitam deprehenduntur. In continuo potius fluxu versatae, paullatim alias ex aliis suscipiunt mutationes. *Modo* enim voces, locutiones, orationem construendi formas antiquas rejiciunt ac repudiant; *modo* novas, majoribus ignotas, iis substituunt sibique adsciscunt; *modo* ad obsoletam suam redeunt instaurandam vocum dictionumque supellectilem. Quae, exeunte seculo XVI vel ineunte seculo XVII, in Francogalliâ Montagnius (1), apud nos H. L. Spiegelius et ipse adeo Litteraturae Nederlandicae Stator ille Hooftius scribenda curârunt atque edenda, ab iis, qui nunc sunt, aut Francogallis aut Nederlandis ita demum accurate ac plene percipientur, si docti iis adfuerit Interpretis opera et auxilium. Et vel sic tamen in iis, quamvis praestan-

---

(1) *Essais de* Michel *Seigneur de* Montaigne. Primum editus est liber a. 1596.

tibus, Litterarum monumentis obsoleti quid est atque horridi, quod a lectione multos deterret posteros (1). Nec Gellertium puto atque Adelungium, huc si forte ex morte reduces, qnam hodie *Germanicam* appellant, plane eandem eam linguam habituros esse atque agnituros, cui excolendae laudatissimam olim uterque operam dederat et industriam. — Longe aliter vero sermo comparatus est, qui aliquando et cultioris alicujus populi et ejus scriptorum usu tritus erat, paullatim autem ex vulgari hominum vitâ recessit ac sublatus est. Illius nunc clausa est et temporis diuturnitate determinata Litteratura, definita verborum locutionumque potestas, constituta orationis informandae ratio legitima ac structura. Etiamsi enim qui ad incognitas olim res declarandas eam adhibere velit, nova subinde vocabula quaedam, technica imprimis, illius analogiae quantumpote attemperata, prudenter in eam inferre possit; — integro tamen atque illibato id ei faciendum est universo, quo haec potissimum lingua cernitur, dicendi genere ac consuetudine. Nam nullo non tempore eandem, ad quam nostram quantumpote scriptionem componamus atque exigamus, normam habemus ac regulam, nullis amplius conversionibus obnoxiam, id est optimorum quorumque, qui florentem eam olim scriptis quisque suis excoluerunt, auctorum exemplum. Quibus consequens est ut quae nunc satis probâ nec inficetâ Latinitate chartae mandaveris, totius alicujus seculi intervallo, eandem posteris novitatis viriditatem habitura sint, quam ea nobis habent, quae eodem modo atque eâdem linguâ, instauratorum Sacrorum tempore a Calvino, Melanchthone aliisque memoriae sunt prodita. Contra quolibet hodierno sermone si tua consignaveris, quamvis eleganter enuntiata, inventa ac sententias, anteaquam seculum abierit, obsoleta nepotibus libri tui dictio videbitur, stilus antiquatus, minus culta oratio (2). Cum academicâ autem sacrae disciplinae

---

(1) Vidd. quae de Hooftii operibus et Vondelii carminibus monuit M. Siegenbeek: *Proeven van Nederduitsche Dichtkunde uit de zeventiende eeuw,* praefat. p. XXXVII.

(2) »*Latina lingua non amplius populi alicujus imperio regitur, aut ex multi-*

institutione quam arcte dicta conjuncta sint, postmodum nobis apparebit.

Verum eam, quam Theologorum ex Scholis exclusam nolo, linguam non aptam esse nec idoneam multi, credo, objicient, quâ satis accurate res ac placita enuntiemus, antiquis ignota Romanis, nobis autem declaranda ac definienda. Veste igitur non habili nec commodâ recentem nos comprimere ac coërcere sapientiam arguent et eruditionem. Ain' vero? Adeone hoc, quod nobis objicis, crimen Erasmus etiam commisit et Melanchthon et Calvinus et Ernestius, et, recentissimâ hâc memoriâ, ne alios permultos appellem, Borgerus, Tittmannus, Fritzschius, Winerus, Reichius, Van-Hengelius? Omnes enim hi et infinito numero alii, suis quique meritis insignes, Viri praeclari, hâc ipsâ, quam proscribendam putas, linguâ usi, et historicis de argumentis et criticis et exegeticis et phisosophicis et dogmaticis et ethicis, immo de nullâ non quaestione theologicâ, scripserunt, disputârunt, varii generis libros ac commentarios edendos curârunt. Multos quidem passim iis errores objecerunt adversarii multaque vitia. Nec tamen eorum quemquam ab aequalibus aut posteris ita reprehensum esse novimus: »*Male, id est nec satis accurate nec* »*satis perspicue, scripsisti, quia Latine* (1).” — Verum a Viro-

»*tudinis libidine pendet, sed certis regulis constat et scribenti certam scribendi legem* »*et normam praebet.*” — Haec, ex Praeceptoris Wyttenbachii, cujus quum maxime caussam tuebatur, sententiâ vere monuit G. L. Mahne, in *Epicriseos censurarum Biblioth. criticae, Vol.* III, *P.* III, praefatione. Unde multa, nostrâ hâc cum disputatione conjuncta, peti possunt. Nec minus apposita de Litteraturae, quae suis jam *conclusa* est finibus, usu ac meritis alicubi monuit acutissimus ille Juris Antecessor J. M. Kemperus. Cujus vero dicta me nunc accurate memorare non posse doleo.

(1) Fuerunt quidem qui Fritzschio, Rostochiensi, quem honorifice nominavi, stili, quâ subinde commentarii laborarent, obscuritatem objicerent. Verum hic, qualiscunque fuerit, eorum defectus non ex Latini sermonis usu exstitit, sed ex coacervatis potius nec semper lucide ordinatis aliorum sententiis Interpretum. Atque universe videndum ne hominum vitia huic illive, quâ forte usi sint, linguae temere tribuamus et inique.

rum praestantissimorum exemplis, quamvis luculenter eam, quam agimus, caussam probantibus, discedentes, rem ipsam paullo propius spectemus. Nobis quidem Theologis multas esse res nuncupandas ac suo singulas nomine appellandas, quas ignoraverint aut quibus certe propria nomina non dederint Romani, et ego supra concessi et nemo est qui nesciat. Quo imprimis voces referuntur artificiosae, Philosophorum indicantes et Theologorum aliorumque placita, sententias, errores, haereses, dissensiones; item multae, quas dicimus, rerum notiones *abstractae.* Ne voces attingam ipsi Christianorum disciplinae privas ac proprias. Sed quamvis haec multa sint, ad pleraque omnia declaranda nomenclaturam habemus, minime quidem classicam illam, sed vulgari usu receptam nec cuiquam harum rerum perito obscuram, quae vel ab antiquis Sacri Codicis Interpretibus, vel veteribus a Grammaticis ac Rhetoribus, vel ab Ecclesiae Latinae Patribus, vel a Scholasticis, vel recentioribus a Philosophis ac Theologis ad nostra haec tempora derivata est ac propagata (1). Hâcce igitur nomenclaturâ, magnorum, quos dixi, Virorum exemplo, ubi vel necessitas requirit vel perspicuitas suadere videtur, parce ac sobrie nostros in usus adhibitâ, raro nobis accidet ut quomodo eae, quas hodierna Theologiae complectitur Encyclopaedia, notiones Latinâ vel oratione vel scriptione enuntiandae sint incerti haereamus. Quodsi tamen aliquando fiat ut hic ipse nos destituat recentior usus receptus, novo aliquo vocabulo, ex sermonis vel Latini vel Graeci analogiâ scite hausto, orationi nostrae accommodato, hunc supplere defectum non est quod vereamur.

Verum mirari subit illi potissimum, de quo agimus, sermoni hanc objici non nullas enuntiandi notiones difficultatem. Quasi vero non eadem illa eaque major plerumque eos premat Theo-

---

(1) Accurate dixit ac vere Fr. Rève, Litt. Prof. Lovaniensis: »*La langue* »*Latine offre au Théologien un style tout façonné à l'expression des idées, qui sont* »*mises en discussion.*" Haec aliaque, quae hanc ad caussam pertinent, illius dicta reposuit Weltius, in (*Tüb.*) *theol Quartalschrift*, 1854, XXXVI. 2, p. 329 sq.

logos, qui, suâ quisque linguâ vernaculâ, subtiliorem aliquam doctrinae nostrae partem exponere instituant. Nec raro enim mihi usu venit ut, commentarium aut alium quemvis librum, ad C. S. illustrationem compositum, lustraturus, primo ejus adspectu sitne Germanice aut Nederlandice, an vero Latine scriptus paullo incertior haeream. Adeo multa non singula solum ibi me obruunt vocabula, sed enuntiata etiam, quae Romanorum potius, quam Auctoris civium redoleant, immo subinde plane referant, sermonem. Quod subinde ejusmodi est, ut neglecta illa ac contemta vituperatores ulcisci voluisse lingua videatur; quâ nempe ne illi quidem, qui maxime velint, plane carere possint adversarii. — Non nimis facile pensum sit, fateor enim, disputationem Latine vertendi, quae recentissimâ de Philosophiâ aut Theologiâ, quam *speculativam* vocant, Germanice sit conscripta; atque hoc ne fieri quidem possit, nisi pluribus retentis nostrâque oratione repositis verbis novitiis. Nihil impedio: saepe enim Auditorum in gratiam rei periculo facto, cujusmodi ea sit expertus sum ipse. Verum tum demum hoc mihi objicias velim, aequissime Lector! si tibi, eandem illam disputationem ita *Nederlandice* reddere conato, ut pulcherrimi nostri sermonis proprietati consulas ac puritati, cum minoribus conflictandum fuerit difficultatibus atque obstaculis.

Nec vero metuendum nobis est ne, per adscita, sicubi opus est, peregrina quaedam ac recentiora vocabula, plane inficeta reddatur ac barbara theologico quocunque de argumento Latine scripta nostra commentatio. Sermonis enim gratiam atque elegantiam ex universo potius exsistere scribendi genere atque ex orationis conformatione, ad veterum imitationem liberaliter compositâ, quam ex fastidiosâ, quâ omnia novitia evitare studeas, diligentiâ, suis passim et exemplis et monitis harum rerum peritissimi Litteratores docuerunt ac Theologi (1).

---

(1) Cum dictis omnino cff. J. A. Ernestii *Initia doctr. solid.* (ed. 5tae, *Lips.* 1776) *praef.* p. XXVI sqq. Utilissima etiam hâc de re praecepta dedit F. A. Heinichen: *Lehrb. der Theorie des Latein. Stils* (ed. alt. *Lips.*

Ex dictis, quibus alia non pauca addi potuerant, nullam satis gravem esse caussam apparet, quae nostrae certe doctrinae ex auditoriis Romanorum excludere sermonem suadeat. Quod ita tamen affirmo, ut pro *Pastorali*, quae hodie vocatur, *Theologiâ* populari potius linguâ tradendâ plura afferri posse argumenta facile concedam. Quamquam de insigni illius parte, id est de *Homileticâ*, *Latine* scriptâ atque editâ optimae frugis *Institutione Oratoris sacri*, Van-Hengelius magis perspicue ac dilucide illius explicavit praecepta, quam multi fecerint, qui *Germanice* idem egerunt (1). Verum, eâ exceptâ, quae magis domestica videri potest ac popularis, doctrinâ, paucis, age, videamus ex eo, quem pro virili parte tueri conamur, docendi more qui fructus et in ipsam redundent *institutionem Theologiae academicam* et in *nostram* singulatim *Patriam*. Quo certius vobis constet, amici Lectores! quae de tradendis artium disciplinis universe monentes Viros audivimus praestantissimos, ea ad nullam potius, quam ad nostram hanc esse applicanda gravissimam doctrinam.

De ipsâ igitur si quaerimus *institutione academicâ;* perspicacium in paucis hîc praejudicium habemus Theologorum, quorum non nulli quam strenue avitam propugnaverint docendi consuetudinem supra comperimus, quibusque alios multos, non minore jure celebratos eos, plane assensisse novimus. Hos enim suae illi, cui excolendae vitam viresque impenderant, doctrinae quid vel prodesset vel obesset probe scivisse, et quid sentirent candide ac sincere sibi profitendum putâsse, nemo facile infitias iturus est. —

1848), impr. p. 40 sqq. Nec negligenda quae dixit elegantissimus E. F. Wuestemannus, quem etiam ipsum nuper fato functum esse dolemus, ad Frederici Jacobsii, praestantissimi Philologi Gothani, *laudationem*, p. 69 sqq. Ubi rectam castamque Latinitatem magis universâ cerni orationis conformatione, quam singulorum usu vocabulorum, accurate docet.

(1) Postea tamen *Homileticen* commodius vernaculâ linguâ exponi posse sibi videri significavit Vir clar. Vid. *ultimi* illius *oratt. sacrarum Fasciculi* (Arnh. 1851) p. VIII.

Verum ipsum potius spectemus nostrae disciplinae Professorem, nullam amplius illius partem nisi vernaculo tradentem sermone. Ad ejus Scholas non pauci advolabunt minus honesto loco nati adolescentes ac minus liberaliter educati, quibus aditum adhuc academicum praecluserat, de quo dicimus, institutum. Cujusmodi jam ad nos accursuros esse Studiosos, eo certius est exspectandum, quo plures hodie sunt, quos ita mysticus aliquis agitat sensus et commovet, ut in sacrum adscendere pulpitum suae scilicet pietati convenientius ducant, quam in obscuris haerere opificum officinis. Horum igitur ignorantiae ut quantumpote accommodetur institutio, cavendum ipsi erit ne subtilitatis quicquam ea habeat nec profundioris disquisitionis.

Sed alios habebit Theologus, doctrinarum initiis melius excultos, discipulos. Credo sane et spero, sed aliâ potius quâvis cognitione imbutos, quam Latinarum earumque cum studio proxime junctarum Graeciae Litterarum. Nam efficacissimus tolletur stimulus atque obtundetur, quo adhuc ad eas potissimum percipiendas impellebantur. Nihil igitur iis obstabit, quo minus, Seculo morem gerentes ac servientes, antiquatis illis atque obsoletis, ut multi interpretantur, valere jussis Litteris, in qualicunque comparandâ Mathematum et unius aut alterius si forte hodiernae linguae cognitione securi acquiescant. Carebunt igitur fructuosissimâ *pulcri sensum* excolendi opportunitate ac subsidio. Huic enim *aesthetico*, quem vulgo vocant, alendo atque explicando *sensui* nihil magis prodesse, quam meditatam optimorum quorumque, quae nobis Graeci Romanique reliquerunt, scriptorum lectionem, omnium unanimis constat intelligentium monitis ac testimoniis. Neque igitur mirari Theologum oportebit nec aegre ferre, ubi commoto pectore Sacri Codicis pulcritudinem ac sublimitatem auditoribus sentiendam ac percipiendam impertire conatur, si ad praestantissimos quosque, quos enarrat, illius locos torpentes eos viderit ac frigentes. — Verum, quod gravius etiam nostrae, de quâ agimus, detrimentum afferet institutioni, veterum scripta populorum tractandi, id est et critice ea excutiendi et grammatice interpretandi et gentium ex moribus et Antiquitate

historice illustrandi, consuetudine carebunt iidem atque exercitatione. Theologum tibi informes velim, vel auditoribus Criticam sacram atque Hermeneuticam exponentem, vel Veteris aut Novi Foederis librorum partem aliquam cum iis interpretantem. Quid magis ei optabile videbitur, quam ut discipulos habeat, qui aliis in Scholis exegeticae doctrinae rudimenta perceperint ac tirocinium fecerint? Si enim eos instituendos habeat, quos imparatos subito in plane ignotam iis terram deducere debeat, ne frustra laboret verendum est. O utinam id omnes ita percipiant, ut se percepisse demonstravit Origenes et Melanchthon et Grotius et Ernestius et praestantissimi quique Sacrarum Litterarum Interpretes! Quod si perspicerent, non id profecto sublatum vellent atque abrogatum institutum, quod ad humaniores accurate constanterque colendas Litteras unâ omnium certissimâ viâ nostros adducit et impellit Commilitones. — Verum eundem etiam attendas Doctorem academicum, vel Christi Societatis historiam ac continentia, quae eam agitârunt, placitorum certamina enarrantem, vel in Philosophiam de Deo ejusque fata cum auditoribus inquirentem, vel Dogmaticen exponentem, vel alias doctrinae nostrae partes tradentem. Id sane ei diligenter agendum erit, ut auditoribus purissimos quosque earum fontes aperiat, eosque inde potius, quam ex turbidis qualibuscunque rivulis, limpidas eruditionis veluti aquas haurire doceat. Atqui illa, quae nobis *fontium,* quibus agros irrigemus, instar sunt, monumenta, antiquiora quidem, pleraque vel Graece sunt vel Latine consignata. Harum igitur Litterarum nisi peritos habuerit auditores, sacrae doctrinae de *fontibus* disputans, *surdis* quasi *fabellam* narrabit.

Luculenter igitur dicta demonstrant ex abrogato linguae Latinae, qui adhuc obtinuit, usu quantum detrimenti captura sit academica Theologorum institutio atque ipsa adeo Christi Ecclesia. Hujus enim quantopere intersit ut identidem illius per operam ad doctrinae maturitatem excultos accipiat sacrorum Antistites demonstrare nihil attinet. — De *exteris* vero eorumque commodis quid monebo? Nolo enim quicquam dicere, quod gloriosius

videri possit. Verumtamen, quod in vulgus notum est, id profiteri licet. Nemo enim nescit in insigni illo *Germaniae* tractu, qui antiquo nomine *Palatinatus* audit *Rhenanus*, permultos esse Protestantium coetus, apud quos sacra Viri faciant venerandi, qui nostrâ hâc in Academiâ studiis operam dederint theologicis. Quorum igitur filii ac nepotes, qui eandem adhuc quaerunt Musarum sedem, num per invectum, iis ignotum, sermonem vernaculum deterrendi sint aut abigendi, prudentiorum esto judicium.

Una mihi dictis adjicienda restat, in quâ desinam, animadversio. Optandum sane est ut subtiliora nostratium opera theologica, non iisdem inclusa, quibus lingua nostra, cancellis, ad exterorum etiam notitiam perferantur. Quod non Patriae tantum cum honore, sed, quod longe gravius, sacrae disciplinae cum emolumento est conjunctum. Antiquiora enim ne attingam, proximis hisce annis non paucos, nec sane indoctos, Theologi nostri libros ediderunt ac disputationes, quibus eas maxime, quae omnium nunc animos advertebant, quaestiones illustrarent criticas, exegeticas, historicas, dogmaticas. Quae vero eorum scripta quam diversâ, pro linguae, quâ consignata essent, diversitate, sorte usa sint attendas velim. *Nederlandice* enim edita pleraque, quamvis praestabilia, vix aut ne vix quidem aut sero, si forte, Vicinis nostris innotuerunt. Contra *Latine* scripta, in iisque ea etiam, ubi juvenilem potius industriam laudares, quam virilem eruditionem, ad eorum conspectum ac cognitionem perlata vidimus. Unde Nederlandis quae sola fere via pateat ac janua comperimus, per quam nec tempori suo impares sese esse, et vero studiorum nostrorum in commune bonum atque emolumentum haud contemnendas conferendi symbolas facultatem sibi esse ac voluntatem, doctae demonstrare possint Europae. In Academiâ autem versantes generosiores Theologiae alumni, quo interiorem, praeëuntibus Praeceptoribus, eruditorum cum sermone familiaritatem contraxerint, eo laetior sane Patriae nostrae ac disciplinae spes affulgebit fore ut ali-

quando eorum non nulli, ea edentes, quae omnes ubique doctiores intelligant, non apud cives tantum, sed apud exteros, utriusque honorem vindicent ac famam tueantur.

Quae omnia quum ita sint, per sublatam Theologorum ex Scholis academicis linguam Latinam, nostrae certe huic disciplinae nullam esse sperandam progressionem apparet, sed certum potius regressum instare ac retardationem (1).

Κράτει ὃ ἔχεις.

---

(1) Praeter supra laudatos scriptores universo de argumento, quod nos, *Theologiae* singulatim ratione habitâ, delibavimus potius, quam pertractavimus, omnino sunt consulendi H. C. Cras, in *disp.* (1813) *de L. Lat. inter eruditos usu*, repos. in *commentt. Lat.* Cl. III *Instituti regii*, Vol. I, p. 1 sqq.; — D. J. van Lennep, in *oratione*, a. 1850 habitâ; cujus summarium reposuit Ephem. *A. Kunst- en Letterbode* ipsius illius anni, No. 48; — Guil. L. Mahne, in *Epp. Sodalium Socr. Philomathiae* (Zieriz. 1813) p. 319—331; item in *Critone, s. dialogo de Litterarum, impr. Latinarum, studio recte colendo* (ibid. 1816); — C. R. Hermans, lectu dignâ in relatione *de Scholis Lat.* a. 1815—1830, proditâ in Diario publico (*Staats-Courant*), ad d. 22 Decembr. 1850.

QUAESTIONES.

I.

Quo modo ac quas per caussas factum sit ut *Cantico*, sive *Cantico Canticorum*, Sacro in Codice locum vindicaret antiqua Judaeorum Ecclesia, duplici eâque valde diversâ viâ declarare conati sunt Viri cujusvis aetatis gravissimi. Alteram non inepte *mysticam* dixeris viam, alteram *criticam* atque *historicam*. Quibus *illa* placebat ratio, horum longe plerique allegoricis hîc ac typicis imaginibus sanctissimam depingi et praedici *Messiam* inter et *Ecclesiam* necessitudinem existimârunt ac conjunctionem. Quamquam eorum in numero vix aut ne vix quidem duo fuerunt qui eâdem plane ratione singulas, quas carmini subesse putabant, exponerent allegorias. — Verum quamvis magnam a pietate laudem haberet, quod eorum optimo cuique propositum erat, Sacri Codicis honorem tuendi consilium; non tali tamen auxilio illius indiget caussa, ac nimis infirmum hoc ei paratur praesidium. Neque enim probabile est gravissimos illos futuri temporis eventus atque exitus tam ambiguis ac tam obscuris Deum praesignificare voluisse imaginum involucris et ambagibus, quas, Sibyllinae instar oraculorum, pro suo quisque arbitratu, pari fere jure, in quamcunque vellet partem accipere posset ac pertrahere. Quam immenso hinc intervallo certa distant ac

definita, quae de Messiâ ejusque Regno, Dei Numine pleni Prophetae cecinerunt, vaticinia!

Quocirca *criticâ* potius atque *historicâ* viâ solvenda est, quam posuimus, quaestio. Ab initio igitur Israëlitarum cum *historiâ* indivulso connexum fuisse vinculo *Canticum* ejusque adeo partem continuisse, praeëunte Muntinghio (1), equidem existimo. *Prioris* enim *Regum libri* Auctor, quo loco quot *Salomonis* poëmata fuerint memoriae prodit (1 *Regg.* V. 12), hocce, quod omnium suo in genere praestantissimum habebat, Canticum, quo certius ab oblivione vindicaretur, suae adjunxisse videtur atque inseruisse narrationi. Quod ne quis factum esse miretur; Orientalium hic mos erat Historicorum, ut una cum illustrium Virorum rebus gestis, datâ opportunitate, memorabile aliquod, cujus ipsis forte copia erat, eorum carmen chartae consignarent. Idque ita subinde, ut necopinanti plane nec hoc loco exspectanti traderetur lectori. Cujus ipsius moris non *Arabum* solum, sed *Veteris* etiam *Test. historiae* plura continent exempla. — Postea vero, quo tempore nescimus, ab eâ, cujus partem continuerat, historiâ sejunctum fuisse videtur Carmen; sive forte fortunâ id factum sit, seu potius ne, per interjecta haec aliena, rerum gestarum narratio ac tela interrumperetur. Nec tamen committere volentes ut suâ socordiâ periret aut civium in oblivionem abiret tanti Regis illustre hoc Carmen, templi Praefecti aut Prophetae in sacrâ illâ, ubi sanctissima sua asservare consueverant monumenta, reponendum id curârunt bibliothecâ. — Ecce conjecturam (neque enim certi quid statui potest), quam si mecum probabilem existimaveris, non erit quod suspenso quaeras animo, quo modo

---

(1) In op.: *Geschied. der Menschh. naar den Bijbel*, VI. 178 sqq., collatâ imprimis subjectâ annotatione. Huic quodammodo praeiverat, quem laudat, Nic. Barkey. Postea Van-Der-Palmius quidem aliique fortasse fuerunt, qui etiam ipsi appendicem historiae Canticum dicerent. Nec tamen quemquam fuisse novi qui accurate rem expediret. Quocirca eorum, quos dixi, Duumvirorum sententiam meâ qualicunque ratione confirmandam putavi. — Historiae locus, quem Van-Der-Hoogthii ex recensione memoravi, apud alios exstat 1 *Regg.* IV. 32.

ac quas per caussas factum sit ut sacrorum Librorum in Canonem *Canticum* hoc reciperetur *Canticorum* (1).

II.

Epistolarum, quae Novo Testamento continentur, apostolicarum omnium antiquissima esse videtur, quae *Jacobo* tribuitur, epistola; cujus neminem majore, nisi evidentiâ, at probabilitate auctorem habebimus, quam *Jacobum*, *Alphaei* filium, cognomine *τὸν Μικρόν*, Virum magnâ non *Christianorum* solum, sed *Judaeorum* etiam existimatione usum. Eo conscripta est tempore, quo, ab *his* nondum plane sejuncti, una cum iis *Synagogam* adire consueverant Christiani. Quorum igitur ipsorum, Cap. II. s. 2, *τὴν Συναγωγὴν* memorari non magis mirandum est, quam, Cap. V. s. 4, Judaeorum plane ex more *Κύριον Σαβαώθ* *Deum* appellari. Inscripta enim erat epistola, Cap. I. s. 1, non, quod exspectaveras, *ἐκλεκτοῖς* singulatim *διασπορᾶς* (cf. 1 *Petr.* I. 1); sed universe *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπ.* — Auctori igitur non id solum propositum fuit consilium, ut Fratribus quam sancte Judaeos inter et Gentes vivendum esset demonstraret; sed eâdem etiam operâ iis, qui nondum Christo nomen dederant, Israëlitis, *propaedeuticam* veluti *Scholam* aperire voluit, quâ ad amplectendum informarentur ac praepararentur Euangelium. Quocirca Domini cum *oratione montanâ* quodammodo illius comparari possunt adhortationes. In promiscuo igitur Judaeorum ac Christianorum consessu ut sine magnâ *illorum* offensione recitari posset epistola, caute ea erant evitanda, quae nimium eorum animis *σκάνδαλον* paritura fuissent.

Hâc demum, quam commendavimus, de scripti tempore ac consilio probatâ sententiâ, cur factum sit probabiliter explicare poterimus ut, quae *Euangelio* propriae privaeque sunt, salutis

---

(1) *Ruthae* etiam libellus, ut obiter hoc moneam, *Judicum* libri *tertiam* ab initio *appendicem* (nunc enim *duae* sunt) continuisse mihi videtur, ac posteriore demum tempore hinc sejunctus esse atque avulsus. Ne de pluribus dicam, qui male divulsi sunt, *Psalmis*. De *Danielis* atque *Esrae* additamentis apocryphis consulendus est Muntinghius.

doctrinae, in quibus explicandis totus erat *Petrus* et *Joannes* et *Paullus*, eas vix aut ne vix quidem attingeret *Jacobus;* — item, quid ei caussae fuerit, quod non minus mirabile, ut pietatis quidem, virtutis, patientiae exempla, *Vetere* in *Testamento* memoriae prodita, lectoribus imitanda commendaret, CHRISTI vero, unum omnium praestantissimum, exemplum plane intactum relinqueret (1).

III (2).

Justâ sine caussâ et alii et summus adeo Winerus (3) *orationis ἀνακολουθίαν* deprehendere sibi visi sunt, ubi, *Rom.* VIII. 3, *absolute* verba praemittuntur: *τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ Νόμου*, quae vertenda sunt: *ad id enim quod attinet, cui efficiendo impar erat Lex.* Quo facto omnia optime cohaerere videbis.

IV.

Non meliore jure idem usu venire existimat Vir praestantissimus *Rom.* XI. 13. 14 (4). Ubi constructionem, sine ullâ assumtâ illius anomaliâ, expediendi duplex nobis via patet. *Altera* ut sectionis 13 verba: *ἐφ' ὅσον* — *'Απόστολος*, cum proxime praecedentibus conjungamus: *vobis enim dico gentibus, quatenus gentium ego sum Apostolus. Altera* ut sectionis 14 initio ante verba *εἴ πως παραζηλώσω* suppleamus: *τοῦτο δὲ ποιῶ*, vel simile quid. Prior ratio a simplicitate commendanda videtur.

V.

Contra omnino nobis idem sequendus est Winerus (5), ubi

(1) Prae caeteris hanc ad quaestionem consulendus est Schneckenburgerus, qui multa bona habet, non nulla tamen minus probanda.

(2) Cum *Quaest.* III—VI conf., Lib. I, p. 184, *Qu.* III.

(3) *Gramm. N. T.* ed. 6, p. 507; ubi tamen, secus ac fecerat proximae ed. 5 p. 623, aliam etiam quandam memorat constructionis expediendae rationem.

(4) L. laud.

(5) L. l. p. 504, coll. p. 491. Haec de priore loco; de altero praeclara exstat disputatio p. 503.

accurate eos refutat, qui, locis *Rom.* VII. 21 et IX. 22 seqq., *inconsequentem* esse orationem existimant.

VI.

1 *Corinth.* XII. 2, pro solo ὅτι recte, testium auctoritate, legendum commendant De-Wettius et Meyerus ὅτι, ὅτε; quod, praeëuntibus aliis, jure in textum recepit Tischendorfius. Verum falluntur laudatissimi illi Duumviri, *inconsequentiam* orationis arguentes, quae *breviloquentiam* potius habet, quâ, semel positum, bis cogitandum est verbum ἦτε. Cujusmodi dicendi compendia apud optimos quosque frequenter exstant Graecorum Romanorumque scriptores. Quamquam ne hoc quidem ut sequamur plane necessarium est. Nihil enim impedit, minimâ aliquâ interpunctione a caeteris sejuncto vocabulo ἔθνη, ita locum vertere: *Novistis vos, gentes* (i. e. in miserâ olim gentium conditione versatos), *abductos fuisse* aut *abduci vos passos esse* caet. Posteriore ex ratione in Imperfecto verbum ἦτε sequentibus *praemisisse* censendus est Apostolus, quo disertius significaret ad pristinam hoc referri, quâ olim usi essent nec nunc amplius uterentur Corinthii, conditionem.

VII.

1 *Petr.* IV. 14, paullo impeditior nec a librariis perspecta loci structura ac sententia effecisse videtur ut et multis ex Codd. et ipso ex textu recepto male delerentur, post δόξης, verba καὶ δυνάμεως, quibus in Cod. A nec paucis aliis varii ordinis testibus praesidium est. Ita autem construendus est locus: Ὅτι τὸ Πνεῦμα τῆς δόξης καὶ δυνάμεως καὶ τὸ (Πνεῦμα) τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ. *quod gloriae ac potentiae Spiritus, qui ipse Dei est Spiritus* caet. (1). Ubi apte et concinne τὸ Πν. τῆς δόξης καὶ δυνάμεως, Spiritus dicitur, qui *honore* nos afficit, et Christi caussâ ultima quaeque alacriter ac fortiter perpetiendi nobis *vires* impertit, eo ipso tempore quo, et ideo quod ὀνειδιζόμεθα ἐν ὀνόμ. Χριστοῦ,

(1) De constructione cf. Winer. *Gramm.* ed. 6, p. 120.

adeoque contemti sumus atque imbecilles videmur. Vid. hujus ipsius sectionis initium. — Vellem igitur verba *καὶ δυνάμεως*, quae ex doxologiis huc irrepsisse valde improbabilis non nullorum est conjectura, justum in locum et antea et nuper in *N. T. triglotto* restituisset Tischendorfius.

VIII.

Ejusdem sectionis postrema verba: *κατὰ μὲν αὐτοὺς* — — *δοξάζεται*, quae suspecta aut incertioris originis sibi videri declarârant Millius, Griesbachius, Pottius, Hutherus, recentissime etiam *N. T. triglotti* ex textu ejecit Tischendorfius. Quorum vero sententiae ne calculum adjiciam et testium auctoritas obstat, quorum longe majore in numero nec exiguo pretio praesidium verba habent, et ipsa loci conformatio, quae *glossematis* respuit suspicionem, et vero, quod caussam continet, proxime praecedentis verbi *ἀναπαύεται* ac verbi, in quo hicce exit locus, *δοξάζεται eadem* plane *clausula*. Quod ipsum *ὁμοιοτέλευτον* in errorem adduxisse librariorum oculos valde probabile est.

EPILOGUS,

ADDENDA QUAEDAM CONTINENS ET EMENDANDA.

Quum primum harum Librum edideram *Chartarum*, blanda mihi spes arridebat fore ut, non ita longo temporis spatio, alteram ei subjicere Partem contingeret. Quâ spe quam misere exciderim ex rei exitu apparet. Quod vero non per inertiam factum esse senilem affirmanti mihi credant aequi velim Lectores, sed et per corporis, multis identidem malis doloribusque laborantis, infirmitatem, et per pensorum, quae necopinantem me deinceps obruerunt, novitatem et varietatem et gravitatem. Desideratissimi enim Royaardsii funebri ex morte, aliquamdiu commentanda mihi fuit ac Commilitonibus enarranda *Christi Societatis Historia.* Quod plane insolitum mihi pensum non minus novum postea excepit, quod honeste refugere non possem, officium idque duplex; alterum *Veteris Testamenti Isagogen*, alterum, vacante cathedrâ, *Litteras* tradendi *Arabicas.* Alias multas ne memorem, quae iterum iterumque invitum hinc me avocârunt, molestas interpellationes.

Ex prorogatâ igitur libelli editione et alia exstiterunt incommoda et hoc non minimum, quod aliquando *nuper* hoc illudve factum esse dixi aut *non diu antequam scriberem*, quod nunc non amplius recentissimae est memoriae. Quam igitur minus accuratam, sicubi forte te offendat, aequi bonique consulas temporum notationem modeste rogo atque humaniter. — Sicuti

autem, qualicunque hocce edito libello, non quae volui feci, sed quae potui; ita nunc faciam quod possum, ut non nullis certe, qui emendandi sint aut supplendi, locis indicandis, virili pro parte illius prospiciam integritati.

LIBRI II PAG. 44, VERSU 4—7.

Harum unam alteramque *Vitarum* aliis Societatis Hag. Moderatoribus debuisse videtur Royaardsius. Certe Ewaldi Kistii ei Vitam suppeditavit N. C. Kistius. Cujus rei notitiam amice monenti acceptam refero clarissimo huic Theologo.

PAG. 49, ANNOT. 2, VERSU PENULT.

Pro *Nieuportenses* legendum *Numansdorpenses* sive *Extraslusanos* (in pago, qui vulgo dicitur *Buitensluis*).

Quod reliquum est, ante hoc fere biennium Migaltii Martyris narrationem (*Journal de* Jean Migault) ita denuo Francogallice edidit ven. de Bray, qui tunc coetûs Antistes erat Nyortensis, ut ipse etiam opusculi titulus hanc haberet professionem: *avec des additions, tirées d'un autre Ms., appartenant à M*r. W. H. Houël etc. Hic enim Vir reverendus et cum illo suo ex Codice narrationis supplementa communicârat, et mihi humaniter pleniorem hanc impertiit rei notitiam.

PAG. 89, VERSU 11.

Ita haec sunt legenda: De Josephi Patriarchae quaestione, *viveretne adhuc Pater?* (*Genes.* XLIII. 27 in fine).

PAG. 93—97.

Ad h. l. prae caeteris conf. Muntinghii opus: *Geschiedenis der Menschh. naar den Bijbel,* prioris ed. VII. 182 seqq. Unde non nulla me haurire memini.

PAG. 145, ANNOT. 1.

Meyeriani *Joannis* in Euangelium commentarii *tertia* editio exeunte fere anno 1856 publicata est, nec immerito *aucta* dicitur.

Secunda enim quum paginis contineretur 465, *tertia* haec, in eâdem libri conformatione externâ, numerum implet pp. 526. Non nullis quidem locis, ubi ut meliora substitueret optandum fuerat, veluti ad dictum, quod attigimus, *Joann.* I. 9, in antiquis acquievit repetendis animadversionibus. Vel sic tamen et introitus et commentarius ita passim locupletatus apparet et emendatus, ut tertiis denuo his curis non mediocriter quarto de Euangelio meruisse doctissimus hic censendus sit idemque subtilissimus Interpres.

PAG. 169, ANNOT. 2.

Phil. Fred. Keerlii bina de *Apocryphis* scripta satis accurate memoravi. Verum, medio inter editum utrumque tempore, aliud etiam emisit eâdem de quaestione commentariolum, inscriptum illud: *Das Wort Gottes u. die Apocryphen.* Quod ex relatione comperi, a Sprinkhardtio proditâ in Reuteri *allgem. Repert.* ad m. Septembr. 1856, p. 181 sqq. Ubi item bini alii attinguntur libelli, quibus ita demum salvam esse posse Patriam atque Ecclesiam contenderat K. Mann, sacrorum Antistes Woeffingensis, si Sacro ex Codice removerentur Apocrypha. *Tantaene sunt animis coelestibus irae?*

Quod reliquum est, de V. T. *Apocryphorum* pretio quid et *Reformatorum* statuerit Ecclesia et nobis statuendum sit, perspicue et accurate exposuit, qui de hoc argumento omnino consulendus est, cl. J. H. Scholten, doctissimo in op. *De leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen*, tertiae ed. Tom. I, p. 83—85.

PAG. 197 MEDIÂ.

Pro *ἐναυάγη* legendum est *ἐναυάγησεν*.

SECUNDI CHARTARUM THEOLOGICARUM LIBRI

CONSPECTUS.